



Domus probat
S. J.
Blyenbeek
A. a. III. 52
ST. IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
SAN FRANCISCO, CAL.

# THESAURUS BIBLICUS.

## M=Z.

Colleg. Staviacense



# THESAURUS BIBLICUS,

HOC EST

## DICTA, SENTENTIÆ ET EXEMPLA

EX SANCTIS BIBLIIS COLLECTA

ET PER LOCOS COMMUNES DISTRIBUTA,

AD USUM CONCIONANDI ET DISPUTANDI,

AUCTORE

## PHILIPPO PAULO MERZ.

*Opus omnibus Theologis speculativis, Polemicis, Moralibus, utriusque Juris studiosis, ac cunctis Litteratis, imprimis verò animarum Pastoribus, verbique Divini Præconibus utilissimum.*

EDITIO NITIDISSIMA,

Nunc demùm quàm plurimis mendis expurgata, et ad trutinam sacrorum bibliorum per singulorum textuum accuratissimam collationem revocata.

Property of
CLgA
Please return to
raduate Theological
Union Library

## TOMUS SECUNDUS.

ALMA COLLEGE
220.2
LIBRARY
M559
Alma, California

PARISIIS,

EX TYPIS ECCLESIASTICIS BEAUCÉ-RUSAND.

VIA PALATINA, N.° 5,

JUXTA SANCTUM SULPITIUM.

1822.

3269

SAN IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
T 2815
SAN FRANCISCO, CAL.

perty of
Aga
e return to
s Theological
o Library

# THESAURUS
# SACRÆ SCRIPTURÆ.



MAGIA.

*Vide et* INCANTATIONES.

*Coram Moyse et Aarone confunduntur magi et malefici in Ægypto;* sed devoravit virga Aaron virgas eorum. *Exod.* 7. 12. *Quin et ipsi ulceribus percussi, coram Moyse stare non possunt. Ibid.* 9. 11.

*Magi in Ægypto cum omni suâ arte non poterant producere sciniphes : ex quo patet, non omnia illis à Deo esse permissa. Idid.* 8. 18.

*Inter alias leges judicibus à Deo datas, est etiam ista :* Maleficos ( *seu magos* ) non patieris vivere. *Ibid.* 22. 18.

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. *Levit.* 19. 31.

Anima, quæ declinaverit ad magos et ariolos, etc. ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. *Ibid.* 20. 6.

Saül abstulit magos et ariolos de terrâ. 1. *Reg.* 28. 3. *Vide et v.* 9. *Sed mox deindè ab hostibus coarctatus, pythonissam consuluit. v.* 7. *Postridiè verò ejus dici in peccatis suis mortuus, se ipsum gladio suo interemit. c.* 31. 4.

*Ochoziæ regi, ob consultum Beelzebub Dei Accaron oraculum, mortem prædicit Elias.* 4. *Reg.* 1. 3.

*Inter alia peccata, propter quæ Israëlitæ sub Rege Osee ab Assyriis in captivitatem abducti fuerunt, etiam hoc adducitur:* Et divinationibus inserviebant et auguriis. *Ibid.* 17. 17.

Manasses rex observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos et incantatores. 2. *Paral.* 33. 6. Idcircò principes exercitûs regis Assyriorum ceperunt Manassen : et vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem. *v.* 11. *Item* 4. *Reg.* 21. 6.

*Simon magus, postquàm multos suis magiis dementasset tandem credidit, et baptizatus est : sed vana fuit ejus conversio. Actor.* 8. 9. *et seq.*

Multi autem ex eis, qui fue-

rant curiosa sectati, contulerunt libros ( *magicos* ) , et combusserunt coram omnibus. *Ibid.* 19. 19.

MAGISTERIUM NON AMBIENDUM.

Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim Magister vester; omnes autem vos fratres estis. *Matth.* 23. 8. Nec vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus. *v.* 10.

Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniàm majus judicium sumitis. *Jacob.* 3. 1.

*Magnanimitas.*
Vide *Confidentia.*

*Maledicentia.* Vide *Detractio.*

MALEDICTIO.

*Maledictio, quâ Deus maledicit homini.*

*Serpens legitur à Deo maledictus fuisse :* Maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ : super pectus tuum gradieris, etc. *Gen.* 3. 14.

*Ad pœnam hominis dictum est :* Maledicta terra in opere tuo. *Ibid. v.* 17. *Item ad Caïn, idid.* 4. 11. Maledictus eris super terram. *Vide etc.* 5. 29.

Maledictus furor eorum ( *Simeon et Levi* ) , quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israël. *Ibid.* 49. 7.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad filios Israël, etc. *Num.* 5. 11. His maledictionibus subjacebis ( *loquitur de muliere pollutâ cum altero viro* ) : Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo : putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur, etc. *v. et seq.* 21.

En propono in conspectu vestro hodiè benedictionem et maledictionem : benedictionem si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodiè præcipio vobis ( *loquitur Israëlitis Moyses* ) : maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de viâ, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post Deos alienos, quos ignoratis. *Deut.* 11. 26, *et seq. Vide c.* 21. 25. *et c.* 27. 15. *usquè ad finem.*

Benedixit ( *Josue* ) populo Israël. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta, quæ scripta erant in legis volumine. *Josue* 8. 33. *Vide Deut.* 28. 16. *et seq. Item* 1. *Reg.* 17. 43.

Excussi sinum meum, et dixi ( *scilicet Nehemias avaris* ) : Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo suâ, et de laboribus suis : sic excutiatur, et vacuus fiat. 2. *Esdr.* 5. 13.

Sicut avis ad alia transvolans, et passer quò libet vadens : sic maledictum frustrà prolatum in quempiam, superveniet. *Prov.* 26. 2.

Quia per memetipsum juravi, dicit Dominus, quòd in solitudinem, et in opprobrium, et in desertum, et in maledictionem erit Bofra : et omnes civitates ejus erunt in solitudines sempiternas *Jerem.* 49. 13.

*Plorans Jeremias excidium civitatis Jerusalem, dixit :* Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ. *Thren.* 2. 7.

*Daniël in oratione suâ dicebat :* Stillavit super nos maledictio. *Dan.* 9. 11. ( *Nota, quod maledictio dicitur super peccatores stillare, sed benedictio super justos inundare*) : Benedictio illius quasi fluvius inundavit. *Eccli.* 39. 27.

*Sacerdotibus malis loquens Dominus per malachiam prophetam dicit :* Et maledicam benedictionibus vestris. *Malach.* 2. 2.

*Ficus, habens folia sine fructu, maledicta fuit à Domino, et continuò aruit. Matth.* 21. 19. *Vide Marc.* 11. 14.

Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Ibid.* 25. 41. ( *O quàm terribilis ista maledictio, contra reprobos proferenda in die judicii !*)

*Maledictio, quâ homo homini maledicit.*

*Primus inter homines legitur Noë maledixisse Chanaan nepoti suo pro eo quod Cham pater ejus nuditatem ipsius Noë cæteris fratribus nuntiavit, cùm potiùs eam tegere debuisset. Gen.* 9. 25.

*Inter alia verba benedictionis, quâ benedixit Isaac filio suo, exstant et hæc :* Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. *Ibid.* 27. 29. *Vide c.* 12. 3.

Principi populi tui non maledices. *Exod.* 22. 28.

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum. *Levit.* 19. 14.

Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur, etc. *Ibid.* 20. 9. *Vide Exod.* 21. 17. *Prov.* 20. 20. *Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10.

*Balac misit nuntios ad Baalam, ut veniret et malediceret populo Israël, dicens :* Novi enim, quòd benedictus sit, cui benedixeris, et maledictus, in quem maledicta congesseris. *Num.* 22. 6. *Vide Capita* 22. 23. *et* 24. *per tot.*

*Dirutâ civitate Jericho*, imprecatus est Josue, dicens : Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. *Josue* 6. 25. 26.

*Sichemitæ* inter epulas et pocula maledicebant Abimelech. *Judic.* 9. 27. *Vide c.* 5. 23.

*Saül volens persequi Philistæos*, adjuravit — populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usquè ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. 1. *Reg.* 14. 24.

Et maledixit Philisthæus (*Goliath*). Davidin diis suis. *Ibid.* 17. 43.

*Semei procedebat egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et dicebat:* Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial. 2. *Reg.* 16. 7.

*Eliseus maledixit pueris illudentibus ei, et dicentibus:* Ascende calve, ascende calve. *Et lacerati sunt quadraginta duo pueri à duobus ursis.* 4. *Reg.* 2. 23. 24.

Maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Eccli.* 3. 11.

*Cùm Judas Machabæus obsideret quoddam præsidium*, hi, qui intùs erant — supra modum maledicebant, et sermones nefandos jactabant. 2. *Mach.* 10. 34.

*Pharisæi maledixerunt cœco nato, per Jesum illuminato*, et dixerunt: Tu discipulus illius fis. *Joan.* 9. 28.

*Arguebant Judæi Paulum, dicentes:* Summum Sacerdotem Dei maledicis? *Sed ille excusavit se, et dixit:* Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum. *Actor.* 23. 4. 5.

*Maleficia.* Vide *Incantationes.*

MALUM ET MALI.

*Malum dicens bonum, punietur.*

Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. *Isa.* 5. 20.

Qui dicunt impio: Justus es: maledicent eis populi: et detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur: et super ipsos veniet benedictio, *Prov.* 24. 24. 25.

In eo quod dicitis: Omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent: aut certè ubi est Deus judicii? (*Comminatur Dominus, se maledicturum benedictionibus sacerdotum, nisi resipiscant, etc*). *Malach.* 2. 17.

*Malum declinandum et bonum faciendum.*

Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede à malo. *Prov.* 3. 7.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere, etc. *Isa.* 1. 16. 17.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam: vitâ vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, etc. *Ezech.* 18. 21 22.

*Malorum multitudo.*

*Cùm factum fuit diluvium, octo tantùm homines salvati sunt.* Omnis quippè caro corruperat viam suam. *Gen.* 6. *per totum.*

*In quinque civitatibus So-*

*domorum non sunt inventi decem justi. Ibid.* 18. 32.

*Plures fuerunt filii Ismaëlis, quàm filii Isaac; et plures filios suscepit Abraham de Cetura. quàm de Sara. Ibid. c.* 25. *per totum.*

*Inter omnes fratres Joseph non fuerunt nisi duo, Ruben et Judas, qui laboraverunt ut ipsum liberarent: sed prævaluerunt tamen mali. Ibid.* 37. 22. *et* 26.

*Sexcenta millia pugnatorum numerati fuerunt, de quibus duo tantùm, Caleb et Josuë, intraverunt terram promissionis. Num.* 11. 21. *et c.* 14. 30.

*Moyses exploratores misit ad considerandum terram promissionis; sed duo tantùm erant boni, scilicet Josuë et Caleb. Ib.* 14. 6. *Vide et Caput præcedens.*

*Plures fuerunt cum Absalom regnum patris usurpare nitente, quàm cum David benè et justè regnante. 2. Reg.* 15. *per totum.*

*Major pars filiorum Israël fuit in regno Samariæ, scilicet decem tribus, ubi erant homines multo pejores; minor autem pars in regno Jerusalem, scilicet duæ tantùm tribus. 3. Reg.* 12. *per totum.*

*Tantus erat numerus bellatorum regis Syriæ, qui pugnabant contra Israël, ut diceret ipse rex, pulverem Samariæ non sufficere pugillis eorum. Ibid.* 20. 10.

*In exercitu Holophernis tantus erat numerus bellatorum, ut cooperuerint* faciem terræ, sicut locustæ. *Judith* 2. 11.

*Omnis populus, qui habitabat in terrâ Ægypti, et mulieres,* quarum stabat multitudo grandis, *sacrificabant diis alienis. Jerem.* 44. 15.

*Non remanserunt cum Judâ Machabæo nisi octingenti viri; et erant in exercitu Bacchidis et Alcimi proditoris* 20000 *virorum, et duo millia equitum. 1. Mach.* 9. 3.

Clamaverunt ergò rursùm omnes, dicentes : Non hunc (*dimitte*), sed Barabbam. *Joan.* 18. 40. *Ergò in maximâ multitudine istâ, quæ erat eo tempore Paschali in Jerusalem, quandò passus est Dominus, non inventus est vir, qui se opponeret manifestè morti tam nequiter procuratæ.*

De sectâ hâc (*Christianorum*) notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. (*Sic quidam Judæi, quos invenit Paulus Romæ in primo adventu suo, dixerunt ei*). *Actor.* 28. 22.

*Mali opprimentes bonos.*
Vide *Oppressio bonorum.*

*Malorum consortium vitandum.*

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in viâ peccatorum non stetit, et in cathedrâ pestilentiæ non sedit. *Psal.* 1. 1.

Non sedi cum concilio vani-

tatis : et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium : et cum impiis non sedebo. *Psal.* 25. 4. 5.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Prov.* 1. 10.

Vade contra virum stultum : et nescit labia prudentiæ, etc. *Ibid.* 14. 7.

Time Dominum, fili mi, et regem : et cum detractoribus non commiscearis : quoniàm repentè consurget perditio eorum : et ruinam utriusque quis novit? *Ibid.* 24. 21. 22.

Qui cum fure participat, odit animam suam : adjurantem audit, et non indicat. *Ibid.* 29. 24.

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

Cum audace non eas in viâ, ne fortè gravet mala sua in te : ipse enim secundùm voluntatem suam vadit, et simul cum stultitiâ illius peries. *Ibid.* 8. 18. *Vide Gen.* 4. 8.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ : et qui communicaverit superbo, induet superbiam, etc. *Ibid.* 13. 1.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? 2. *Cor.* 6. 14. *et seq.*

Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis. 2. *Joan. v.* 10. *et* 11.

Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem : Exite de illâ (*scilicet Babylone*), populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. *Apoc.* 18. 4.

*Malum non est reddendum pro malo.*

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. *Prov.* 17. 13.

Ne dicas : Reddam malum (*pro malo*) : expecta Dominum, et liberabit te. *Ibid.* 20. 22. *Vide c.* 24. 29.

Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. *Rom.* 12. 14. Nulli malum pro malo reddentes. *v.* 17.

Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus. 1. *Cor.* 4. 12.

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. 1. *Thess.* 5. 15.

In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles : non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, etc. 1. *Petr.* 3. 8. 9.

*Malum pœnæ est à Deo.*

Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. (*scil. populo Israël propter eorum ingratitudinem*). *Deut.* 32. 23.

Quia dereliquerunt Dominum Deum suum (*Israëliticus populus*), qui eduxit patres eorum de terrâ Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos : idcircò induxit Dominus super eos omne malum hoc. 3. *Reg.* 9. 9.

Nonne vidisti (*ô Elia*) humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus. *Ibid.* 21. 29.

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, — et creans malum. *Isa.* 45. 6. 7.

Hæc dicit Dominus : Eccè ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt : et clamabunt ad me, et non exaudiam eos. *Jer.* 11. 11. *Vide c.* 32. 42. *Item Jonæ* 3. 10.

Propter quod statuit Dominus Deus noster — ut adduceret — super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, quemadmodùm facta sunt in Jerusalem, etc. Ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiæ suæ. *Baruch.* 2. 1. *et seq. Vide Deut.* 28. 53.

Si clanget turba in civitate, et populus non expavescet? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? *Amos* 3. 6.

Descendit malum à Domino in portam Jerusalem. *Mich.* 1. 12.

Dicit Dominus : Eccè ego cogito super familiam istam malum : undè non auferetis (*scilicet Samaria et Jerusalem*) colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniàm tempus pessimum est. *Ibid.* 2. 3.

*Malum culpæ summè aversatur Deus, multòminùs Deum auctorem habet.*

Mendacium fugies : insontem et justum non occides : quia aversor impium. *Exod.* 23. 7.

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentiâ cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas. 2. *Paral.* 19. 7.

Deus enim illorum (*filiorum Israël*) odit iniquitatem. *Judith.* 5. 21.

Viri cordati, audite me, absit à Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. *Job* 34. 10.

Manè adstabo tibi, et videbo, quoniàm non Deus volens iniquitatem tu es. *Psal.* 5. 5. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem : perdes omnes, qui loquuntur mendacium, etc. *v.* 7.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. *Psal.* 44. 8.

Victimæ impiorum abomina-

biles Domino : vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impii : qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. *Prov.* 15. 8. 9.

Similiter autem odio sunt Deo, impius, et impietas ejus. *Sap.* 14. 9.

Nemini mandavit (*Deus*) impiè agere, et nemini dedit spatium peccandi. *Eccli.* 15. 21.

Perditio tua, Israël : tantummodò in me auxilium tuum. *Oseæ* 13. 9.

Quid ergò dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. *Rom.* 9. 14.

Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis. 2. *Cor.* 6. 15. 16.

Nemo, Cùm tentatur, dicat, quoniàm à Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat. *Jacob.* 1. 13.

*Malos Rectores et Prælatos seu Præpositos permittit Deus ob peccata populi.*

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 30. *Vide* 3. *Reg.* 12. 14.

Quoniàm miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. *Isa.* 29. 10. *Vide Ezech.* 14. 9.

Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione meâ. *Oseæ* 13. 11.

Idèò (*quia Christum non receperunt*) mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. 2. *Thess.* 2. 10.

*Jubetque eis obedire.*

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergò quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundùm opera verò eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt, etc. *Matth.* 23. 2. 3.

Servi, subditi estote — dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam dyscolis. 1. *Petr.* 2. 18.

*Malorum etiam ministrorum operâ utitur Deus.*

Multi dicent mihi in illâ die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matth.* 7. 22.

Respondit illi (*Jesu*) ; Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum, etc. *Marc.* 9. 37. 38. *Idem verbatim habetur Luc.* 9. 49.

MANENDUM EST NOBIS IN CHRISTO.

Manete in me, et ego in vo-

bis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis, etc. *Joan.* 15. 4. *et seq.*

Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant. *Rom.* 8. 1.

Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. 1. *Cor.* 12. 13.

Sicut ergò accepistis Jesum Christum dominum, in ipso ambulate, radicati, et superædificati, etc. *Coloss.* 2. 6. 7.

Et nunc, filioli, manete in eo : ut cùm apparuerit habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. 1. *Joan.* 2. 28. *Vide v.* 6. *et* 27.

Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo : et in hoc scimus, quoniàm manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. *Ibid.* 3. 24.

In hoc cognoscimus, quoniàm in eo manemus, et ipse in nobis, quoniàm de Spiritu suo dedit nobis. *Ibid.* 4. 13.

### MANNA.

*Murmurantibus in Sin Israëlitis, pluit Dominus coturnices et Man ad saturitatem : jussio Domini de eo colligendo, et in monumento reponendo. Exod. c.* 16. *per totum.*

Anima nostra arida est : nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii. *Num.* 11. 6. 7.

Afflixit te penuria (*Israël*), et dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi, quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. *Vide Josue* 5. 12.

Et pluit illis Manna ad manducandum ; et panem cœli dedit eis. *Psal.* 77. 24.

Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. *Sap.* 16. 20.

Patres nostri manducaverunt Manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare. *Joan.* 6. 31. *Vide Exod.* 16. 14. *Item* 1. *Cor.* 10. 3.

### MANSUETUDO. *Vide et* PATIENTIA IN ADVERSIS.

Ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. *Josue* 7. 19.

Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. *Prov.* 15. 1. *Vide* 1. *Reg.* 25. 25. *Item* 2. *Reg.* 16. 10. *et seq.*

Patientiâ lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. *Ibid.* 25. 15.

Usquè in tempus sustinebit patiens, et pòsteà redditio jucunditatis. *Eccli.* 1. 29.

Beati mites, quoniàm ipsi possidebunt terram. *Matth.* 5. 4. *Vide Psal.* 36. 11.

Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Ibid.* 11. 29.

Fructus autem Spiritûs est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversùs hujusmodi non est lex. *Galat.* 5. 22. 23. *Vide c.* 6. 1.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in caritate, etc. *Ephes.* 4. 1. 2.

Induite vos ergò sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, etc. *Coloss.* 3. 12. 13.

Admone illos — neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines, *Tit.* 3. 1. 2. *Vide Tim.* 2. 24. 25.

MARE.

*Mare creatur.*

Dixit verò Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida. Et factum est ità. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit maria. *Gen.* 1. 9. 10.

*Concluditur suis terminis.*

Terminum circumdedit aquis, usquè dùm finiantur lux et tenebræ. *Job* 26. 10. *Vide Gen.* 1. 9.

Quandò ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus. *Ibid.* 28. 26.

Quandò circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. *Prov.* 8. 29.

*Cedit filiis Israël.*

Cùmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi et urente, totâ nocte, et vertit in siccum : divisaque est aqua. *Exod.* 14. 21.

*Sedatur verbis Christi.*

Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26.

MARIA VIRGO.

*Maria Virgo prænuntiata.*

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Genes.* 3. 15.

Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. *Ps.* 18. 6.

Myrrha et gutta et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Psal.* 44. 9. 10.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus : Deus in medio ejus, non commovebitur : adjuvabit eam Deus manè diluculò. *Psal.* 45. 5. 6.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. *Psal.* 83. 2. 3.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *Psal.* 86. 3.

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. *Psal.* 131. 8.

Mulierem fortem quis inveniet ? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. *Prov.* 31. 10. Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas. *v.* 29.

Osculetur me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideò adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te. *Cant.* 1. 1. *et seq.* Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum (*tuorum*), et pasce hædos tuos juxtà tabernacula pastorum. *v.* 7. Eccè tu pulchra es, amica mea, eccè tu pulchra es, oculi tui columbarum, etc. *v.* 14. *per totum caput.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. *Ibid.* 2. 1. *et seq.* En dilectus meus loquitur mihi : surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jàm enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit, etc. *v.* 10. Surge amica mea, speciosa mea, et veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora, etc. *v.* 13. *et* 14. *per totum caput.*

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thu-

ris, et universi pulveris pigmentarii? etc. *Ib.* 3. 6. *per totum caput.*

Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecùs latet. *Ib.* 4. 1. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te, etc. *v.* 7. Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *v.* 12. Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano, etc. *v.* 15. *per totum caput.*

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurâsti nos? etc. *Ib.* 5. 9. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherima mulierum? quò declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum. *v.* 17.

Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata. *Ibid.* 6. 3. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? etc. *v.* 8. *et* 9. *per totum caput.*

Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circuivi sola et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui. Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israël hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio et antè sæcula creata sum, et usquè ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea, etc. *Eccli.* 24. 6. *et seq. per totum.*

Eccè Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. *Isa.* 7. 14. 15.

Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ, et intellectûs, spiri-

tus consilii, et fortitudinis, spiritûs scientiæ, et pietatis, etc. *Ibid.* 11. 1. *et seq.*

Eccè Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. *Ibid.* 19. 1.

Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem: et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum. *Ib.* 45. 8.

Usquequò deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum. *Jer.* 31. 22.

*Maria Virgo præfigurata per Arcam Noë.*

Fac tibi Arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in Arcâ facies, et bitumine linies intrinsecùs et intrinsecùs. *Gen.* 6. 14.

*Per Rubum Moysis.*

Apparuitque ei (*Moysi*) Dominus in flammâ ignis de medio Rubi: et videbat, quòd Rubus arderet, et non combureretur. *Exod.* 3. 2.

*Per Arcam fœderis.*

Arcam de lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos: latitudo, cubitum et dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem. *Exod.* 25. 10.

*Per Virgam Aaronis.*

Sequenti die egressus (*Moyses*), invenit germinâsse Virgam Aaron in domo Levi: et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. *Num.* 17. 8.

*Per Vellus Gedeonis.*

Dixitque Gedeon ad Deum: Si salvum facis per manum meam Israël, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in areâ: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terrâ siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël. Factumque est ità. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. Dixitque rursùs ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illâ, ut postulaverat: et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terrâ. *Judic.* 6. 36. *et seq.*

*Per Thronum Salomonis.*

Fecit etiam rex Salomon Thronum de ebore grandem: et vestivit eum auro fulvo nimis. 3. *Reg.* 10. 18. *Item* 2. *Paral.* 9. 17.

*Per templum Salomonis.*

2. *Paral.* 2. *per totum caput. Item c.* 3. *et* 4. *Vide* 3. *Reg. c.* 6. *per totum.*

*Per Portam Orientalem clausam.*

Et dixit Dominus ad me : Porta hæc (*sanctuarii exterioris respicientis ad Orientem*) clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniàm Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in eâ. *Ezech.* 44. 2. 3.

*Per Montem.*

Videbas ità, donec abscissus est lapis de monte sinè manibus. *Dan.* 2. 34.

*Maria Virgo præfigurata per præclaras mulieres.*

*Per Rebeccam.*

En Rebecca coram te est : tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus. *Gen.* 24. 51.

*Per Rachel.*

*Gen. c.* 30. *et* 31. *per totum.*

*Per Abigaïl.*

Cùm autem vidisset Abigaïl David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus, etc. 1. *Reg.* 25. 23. 24.

*Per Abisag.*

Dixerunt ergò ei (*David*) servi sui : Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, etc. 3. *Reg.* 1. 2. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei; rex verò non cognovit eam. *v.* 3. *et* 4.

*Per Judith.*

Dixit Judith (*ad eos, qui veniebant ad eam, cum abscidisset Holopherni caput*) : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se : et in me ancillâ suâ adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israël : et interfecit in manu meâ hostem populi sui hâc nocte, etc. *Judith* 13. 17. 18.

*Per Esther.*

Esther quoque inter cæteras puellas, ei (*Egeo eunucho*) tradita est, ut servaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. *Esther* 2. 8. 9.

Si inveni gratiam in oculis tuis, ô rex (*Assuere*), et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro quâ rogo, et populum meum, pro quo obsecro. *Ibid.* 7. 3. *Vide c.* 8. *per totum.*

*Maria figuratè et per quamdam accommodationem appellatur Stella ex Jacob.*

Orietur stella ex Jacob, et

consurget virga de Israël : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

*Sol vocatur.*

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* 18. 6.

*Regina vocatur.*

Myrrha et gutta, et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Psal.* 44. 9. 10.

*Tabernaculum Altissimi.*

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *Psal.* 45. 5.

*Vocatur Terra benedicta.*

Benedixisti, Domine, terram tuam : avertisti captivitatem Jacob. *Psal.* 84. 2.

*Civitas Dei.*

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *Psal.* 86. 3.

*Domus Sapientiæ.*

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. *Prov.* 9. 1.

*Vocatur Mulier fortis.*

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. *Ibid.* 31. 10.

*Dicitur tota pulchra.*

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. *Cant.* 4. 7.

*Mater pulchræ dilectionis.*

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. *Eccli.* 24. 24.

*Vocatur Virgo.*

Eccè virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel ( *nobiscum Deus* ). *Isa.* 7. 14.

*Vocatur Virga Jesse.*

Et egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *Isa.* 11. 1.

*Dicitur Nubes.*

Eccè Dominus ascendet super nubem levem. *Isa.* 19. 1.

*Dicitur Porta clausa.*

Porta hæc ( *scilicet orientalis porta sanctuarii* ) clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam. *Ezeh.* 44. 2.

*Dicitur Mons.*

Donec abscissus est lapis de monte sine manibus. *Dan.* 2. 34.

*Maria vocatur, et est Mater Domini Dei.*

Et undè hoc mihi ( *ait Elisabeth* ), ut veniat Mater Domini mei ad me? *Luc.* 1. 43.

*Mater Jesu vocatur.*

Eccè Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usquè dùm dicam tibi. *Matth.* 2 13.

Stabant autem juxta Crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. *Joan.* 19. 25. *Vide Actor.* 1. 14.

*Maria Virgo quibus rebus comparetur.*

*Comparatur vino, et oleo effuso, et odori unguentorum. Cant.* 1. 1. 2. 3. *Tabernaculis Cedar, et pellibus Salomonis. v.* 4. *Soli, et vineæ. v.* 5. *Fasciculo myrrhæ. v.* 12. *Botro Cypri in vineis Engaddi. v.* 13.

*Flori campi et lilio convallium. Ibid.* 2. 1. *Malo inter ligna silvarum. v.* 3. *Cellæ vinariæ. v.* 4. *Columbæ in foraminibus petræ. v.* 14.

*Virgulæ* fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. *Ibid.* 3. 6. *Filiabus Sion, et regi Salomoni* in die desponsationis illius. *v.* 11.

*Oculis columbarum, et gregibus caprarum. Ibid.* 4. 1. *Vittæ coccineæ, et fragmini mali punici. v.* 3. *Turri David. v.* 4. *Hinnulo capreæ. v.* 5. *Monti myrrhæ, et colli thuris. v.* 6. *Libano monti. v.* 8. *Favo mellis distillanti, melli et lacti, et odori thuris. v.* 11. *Horto concluso, et fonti signato. v.* 12. *Paradiso malorum punicorum cum pomorum fructibus. v.* 13. *Fonti hortorum, et puteo aquarum viventium. v.* 15. *Aquiloni et Austro. v.* 16.

*Fructibus pomorum. Ibid.* 5. 1. *Elatis palmarum. v.* 11. *Areolis aromatum. v.* 13. *Ebori et sapphyris. v.* 14. *Columnis marmoreis. v.* 15.

*Cortici mali punici. v.* 6. *Reginis et adolescentulis. v.* 7. *Auroræ consurgenti, Lunæ et Soli. v.* 9. *Horto nucum, et pomis convallium. v.* 10.

*Comparatur Maria sapientiæ in Ecclesiis Altissimi. Eccli.* 24. 1. *Plenitudini sanctæ. v.* 3. *Multitudini electorum. v.* 4. *Ori Altissimi. v.* 5. *Lumini orienti in cœlis, nebulæ tegenti totam terram. v.* 6. *Columnæ nubis. v.* 7. *Aciei castrorum. Ibid.* 6. 3. *Gyro cœli, et profundo abyssi. v.* 8. *Cedro Libani, et cypresso montis Sion. v.* 17. *Palmæ in Cades, et rosæ in Jericho. v.* 18. *Olivæ speciosæ in campis, et platano juxta aquam in plateis. v.* 19. *Cinnamomo et balsamo aromatizanti, et odorem danti. v.* 20. *Myrrhæ electæ, storaci et galbano, ungulæ et guttæ. v.* 21. *Terebintho. v.* 22. *Tramiti aquæ, et aquæducto. v.* 41. *per totum caput.*

*Mariæ perpetua Virginitas significatur.*

Apparuitque ei (*Moysi*) Dominus in flammâ ignis de medio Rubi : et videbat, quòd Rubus arderet, et non combureretur. *Exod.* 3. 2.

Ponam (*dixit Gedeon ad Dominum*) hoc vellus lanæ in aream : si ros in solo vellere fuerit et in omni terrâ siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël. Factumque est ità. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. Dixitque rursùs ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illâ, ut postulaverat; et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terrâ. *Judic.* 6. 37. *et seq.*

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* 18. 6.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Cant.* 2. 2.

Tota pulchra es, amica mea, et macula (*peccati*) non est in te. *Ibid.* 4. 7. *Vide c.* 6. 9.

Eccè virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isa.* 7. 14.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *Ibid.* 11. 1.

Lætabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda, et laudans : gloria Libani data est ei : decor Carmeli et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. *Ibid.* 35. 1. *et seq.*

Antequàm parturiret, peperit : antequàm veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? *Ibid.* 66. 7. 8.

Dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniàm Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in eâ. *Ezech.* 44. 2. 3.

Hæc autem eo cogitante (*scilicet Joseph volente occultè dimittere Mariam*), eccè Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est. *Matth.* 1. 20.

Et respondens Angelus, dixit ei (*scilicet Mariæ dicenti :* Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco?) Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1. 35.

*Mariæ Virginis virtutes : ut, quòd fuerit fide dives.*

Gustavit, et vidit, quia bona

est negotiatio ejus : non extinguetur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31. 18.

Dixit autem Maria : Eccè ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illâ Angelus. *Luc.* 1. 38. Et beata, quæ credidisti (*ait Mariæ Elizabeth*), quoniàm perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. *v.* 45.

*Spe plena.*

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. *Eccli.* 24. 24.

Dicit Mater ejus (*Jesu*) ministris (*mensæ in nuptiis in Cana Galilææ*) : Quodcumque dixerit vobis, facite. *Joan.* 2. 5.

*Caritate perfecta.*

Mansit autem Maria cum illâ (*Elisabeth*) quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam. *Luc.* 1. 56.

Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. *Luc.* 2. 7.

Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent, etc. *Joan.* 2. 3.

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. *Ibid.* 19. 25.

*Casta erat, ut suprà probatur in perpetuâ ejus virginitate. Castitatem novisse videtur.*

Angelus dixit ei (*Mariæ dicenti*) : Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1. 35.

*Humilis erat.*

Dixit autem Maria (*ad Angelum*) : Eccè ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illâ Angelus. *Luc.* 1. 38. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *v.* 48.

*Misericors erat.*

Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent, etc. *Joan.* 2. 3.

*Erat prudens.*

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. *Luc.* 2. 19.

*Modesta erat.*

Et dixit Mater ejus (*Jesu*) ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? Eccè pater tuus et ego dolentes quærebamus te. *Luc.* 2. 48.

*Erat pia.*

Magnificat anima mea Dominum : et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. *Luc.* 1. 47.

*Erat benigna.*

Et intravit in domum Zacha-

riæ, et salutavit Elisabeth. *Ibid.* 1. 40.

*Erat fortis.*

Mulierem fortem quis inveniet? etc. *Prov.* 31. 10. *Per totum Caput. Vide Joan.* 19. 25.

*Erat sapiens.*

Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in linguâ ejus. *Prov.* 31. 26.

Dicit mater ejus (*Jesu*) ministris (*mensæ in nuptiis Cana Galilææ*) : Quodcumque dixerit vobis, facite. *Joan.* 2. 5.

*Erat pauper.*

Et intrantes domum (*Magi*), invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. *Matth.* 2. 11.

Impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. *Luc.* 2. 6. 7. *Videet v.* 24.

*Patiens erat.*

Et tuam ipsius animam (*ait ad Mariam Simeon*) pertransibit gladius (*scilicet doloris*), ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Luc.* 2. 35. *Vide Matth.* 2. 13.

*Virtute præcellens erat.*

Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas. *Prov.* 31. 29.

In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. *Eccli.* 24. 25.

Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*ait Angelus ad Virginem*). *Luc.* 1. 28. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *v.* 48.

*Maria salutatur ab Angelo.*

Angelus ad eam (*Mariam*) dixit : Ave gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28.

*Visitat Elisabeth, et laudat Deum.*

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda : et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. *Luc.* 1. 39. 40. Magnificat anima mea Dominum, etc. *v.* 46.

*Proficiscitur cum Joseph in Bethlehem.*

Ascendit autem et Joseph à Galilææ de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eò quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ, etc. *Luc.* 2. 4. 5.

*Proficiscitur cum Joseph in Ægyptum.*

Qui consurgens (*Joseph*),

accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. *Matth.* 2. 14.

*Revertitur indè in terram Israël.*

Et erat ibi usquè ad obitum Herodis: ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: *Matth.* 2. 15. Ex Ægypto vocavi filium meum. (*Oseæ* 11. 1.): Defuncto autem Herode, eccè Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israël; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, et venit in terram Israël. *v.* 19. *et seq.*

*Invenit Christum in templo.*

Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. *Luc.* 2. 46.

*Assistit Maria cruci, et Apostolo Joanni commendatur.*

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cùm vidisset ergò Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, eccè filius tuus. Deindè dicit discipulo: Eccè Mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in suâ. *Joan.* 19. 25. *et seq.*

*Manebat Maria cum Apostolis.*

Hi omnes (*scilicet Apostoli*) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. *Actor.* 1. 14.

MARITUS.

*Mariti officium, et auctoritas in uxorem.*

Mulieri quoque dixit (*Deus*): Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Gen.* 3. 16.

*Dominus ait ad Moysen:* Loquere ad filios Israël, et dices ad eos: Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro, etc. adducet eam ad sacerdotem, etc. *Num.* 5. 12. *et seq.*

Si maritum habuerit (*mulier*), et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento: quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat, etc. *Ibid.* 30. 7. 8. *Vide v.* 15.

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste femineâ: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. *Deut.* 22. 5.

Qui invenit mulierem bonam,

invenit bonum : et hauriet jucunditatem à Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. *Prov.* 18. 22.

Perfruere vitâ cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ : hæc est enim pars in vitâ et in labore tuo, quo laboras sub sole. *Eccles.* 9. 9. Vide *Prov.* 5. 18.

Mulier si est tibi secundùm animam tuam, non projicias illam : et odibili non credas te. *Eccli.* 7. 28.

Non zeles mulierem sinûs tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. *Ibid.* 9. 1. 2.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier benè sibi consentientes. *Ibid.* 25. 1. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani; sic mulier linguata homini quieto. *v.* 27.

Mulieris bonæ beatus vir : nûmerus enim annorum illius duplex. *Ibid.* 26. 1. *Vide Malach.* 2. 14. 15.

*Paulus Corinthios instruit de matrimonio, ejusque usu et indissolubili vinculo, innuptis commendans cœlibatum, et quomodò fidelis cum conjuge infideli se habere debeat, etc.* 1. *Cor. c.* 7.

Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris vir. *Ibid.* 11. 3. *Vide v.* 10.

Mulieres viris suis subditæ sint, — Christus caput est Ecclesiæ. *Ephes.* 5. 22. 23.

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. *Coloss.* 3. 18. 19. *Vide Tit.* 2. 4.

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum : sed esse in silentio. 1. *Tim.* 2. 11. 12. *Vide* 1. *Cor.* 14. 34.

Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. 1. *Petr.* 3. 1. 2. *Vide v.* 5.

### MATRIMONIUM.

*Matrimonium instituitur propter procreationem et propagationem humani generis.*

Masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. *Gen.* 1. 27. 28.

Immisit ergò Dominus Deus soporem in Adam : cùmque obdormîsset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro eâ, etc. *Ibid.* 2. 21. *Vide versus sequentes.*

Dixitque Adam ( *Deo illum increpanti* ) : Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. *Ibid.* 3. 12. Adæ verò dixit ( *Deus* ) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. *v.* 17. *Vide præcipuè v.* 16.

Adam verò cognovit uxorem suam Hevam : quæ concepit, et peperit Caïn, dicens : Possedi hominem per Deum. *Ibid.* 4. 1. *Vide et v.* 17.

Benedixitque Deus Noë et filiis ejus. Et dixit ad eos : Crescite, et multiplicamini, et replete terram. *Ibid.* 9. 1. *Vide c.* 8. 17.

Egressus est post hæc vir ( *Amram* ) de domo Levi : et accepit uxorem stirpis suæ. Quæ concepit, et peperit filium : et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. *Exod.* 2. 1. 2.

Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera. *Lev.* 20. 10.

Non inibis cum eis ( *Gentibus* ) fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia : filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. *Deut.* 7. 2. 3. *Vide c.* 5. 21. *c.* 22. 29.

Et duxerunt uxores ( *filii Israël*) filias eorum, ipsique (*Gentiles* ) filias suas filiis eorum, tradiderunt, et servierunt ( *Israëlitæ* ) diis eorum. *Judic.* 3. 6. *Idem habetur* 1. *Esdr.* 9. 2. *de quibus fit quoque mentio.* 2. *Esdr.* 13. 23. *Vide Esther.* 2. 17.

Accipies virginem eum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. *Tob.* 6. 22.

*Primâ nocte, quandò introductus est Tobias junior ad uxorem,* hortatus est virginem *—dixitque ei :* Sara, exurge, et deprecemur Deum hodiè et cras, et secundùm cras : quia his tribus noctibus Deo jungimur : tertiâ autem transactâ nocte, in nostro erimus conjugio. *Ibid.* 8. 4. Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio — meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. *v.* 9. *Vide c.* 4. 13.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum : et hauriet jucunditatem à Domino. *Prov.* 18. 22. *Vide Jerem.* 3. 1.

Domus et divitiæ dantur à parentibus : à Domino autem propriè uxor prudens. *Ibid.* 19. 14. *Vide Eccli.* 25. 2.

Et quid unus quærit, nisi semen Dei? etc. *Malach.* 2. 15.

Ego autem (*ait Jesus*) dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32. *Item Luc.* 16. 18.

Non legistis (*ait Jesus Pharisæis tentantibus eum*), quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ, etc. *Ibid.* 19. 4. 5. *Vide c.* 22. 24. *et* 30. *Item Marc.* 10. 2. 6. 7. 8. 9. *c.* 6. 18. *c.* 12. 20.

Et die tertiâ nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. *Joan.* 2. 1. *Vide Luc.* 2. 5. *c.* 3. 19. *c.* 16. 18. *c.* 20. 34.

Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. *Rom.* 7. 2. 3.

Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quòd si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat, tantùm in Domino. 1. *Cor.* 7. 39.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ. *Ephes.* 5. 31. 32.

Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

*Propter peccati devitationem.*

Bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. 1. *Cor.* 7. 1. *et seq.* Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. *v.* 5. Melius est enim nubere, quàm uri. *v.* 9.

*Propter mutuam consolationem.*

Domus, et divitiæ dantur à parentibus : à Domino autem propriè uxor prudens. *Prov.* 19. 14.

Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam. *Eccli.* 7. 27.

Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem : adjutorium secundùm illum est et columna ut requies. *Ibid.* 36. 26. Ubi non est mulier, ingemiscit egens. Quis credit ei, qui non habet nidum? et deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro,

exiliens de civitate in civitatem. *v.* 27.

Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro eâ. *Ephes.* 5. 25. Ità et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. *v.* 28. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat; uxor autem timeat virum suum. *v.* 33.

Viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. *Coloss.* 3. 19.

Similiter et mulieres subditæ sint viris suis: ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem (*bonam*) sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquandò et sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri, impartientes honorem, tanquàm et cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ. 1. *Petr.* 3. 1. *usq. ad* 8.

*Matrimonium est indissolubile.*

Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne unâ. *Gen.* 2. 24.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. *Tob.* 4. 13.

Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32. *Vide c.* 19. 9.

Quid ergò Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? Ait illis: Quoniàm Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. *Ibid.* 19. 7. 8.

Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet. *Marc.* 10. 9. Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. *v.* 11. *Item Luc.* 16. 18.

Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. 1. *Cor.* 7. 10. 11. Mulier alligata est legi quantò tempore vir ejus vivit. *Ità et reciprocè. v.* 39. *Vide Rom.* 7. 2.

*Ad Matrimonium requiritur consensus.*

Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem. *Gen.* 24. 57.

Et acceptâ chartâ, fecerunt conscriptionem conjugii. *Tob.* 7. 16.

*Matrimonium debemus castè et debito modo ingredi et aggredi.*

*Recensentur gradus conjugii illiciti, ad Gentium et Chananæorum opera fugienda, in variâ carnali turpitudine. Levit. c.* 18. *Vide Caput totum.*

*Sara filia Raguelis, dicebat in oratione suâ ad Dominum:* Virum autem cùm timore tuo, non cum libidine meâ consensi suscipere. *Tob.* 3. 18.

Hi namque, qui conjugium ità suscipiunt, ut Deum à se et à suâ mente excludant: et suæ libidini ità vacent, sicut equus et mulus — habet potestatem dæmonium super eos. *Ibid.* 6. 17. Accipies virginem (*in uxorem*) cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus. *v.* 22.

*Primâ nocte, quandò introductus est Tobias uxorem*, hortatus est virginem — dixitque ei: Sara, exurge, et deprecemur Deum hodiè et cras, et secundùm cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertiâ autem transactâ nocte, in nostro erimus conjugio. *Ib.* 8. 4. Domine, tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio — conjugem, sed solâ posteritatis dilectione etc. *v.* 9.

*Matrimonium est sacramentum.* Vide et *Titulum Sacramenta.*

*Matrimonium cujus rei Sacramentum.*

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ. *Ephes.* 5. 32.

*Confert gratiam et sanctificationem.*

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione: ut sciat unusquisque vestrùm vas suum possidere in sanctificatione et honore, etc. *Thess.* 4. 3. 4.

*Matrimonium spirituale.* Vide et *Titulum Connubium spirituale.*

*Matrimonium spirituale virtuosè inchoatur.*

Et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitiâ, et in judicio, et in misericordiâ, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: et scies, quia ego Dominus. *Oseæ* 2. 19. 20.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. *Matth.* 22. 2.

Qui habet sponsam, sponsus est. *Joan.* 3. 29.

Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 2.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ. *Ephes.* 5. 32.

Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Apoc.* 19. 9.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. *Ibid.* 21. 2.

*Copiosè remuneratur.*

Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus : quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa. *Isa.* 49. 18. *Vide c.* 50. 4.

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. *Ibid.* 61. 10.

Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviàm sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes etc. *Matth.* 25. 1. 2.

Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei (*Deo*) : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. *Apoc.* 19. 7. 8.

MEDIATOR.

*Mediator redemptionis solus Christus.*

Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemtionem semeptipsum pro omnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

*Christus* melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. *Hebr.* 8. 6. *Vide c.* 12. 24.

Et ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. *Ibid.* 9. 15. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. *v.* 24.

*Mediator intercessionis Christus.*

Christus Jesus, qui mortuus est : imò qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. 1. *Joan.* 2. 1.

*Mediator Spiritus Sanctus.*

Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse spiritus postulat pro nobis ge-

milibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26.

*Mediator Angelus.*

Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus ut annuntiet hominis æquitatem: miserebitur ejus, et dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Inveni, in quo ei propitiet. *Job* 33. 22. 24.

Et respondit Angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? — et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria, etc. *Zach.* 1. 12. 13.

*Mediator Homo.* Vide et *Titulum Sancti.*

Job autem servus meus (*ait Dominus amicis Job*) orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. *Job* 42. 8.

Erat autem hujuscemodi visus; Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum, ætate et glorià mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum: respondentem verò Oniam, dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israël: hic est, qui multùm orat pro populo et universâ sanctâ civitate, Jeremias Propheta Dei. 2. *Mach.* 15. 12. *et seq.*

Obsecro ergò vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. *Rom.* 15. 30.

MEDICUS ET MEDICINA.

*Medicus spiritualis.*

Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde. *Isa.* 61. 1. *Vide Luc.* 4. 18.

Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. *Matth.* 9. 12.

Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum. *Luc.* 4. 23.

Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habent. *Ibid.* 5. 31.

Homo quidam descendebat, etc. *Ibid.* 10. 30.

*Medicus corporalis.* Vide et *Infirmitas.*

Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus. *Eccli.* 10. 11. 12.

Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela. *Ibid.* 38. 1. 2. Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu

magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terrâ medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. *v.* 3. 4. Ad agnitionem hominum virtus illorum. *v.* 6. In his curans mitigabit dolorem. *v.* 7.

*Medicina.*

Antè languorem adhibe medicinam. *Eccli.* 18. 20.

*Meditatio.* Vide *Contemplatio.*

MENDACIUM.

Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquàm morte moriemini. ( *Hoc est primum mendacium.* ) *Gen.* 3. 4. *Vide Joan.* 8. 44.

Negavit Sara, dicens : Non risi : timore perterrita. *Ibid.* 18. 15.

*Vide mendacium uxoris Putipharis. Ibid.* 39. 14. *et* 17.

*Mendacium obstetricum Ægypti habuit remunerationem suam, quia fuit mendacium valdè compassivum. Exod.* 1. 17. *et seq.*

*Multoties Pharao voluit decipere Moysen per mendacia : sed tamen hæc illi non profuerunt. Ibid. c.* 8. *et* 9.

Non suscipies vocem mendacii : nec — dicas falsum testimonium. *Ibid.* 23. 1. Mendacium fugies. *v.* 7. *Vide Deut.* 19. 18.

Non mentiemini : nec decipiet unusquisque proximum suum. *Lev.* 19. 11.

Sedens et flens *dixit populus in deserto :* Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, etc. *Num.* 11. 5.

*Gabaonitæ simulatione longi itineris callidè voluerunt per mendacium decipere Josue et principes Israëlitarum, et interposito quidem juramento salvantur ; insecuto tamen murmure, perpetuo famulitio adstringuntur. Josue c.* 9.

*Nunquàm licet mendacium dicere, sed veritatem licet et expedit quandoquè tacere, sicut fecit Samuël, dicens:* Ad immolandum Domino veni. *Ad aliud enim faciendum principaliter venerat, et nihilominùs facere proponebat.* 1. *Reg.* 16. 2. *et* 5.

*David occiso nuntio, qui se Saulem occidisse dicebat, scissis vestibus deflet eum cum cæteris occisis, jejunans usquè ad vesperam ac super eos plangens, et planctu filiis Israël præcipiens.* 2. *Reg. c.* 1. *Vide* 4. *Reg.* 5. 25.

*Occiso unico de filiis David,* fama pervenit ad David, dicens : Percussit Absalom omnes filios regis. *Sic faciunt homines sæpius, nuntiando rumores. Ibid.* 13. 30.

*Officiosè mentitus est Chusaï Absalom, dicens :* Sicut parui patri tuo, ità parebo et tibi. *Ibid.* 16. 19.

*Naboth, ob negatam regi Achab vineam, à falsis testibus jussu Jezabel accusatus, lapidatur.* 3. *Reg. c.* 21. 13.

*Spiritus mendax in ore multorum Prophetarum decipit Achab, ut iret ad pugnam, et percussus fuit. Ibid.* 22. 23.

*Giezi propter munera mendacio extorta, et ab Eliseo spreta; leprâ punitur.* 4. *Reg.* 5. 25.

*Pessimum mendacium adinvenit Aman, ut posset perdere Mardochæum, se adorare nolentem. Esth.* 3. 8.

Proferentem mendacia testem fallacem (*odit Dominus*). *Prov.* 6. 19.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos. *Ibid.* 10. 4.

Abominatio est Domino labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei. *Ibid.* 12. 22.

Verbum mendax justus detestabitur. *Ibid.* 13. 5.

Testis fidelis non mentitur ; profert autem mendacium dolosus testis. *Ibid.* 14. 5. *Vide et v.* 25.

Fallax obtemperat labiis mendacibus. *Ibid.* 17. 4.

Testis falsus non erit impunitus ; et qui mendacia loquitur, non effugiet. *Ibid.* 19. 5. *et v.* 9. *Idem repetitur.*

Suavis est homini panis mendacii ? et posteà implebitur os ejus calculo. *Ibid.* 20. 17. *Vide c.* 23. 3.

Qui congregat thesauros linguæ mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21. 6.

Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. *Ibid.* 29. 12.

Vanitatem et verba mendacia longè fac à me (*Domine*). *Ib.* 30. 8.

Custodite ergò vos à murmuratione, quæ nihil prodest, et à detractione parcite linguæ ; quoniàm sermo obscurus in vacuum non ibit : os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1. 11.

Noli arare mendacium adversùs fratrem tuum : neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona. *Eccli.* 7. 13. 14. *Vide et c.* 41. 21.

Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore : et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. *Ibid.* 20. 26. *et seq.*

Tres species odivit anima mea — pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum. *Ibid.* 25. 3. 4.

*Egregiè confudit Daniel, debitoque supplicio damnavit duos impudicos, et mendaces senes, qui falsum testimonium contra Susannam dixerunt. Dan. c.* 13.

Maledictum, et mendacium, et homicidium, e furtum, et

adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit, etc. *Oseæ* 4. 2.

Vos (*Pharisæi*) ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit ; quia non est veritas in eo ; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. *Joan.* 8. 44.

*Ananias, et uxor sua Saphira agro divendito, pretii partem sibi servant, quod tamen interrogante Petro, factum esse negant : quam ob causam ad verbum Petri, uxor, post maritum subitâ morte percutitur. Actor.* c. 5.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniàm sumus invicem membra. *Ephes.* 4. 25. *Vide.* 1. *Petr.* 2. 1.

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc. *Coloss.* 3. 9. 10.

Non intrabit in eam (*Jerusalem cœlestem*) — abominationem faciens, et mendacium. *Apoc.* 21. 27.

Foris — omnis qui amat, et facit mendacium. *Ibid.* 22. 15.

*Mendicus.* Vide *Pauper.*

MENSURA.

*Mensura, quâ mensi fuerimus, remetietur nobis.*

Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro animâ. *Exod.* 21. 23.

Dixitque Adonibezec : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensâ ciborum reliquias : sicut feci (*eis*), ità reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum (*Judas et Simeon.*) in Jerusalem, et ibi mortuus est. *Judic.* 1. 7.

Et ait Samuël (*ad Agag*) : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua : et in frusta concidit eum Samuël coram Domino in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 33.

Et restituet mihi Dominus (*ait David*) secundùm justitiam meam : et secundùm munditiam manuum mearum in conspectu oculorum suorum. 2. *Reg.* 22. 25.

Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam : et secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Psal.* 17. 21.

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est : neque conteras egenum in portâ : quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. *Prov.* 22. 22. 23.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ? et qui spernis, nonne et ipse sperneris ? cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis : cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris. *Isa.* 33. 1.

Eccè scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinum eorum iniquitates vestras et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus — et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. *Ibid.* 65. 6. 7. *Vide et v.* 12. *Item. c.* 66. 4.

Clamate adversùs eam (*Babylonem, ait Jeremias*), ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus; destructi sunt muri ejus, quoniàm ultio Domini est : ultionem accipite de eâ, sicut fecit, facite ei. *Jerem.* 50. 15. Reddite ei (*Babyloni*) secundum opus suum, *et* juxta omnia quæ fecit, facite illi : quia contra Dominum erecta est, adversùm Sanctum Israël. *v.* 29.

Et quomodò fecit Babylon, ut caderent occisi in Israël : sic de Babylone cadent occisi in universâ terrâ. *Ibid.* 51. 49.

Quia hæc dicit Dominus Deus : Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum. *Ezech.* 16. 59.

Eccè ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos (*minatur Deus Gentibus afflictionem, quâ afflixerunt populum suum*), et convertam retributionem vestram in caput vestrum. Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, etc. *Joel.* 3. 7. 8.

In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* 7. 2.

Et dicebat illis (*Jesus*) : Videte quid audiatis : In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis. *Marc.* 4. 24.

Date et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam et coagitatam et superefflluentem dabunt in sinum vestrum. Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis. *Luc.* 6. 38.

### *Mensura et pondera debent esse justa.*

Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in mensurâ. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. *Lev.* 19. 35. 36.

Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tuâ modius major et minor : pondus habebis justum et verum; et modius æqualis et verus erit tibi. *Deut.* 25. 13. *et seq.*

Statera dolosa abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus. *Prov.* 11. 1. *Vide c.* 20. 10. *et* 23.

Pondus et statera judicia Domini sunt : et opera ejus omnes lapides sacculi. *Ibid.* 16. 11.

Pondus, et pondus, mensura et mensura : utrumque abominabile est apud Deum. *Ibid.* 20. 10. *Vide et v.* 23.

Statera justa, et ephi justum,

et balus justus erit vobis, etc. *Ezech.* 45. 10.

Nunquid justificabo stateram impiam, et sacellli pondera dolosa? *Mich.* 6. 11. *Vide Amos* 8. 5.

MERCES ET MERCENARIUS.

*Mercenarius remunerandus.*

Non morabitur opus mercenarii tui apud te usquè manè. *Lev.* 19. 13.

Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, etc. Sed eâdem die reddes ei pretium laboris sui antè solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. *Deut.* 24. 14. 15.

Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omninò non remaneat. *Tob.* 4. 15.

Dignus est enim operarius mercede suâ. *Luc.* 10. 7. *Vide Matth.* 10. 10

Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. *Rom.* 4. 4.

*Non defraudandus.*

Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario fratres sunt. *Eccli.* 34. 26. 27.

Eccè merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jacob.* 5. 4.

*Merces operariorum.* Vide *Labor.*

*Merces debetur operibus bonis.* Vide et *opera bona etc.*

Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè statim in in foribus (*tuis*) peccatum aderit? *Gen.* 4. 7.

Factus est sermo Domini ad Abraham, per visionem dicens: Noli timere, Abraham: ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. *Ibid.* 15. 1.

*Deus reddet unicuique secundùm opera sua. Psal.* 61. 13. *Vide Matth.* 16. 27. *Rom.* 2. 6. 1. *Cor.* 3. 8.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Psal.* 118. 112.

Impius facit opus instabile: seminanti autem justitiam, merces fidelis. *Pro.* 11. 18.

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. *Sap.* 5. 16.

Et reddidit (*Deus*) justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in viâ mirabili: et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. *Ibid.* 10. 17.

Qui timetis Dominum, cre-

dite illi : et non evacuabitur merces vestra, etc. *Eccli.* 2. 8.

Benedictio Dei in mercedem justi festinat : et in horâ veloci processus illius fructificat. *Ibid.* 11. 24.

Non impediaris orare semper, et ne verearis usquè ad mortem justificari : quoniàm merces Dei manet in æternum. *Ib.* 18. 22.

Da mercedem (*Domine*) sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum, etc. *Ibid.* 36. 18.

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam : et in ipsâ laudabo eum. *Ibid.* 51. 30. Operamini opus vestrum antè tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. *v.* 38.

Dicite justo, quoniàm benè, quoniàm fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 10. 11.

Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua (*Israël*) à ploratu, et oculi tui à lacrymis : quia est merces operi tuo, ait Dominus : et revertentur de terrâ inimici. *Jerem.* 31. 16.

Gaudete, et exultate, quoniàm merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt antè vos. *Matth.* 5. 12.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Ibid.* 6. 1.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ib.* 10. 41. 42.

Cùm sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios : et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usquè ad primos. *Ibid.* 20. 8.

Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis : amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Marc.* 9. 40.

Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, et mutuum date, nihil indè sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. *Luc.* 6. 35.

In eâdem autem domo manete : edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum *Ibid.* 10. 7.

Et qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam æternam : ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit, etc. *Joan.* 4. 36.

Ei autem, qui operatur,

merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. *Rom.* 4. 4.

Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8. *Vide Galat.* 6. 5.

Dicit enim Scriptura (*Deut.* 25. 4.) Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede suâ. 1. *Tim.* 5. 18. *Vide* 1. *Cor.* 9. 9.

Eccè venio citò, et merces mea mecum est reddere unicuique secundùm opera sua. *Apoc.* 22. 12.

MESSIAS.

*Messias, id est Christus, et verus unctus, Est Dominus noster Jesus.*

Dicit illis (*Caïphæ et Sacerdotibus*) Jesus: Tu dixisti; verumtamen dico vobis: amodò videbitis Filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. *Mat.* 26. 64.

Jesus autem dixit illi (*Caïphæ*): Ego sum, etc. *Marc.* 14. 62. *Vide Luc.* 21. 27.

Si tu es Christus, dic nobis (*Judæis*). Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi, etc. *Luc.* 22. 66. *et seq.*

Invenit hic (*Andreas*) primùm fratrem suum Simonem, et dicit ei: invenimus messiam, (quod est interpretatum Christus). *Joan.* 1. 41.

Dicit ei (*Jesu*) mulier (*Samaritana*): Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus): cùm ergò venerit ille, nobis annuntiabit omnia. *Ibid.* 4. 25.

Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæâ venit Christus? *Ibid.* 7. 41.

Ait illi (*Martha*): Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Ib.* 11. 27.

Disserebat eis (*Paulus Judæis*) de Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati, et resurgere à mortuis, et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. *Actor.* 17. 2. 3.

Vehementer enim Judæos revincebat publicè (*Apollo*), ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum. *Ibid.* 18. 28. *Vide c.* 19. 4.

Omnis, qui credit, quoniàm Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. 1. *Joan.* 5. 1.

MINISTER ET MINISTERIUM.

*Ministrorum etiam malorum operâ dignatur uti Dei bonitas.*

Multi dicent mihi in illâ die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matth.* 7. 22.

Respondit illi (*Jesu*) Joannes, dicens: Magister, vidimus

quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum, etc. *Marc.* 9. 37. *Item Luc.* 9. 49.

*Quos etiam jubet audire.*

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, servate et facite : secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. *Matth.* 23. 2. 3.

*Ministerium Dei.*

In omni virtute tuâ dilige eum, qui te fecit: et ministros ejus ne derelinquas. *Eccli.* 7. 32.

Millia millium ministrabant ei, etc. *Dan.* 7. 10. *Vide Apoc.* 5. 11.

Tunc reliquit eum diabolus, et eccè Angeli accesserunt, et ministrabant ei. *Matth.* 4. 11.

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. *Cor.* 4. 1.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. 2. *Cor.* 6. 4.

*Ministerium humanum ordinatum.*

Ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat. *Psal.* 100. 6.

Acceptus est regi minister intelligens : iracundiam ejus inutilis sustinebit. *Prov.* 14. 35.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam laborem suorum habebit amicum regem. *Ibid.* 22. 11.

Secundùm judicem populi, sic et ministri ejus. *Eccli.* 10. 2. *Vide Prov.* 29. 12.

MIRACULA.

*Tempore diluvii miraculosè salvavit Dominus Noë cum uxore, et tribus filiis suis, et uxoribus eorum; tùm etiam de cunctis animalibus masculum et fœminam fecit servari per arcam. Gen. c.* 7.

*Præsumptionem hominum, turrim usquè ad cœlum ædificare volentium, miraculosè repressit Dominus, confundendo linguas eorum. Ibid. c.* 11.

*Vide, quàm multa fecerit Dominus miracula per Moysen, dùm eduxit filios Israël de Ægypto. Exod. c.* 7. 8. 9. 10.

*Grande miraculum fuit, quòd nunquàm defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem populo euntí de Ægypto ad terram promissionis. Ibid.* 13. 21. *et* 22.

*Memorandum et terribile miraculum fuit in divisione et exsiccatione maris rubri, quandò transierunt filii Israël sicco pede, Ægyptii verò in mediis*

*fluctibus obvoluti sunt. Ibid. c.* 14.

*Per lignum Moysi ostensum, miraculosè edulcatæ sunt aquæ. Ibid.* 15. 25.

*Murmurantibus in Sin pro cibo Israëlitis, pluit Dominus coturnices et Manna ad saturitatem. Ibid. c.* 16. *Vide et Num. c.* 11.

*Rursùm murmurantibus pro aquâ filiis Israël, dat Dominus aquam de petrâ : et in monte Moysce extensis manibus orante, vincunt ipsi Amalecitas. Ibid. c.* 17.

*Occasione seditionis Core et complicum suorum, multa miracula contigerunt, dùm eos vivos terra absorbuit, et ignis interfecit* 250 *viros offerentes incensum, et alios* 14700 *murmurantes consumpsit incendium, quod oratione suâ Aaron compescuit. Num. c.* 16.

*Sumptis* 12 *virgis à duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit : ac fructum produxit : quo miraculo et indicio sacerdotium illi à Deo confirmatur, servataque est virga in tabernaculo testimonii. Ibid. c.* 17.

*Percussi filii Israel à serpentibus ignitis, aspiciendo serpentem æneum, curabantur. Ibid.* 21. 8.

*Veniens Balaam ad maledicendum populo Dei, redargutus fuit ab asinâ, cui insidebat. Ibid.* 22. 28. *et* 30

Adduxit (*Dominus filios Israël*) quadraginta annis per desertum : non sunt attrita vestimenta — nec calceamenta — vetustate consumpta sunt. *Deut.* 29. 5.

*Ingressis filiis Israël fluvium Jordanis, intumuerunt aquæ superiores ad instar montis, inferiores in mare mortuum descenderunt. Josue c.* 3. *Vide totum Caput.*

*Post varios septem dierum circuitus cum arcâ, muri Jericho corruerunt. Ibid. c.* 6.

*Quinque reges oppugnantes urbem Gabaon, immoto sole, unius diei spatio vincuntur. Ib. c.* 10.

*Per arcam Domini à Philisthæis captam, multa facta sunt miracula.* 1. *Reg. c.* 5.

*Factum est miraculum in castris Philisthinorum, dùm Jonathas et armiger ejus tot de ipsis percusserunt, ut omnis populus obstupuerit*, et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum à Deo. *Ib.* 14. 15. *Vide totum contextum. Item de Davide, qui juvenis inexpertus, et inermis, prævaluit adversùs Philisthæum armatum Goliath. Ibid. c.* 17.

*Elias cælum triennio claudit, primùmque pascitur à corvis, deindè à muliere Sarephtanâ, cujus hydria farinæ, et lecythus olei non minuuntur, cujus etiam filius mortuus oratione Eliæ resuscitatur.* 3. *Reg. c.* 17.

*Elias ignem, holocaustum*

*mirabiliter consummantem, à Domino precibus impetrat. Ib.* 18. 38. *Demùm post orationem ejus*, facta est pluvia grandis. *v.* 45.

*Deindè Angelus Domini panem et aquam Eliæ ostendit, quem panem divinitùs missum edit aquamque bibit*, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usquè ad montem Dei Horeb. *Ib.* 19. 8.

*Vaticinatur Elias de Jesabel. Ibid.* 21. 23. *quod posteà impletur.* 4. *Reg.* 9. 36.

*Duos quinquagenarios principes et quinquaginta viros, qui erant sub eis, Eliæ virtute et zelo, cœlestis devorat ignis, tertio principe suâ modestiâ servato, cum quo jussu Angeli Elias descendit de monte.* 4. *Reg.* 1. 9.

*Tandem divisit Elias pallio suo aquas Jordanis, ut ipse et Eliseus transire possent. Eliâ autem in cœlum igneo curru rapto, Eliseus duplicem ejus spiritum accipit, ac pallio Eliæ rursùm Jordanis aquas dividit, ac per siccum transit. Ib.* 2. 8. *Aquæ Jericho ac terræ sterilitas immisso per Eliseum sale sanantur, puerique illum irridentes quadraginta duo, ab ursis lacerantur. v.* 21. *et seq.*

*Dixit Eliseus:* Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas. Hæc enim dicit Dominus : Non videbitis ventum, neque pluviam : et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et jumenta vestra, etc. *Ibid.* 3. 16.

*Eliseus viduæ debitis oppressæ oleum augmentat, quo solvat creditoribus. Porrò Sunamitidi hospiti suæ filium à Deo impetrat, quem posteà mortuum suscitat. Farinâ quoque pulmento infusâ, amara olera edulcat, et paucis panibus multos satiat, ità ut etiam superfuerit.* 4. *Reg. c.* 4.

*Naaman Syrum Eliseus septenâ in Jordane lotione mundat à leprâ. Ib.* 5. 10. *Absens tanquàm præsens malitiam servi sui cognovit, cui propter munera mendacio extorta, et ab Eliseo spreta, lepra perpetuò adhæsit. v.* 26. *et seq.*

*Eliseus ferrum securis natare super aquas facit : posteà regis Syriæ milites ab ipso quasi excæcati, in Samariam ducuntur, et servo currus igneos etc. in auxilium sui monstrat. Ib. c.* 6. *et tandem Eliseus abscondita et absentia iterùm clara et præsentia cognoscit. v.* 32.

*Eliseus in Samariâ prædicit, fore frumenti abundantiam, quam leprosi quatuor annuntiant, territis miraculosè Syris à Deo, ac omnibus relictis, obsidionem solventibus. Dux autem quidam, Elisei verbo incredulus, à turbâ conculcatur in portâ Samariæ, ut ipse Eliseus prædixerat. Ibid. c.* 7.

*Post septennem famem ab Eliseo prædictam, Sunamitis,*

*quæ ipsius consilio peregrinata erat, reversa, suos agros cum fructibus recuperat. Eliseus Benadad ægrotantem prædixit moriturum, et impium Hasaël regnaturum. Ibid. c.* 8.

*Joas juxta Elisei morientis vaticinium Syros ter devicit : mortui autem Elisei sepulcro injectus quidam mortuus, tangens ossa Elisei resuscitatur. Ibid.* 13. 19. 21.

*Percussit Angelus Domini in unâ nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum. Ib.* 19. 35.

*Mirabile fuit valdè, quandò ad petitionem Ezechiæ sol retrocessit per decem lineas in horologio Achaz. Ibid.* 20. 11.

*Congregati sunt contra Josaphat filii Ammon et Moab, et de monte Seir; sed prædicato jejunio, dùm rex cum populo supplex ad Deum confugeret, adversarii in semetipsos versi, mutuis concidêre vulneribus.* 2. *Paral.* 20. 25.

*Tobias post diutinam cæcitatem, filio juxta consilium Angeli patris oculos felle piscis liniente, recepit visum. Tob.* 11. 13. 15.

*Memorandum fuit miraculum de tribus sociis Danielis, de fornace ignis tàm magnificè liberatis. Dan. c.* 3.

*Daniel cum leonibus sex diebus remansit illæsus, et mirabiliter cibatus est à prophetâ Habacuc. Ib.* 14. 30. 36.

*Occasione Jonæ mare fuit commotum, quo in mare projecto, piscis eum glutivit, et per triduum in pisce vixit, et posteà sanum evomuit piscis. Jonæ c.* 1. *et* 2.

*Expertus est Heliodorus divinam virtutem, quandò spoliare templum volens, fuit à duobus juvenibus gravissimè verberatus.* 2. *Mach.* 3. 25. 26.

*Nullum est dubium, quin et stella illa fuerit miraculosa, quâ duce, Magi Hierosolymam pervenerunt. Matth.* 2. 2.

*Angelus Domini apparuit Zachariæ, nuntians ei ex parte Dei, quòd uxor ejus Elisabeth sterilis et senex, paritura sit filium : qui incredulus ad verbum Angeli, mutus effectus est usquè ad circumcisionem pueri, et tunc loquela restituta est ei. Luc. c.* 1.

*Mirum, dulce, et pium valdè fuit, quandò ad salutationem Beatæ Mariæ, quæ nuper conceperat Salvatorem, Joannes in utero matris exultavit, etc. Ibid. v.* 41.

### *Miracula Christi.*

*Quod attinet ad miracula Christi, quæ Salvator noster, cum hominibus conversatus, dignatus est operari, quantùm ex Evangelicâ Historiâ colligitur, vocatus ad nuptias Salvator Jesus Christus initio signorum aquam in vinum vertit. Joan. c.* 2.

*Item tres suscitavit à mor-*

*tuis, nempè filiam Archisynagogi. Matth.* 9. 25. *Marc.* 5. 42. *Luc.* 8. 55. *Filium viduæ, extra portam civitatis Naïm delatum. Luc.* 7. 15. *Et demùm Lazarum. Joan.* 11. 44. *Vide totum Caput verè miraculosum.*

*Posteà sex cæcos legitur illuminasse. De duobus conjunctim fit mentio, Matth.* 9. 27. *Item de duobus simul illuminatis narratur, Matth.* 20 30. *De uno cæco, Marc.* 8. 22. *Tandem de cæco nato, Joan. c.* 9. *per totum.*

*Dæmoniacos septem liberavit. Duos apud Matth.* 8. 28. *Confer Luc.* 8. 30. *ubi extat, quod unus ex illis multa dæmonia habuerit, quia nomen habebat Legio, alterum, qui erat cæcus et mutus. Matth.* 12. 22. *Lunaticum, qui non poterat liberari, nisi in jejunio et oratione. Matth.* 17. 14. *Marc.* 9. 16. *Luc.* 9. 38. *Alium, qui erat è Synagogâ Judæorum. Marc.* 1. 23. *Luc.* 4. 33. *Item filiam mulieris Chananææ ad instantiam matris. Matth.* 15. 22. *Marc.* 7. 25. *Tandem Mariam liberavit à septem spiritibus immundis. Marc.* 16. 9. *Luc.* 8. 2.

*Iter faciente Jesu per civitates, castella, et vicos Galilææ, offerebantur ei omnes malè habentes, et curabat eos, et liberabat obsessos à spiritibus malignis. Matth.* 4. 23. 24. *Marc.* 1. 34. *Luc.* 8. 2.

*Non parvum quoque fuit Christi miraculum, quandò habitatores Nazareth irâ repleti*, duxerunt illum usquè ad supercilium montis — ut præcipitarent eum : ipse autem transiens per medium illorum, ibat. *Luc.* 4. 29. 30.

*Cùm socrus Simonis teneretur magnis febribus, imperavit Jesus febri, et continuò surgens mulier, ministrabat eis. Marc.* 1. 30. *Luc.* 4. 38. *Item paralyticum, per tegulas et tectum demissum, sanavit. Matth.* 9. 2. *Marc.* 2. 3. *Luc.* 5. 18. *Hydropicum quoque curavit, dùm Sabbato in domo Pharisæi comederet; incurvatamque mulierem, nec sursùm respicerevalentem, erexit. Luc.* 13. 11. *et c.* 14. 2.

*Hominem, manum aridam habentem, incolumitati restituit. Matth.* 12. 10. *Item sanavit verbo servum Centurionis, qui jacebat paralyticus. Ibid.* 8. 13. *Porrò surdum fecit audire, et mutum loqui. Marc.* 7. 32. *Filium reguli de Capharnaüm, incipientem mori, ab infirmitate liberavit, Joan.* 4. 46. *Fluxum sanguinis in muliere hæmorrhoissa cessare fecit, sola tactu fimbriæ vestimenti sui. Matth.* 9. 20. *Marc.* 5. 25. *Luc.* 8. 43. 44.

*Tempestate validâ in mari, ipso dormiente, exortâ, imperavit ventis, statimque venti et mare obedierunt ei. Matth.* 8. 24.

*Ambulavit, discipulis admirantibus, supra mare, et Petrum ambulare fecit super undas, et incipientem mergi, manu extensâ, salvavit. Ib.* 14. 25.

*Insigne miraculum ostendit Christus tribus illis discipulis, dùm coram ipsis transfiguratus est. Ibid.* 17. 2. *Vide et Marc.* 9. 1. *Luc.* 9. 29.

*Item quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, et superfuerunt duodecim cophini. Matth.* 14. 19. *Vide et Marc.* 6. 41. *Luc.* 9. 16. *Joan.* 6. 9.

*Quatuor millia hominum aliâ vice refecit de septem panibus et paucis pisciculis; superfueruntque septem sportæ. Marc.* 8. 5. *Vide et Matth.* 15. 34.

*Christus ficum, habentem folia sine fructu, maledixit, et continuò aruit. Matth.* 21. 19. *Marc.* 11. 13.

*Auriculam per Petrum servo principis sacerdotum amputatam benignè restituit, et Petrum super hoc increpavit. Luc.* 22. 50.

*Cùm Salvator penderet in cruce, à sextâ horâ diei usquè ad horam nonam tenebræ factæ sunt per universam terram, et velum templi scissum est, et monumenta aperta sunt, etc. Matth.* 27. 45. 51. *et seq.*

*Resurgente Domino,* terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo : et accedens, revolvit lapidem, etc. *Ibid.* 28. 2.

*Christus intrat ad discipulos congregatos, januis clausis. Joan.* 20. 19. 26.

*Apparuit Jesus discipulis ad mare Tiberiadis, ubi ad præceptum ejus mittentes rete in mare, impletum est illud* magnis piscibus centum quinquaginta tribus : et cum tanti essent, non est scissum rete. *Ibid.* 21. 11.

*Apparuit insuper duobus discipulis pergentibus Emmaüs, quibus sub specie peregrini se comitem adjunxit, completoque itinere, accubuit cum eis ad mensam, panem benedixit, ac fregit, statimque evanuit ex oculis eorum. Luc. c.* 24. *Vide Marc.* 16. 12.

*Tandem Christus, Salvator mundi, postquàm per quadraginta dies post resurrectionem suam apparuerat discipulis, increpans eos et instruens, elevatus est in cœlum, videntibus illis et mirantibus,* et nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Luc.* 24. 31. *Marc.* 16. 19. *Actor.* 1. 2. 9.

Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. *Joan.* 21. 25. *Vide c.* 20. 30.

*Fuit sanè magnum miraculum effusio Spiritûs Sancti super discipulos in die Pentecos-*

*tes : undè fuerunt mirè roborati , consolidati , et illustrati. Actor. c.* 2.

*Miracula Apostolorum.*

*Videns Petrus hominem claudum juxta portam speciosam templi, dixit ei :* In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensâ manu ejus dexterâ, allevavit eum, et protinùs consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ, etc. *Actor.* 3. 6. 7.

*Angelus Domini per noctem januas carceris aperiens, Apostolos ibi detentos eduxit. Ibid.* 5. 18.

*In plateis ponebant infirmos in lectis et grabatis,* ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum. — Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos à spiritibus immundis : qui curabantur omnes. *Supr. v.* 15.

*Prædicante Philippo in Samariâ , multi ,* qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. *Ibid.* 8. 7. 8.

Invenit autem ibi ( *Petrus* ) hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus : Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus : surge, et sterne tibi; et continuò ( *sanatus* ) surrexit. *Ibid.* 9. 33. 34.

Ejectis autem omnibus foràs, Petrus ponens genua oravit : et conversus ad corpus ( *mortuæ Thabithæ* ), dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos : et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocâsset sanctos et viduas, assignavit eam vivam. *Ibid. v.* 40.

*Describitur etiam admiranda Sauli persecutoris conversio, Domino ei apparente, dùm iret Damascum ad capiendos Christi discipulos. Cœlesti enim lumine circumdatus et in terram prostratus est : sed interiùs illustratus, quamvis exteriùs obcæcatus. Eod. cap. a v.* 1. *usq. ad* 20.

*Petrum in carcere catenis duabus vinctum, et à militibus diligentissimè custoditum Angelus Domini solutum eduxit, et porta ferrea ultrò aperta est eis. Ibid.* 12. 6. *et seq.*

*Elymam magum, pseudoprophetam Judæum, Paulus privavit lumine oculorum, eo quod Proconsulem Sergium à fide avertebat, et Apostolis verbum Dei prædicantibus resistebat. Ibid.* 13. 8. *et seq.*

*In civitate Lystrys erat quidam vir* claudus ex utero matris suæ, qui nunquàm ambulaverat, *quem intuens Paulus,* et videns quia fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magnâ voce : Surge super pedes tuos rectus.

Et exilivit, et ambulabat. *Ibid.* 14. 7. *et seq.*

*Puella quædam habens spiritum phythonem, magnum quæstum præstabat dominis suis divinando. Hæc sequebatur Paulum et Silam, clamans et dicens :* Isti homines servi Dei excelsi sunt. *Paulus autem* spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab eâ. Et exiit eâdem horâ. *Ibid.* 16. 16.

*Cùm essent Paulus et Silas in carcere laudantes Dominum*, subitò — terræ motus factus est magnus, ità ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia : et universorum vincula soluta sunt, *et custos carceris conversus est. Ibid. v.* 26. *et seq.*

*Virtutes non modicas* faciebat Deus per manus Pauli, ità ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Ibid.* 19. 11. 12.

*Quidam Judæi* tentaverunt — invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. — Respondens autem spiritus nequam, dixit : Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis ? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium, *Dominatus est eorum*, ità ut nudi et vulnerati effugerent. *Ibid. v.* 13.

*Unâ Sabbati Paulus disputans, protraxit sermonem usquè ad mediam noctem.* Sedens autem quidam adolescens — super fenestram, cùm mergeretur somno gravi — cecidit de tertio cœnaculo deorsùm, et sublatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum — Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minimè. *Ibid.* 20. 9. *et seq.*

*Tempore hyemali, cùm evasissent Paulus et socii ejus de confractâ navi, et calefacerent se ad ignem*, vipera à calore cùm processisset, invasit manum *Pauli : quam ille excutiens in ignem, nihil mali passus fuit, cùm tamen crederetur ab hominibus regionis illius illicò moriturus. Ibid.* 28. 3. *et seq.*

*Patrem Publii, febribus et dysenteriâ laborantem, Paulus oratione, et manuum impositione sanavit.* Quo facto omnes, qui in insulâ *illâ* habebant infirmitates, accedebant et curabantur. *Ibid. v.* 9.

*Miracula, quæ operatur Deus per sanctos et eorum Reliquias.* Vide *Sancti, et Reliquiæ.*

*Miracula in Ecclesiâ, necessaria.*
Vide *Ecclesia.*

MISERICORDIA.

*Misericordia Dei.*
Vide *Bonitas : item Caritas Dei.*

*Misericordia Dei est generalis, nullum excludendo.*

*Misericors fuit Deus erga Caïn, dùm posuit ei* signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. *Gen.* 4. 15.

*Misericors fuit Deus erga Noë, dùm eum liberavit à diluvio; consequenter erga totum humanum genus, ut non funditùs periret. Ibid. c.* 7.

*Adeò fuit Deus misericors erga Sodomitas, ut si in eorum civitate decem tantùm justos invenisset, omnibus pepercisset. Ibid.* 18. 32.

*Sic etiam misericors fuit Deus erga Lot et suos, dùm ipsos per Angelos de Sodomitis et flammâ ignis eripuit. Ibid.* 19. 15.

*Misericors fuit Deus erga populum Israëliticum, dùm eum liberavit à durâ servitute Ægyptiacâ. Exod. c.* 14.

*Sic erga eumdem populum, dùm à captivitate Babylonicâ eripuit, et in patriam reduxit, misericors fuit Deus.* 1. *Esdr. c.* 1.

Miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit. *Exod.* 33. 19.

Dominator Domine Deus, misericors, et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax. Qui custodis misericordiam in millia; qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem. *Exod.* 34. 6. 7. *Vide Jerem.* 32. 18.

Ego enim sum Dominus Deus tuus — et faciens misericordiam in multa millia, diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. *Deut.* 5. 9. 10.

Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes. *Ibid.* 7. 9.

*Misericors fuit Deus erga David qui vix pœnitenti corde illam vocem pronuntiavit :* Peccavi Domino : *statim à Prophetâ Nathan audivit* : Dominus quoque transtulit peccatum tuum. 2. *Reg.* 12. 13.

*Erga Manassen, qui post immania flagitia dedit gratiam, quâ* egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. 2. *Paral.* 33. 12.

Misericordiâ Domini plena est terrâ. *Psal.* 33. 5.

Et tu Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ. *Psal.* 85. 14. *Vide etiam v.* 5.

Miserator et misericors Dominus, etc. *Psal.* 144. 8. Suavis Dominus universis : et mise-

rationes ejus super omnia opera ejus. *v.* 9.

Tu autem Deus noster, suavis et verus es: patiens et in misericordiâ disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: et si non peccaverimus, scimus, quoniàm apud te sumus computati. *Sap.* 15. 1. 2.

Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. *Eccli.* 18. 12.

Et præparabitur in misericordiâ solium. *Isa.* 16. 5.

*Misericors fuit Deus erga Ninivitas, quibus propter insignem pœnitentiam condonavit excidium à Prophetâ Jonâ prædictum. Jonæ* 3. 10. *Reprehendit etiam Prophetam Jonam, quasi dolentem de ipsius erga Ninivitas misericordiâ. Vide totum caput.* 4.

*Misericors Christus erga Matthœum, quem à telonio ad Apostolatum vocavit. Matth.* 9. 9. *Item Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 27.

Non est voluntas antè Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. *Matth.* 18. 14.

*Misericors fuit Christus erga Magdalenam, cui, licet esset* in civitate peccatrix, *non tantùm omnia peccata remisit, sed illam etiam ad magnam sanctitatem provexit. Luc.* 7. 37.

*Misericors erga Zachœum Publicanum, apud quem se ultrò invitavit, et salutem in ejus domum intulit. Ib.* 19. 5.

*Erga latronem in cruce, cui plus concessit, quàm ille petierat. Ib.* 23. 42. 43.

*Erga feminam adulteram, quam non tantum eripuit è manibus Scribarum et Pharisæorum, qui illam in adulterio deprehensam volebant lapidare, sed etiam à suo divino judicio et condemnatione absolvit. Joan.* 8. 3. 11.

*Erga Petrum, quem post trinam condonatam negationem, in gradum pristinum restituit. Ibid.* 21. 15.

*Erga Paulum, ad quem de cœlo locutus est, ut eum converteret, et ex persecutore magnum Apostolum faceret. Actor.* 9. 4. *quam misericordiam Paulus ipse deprædicat.* 1. *Tim.* 1. 12. *et seq.*

*Erga peccatores omnes. Hinc communis de Christo sermo:* Hic peccatores recipit. *Luc.* 15. 2. *Qui Salvator noster non dubitavit crudelissima supplicia, et acerbissimam mortem pati, ut nos ab interitu liberaret.*

Deus autem, qui dives est in misericordiâ, propter nimiam caritatem suam, quâ dilexit nos, etc. *Ephes.* 2. 4. *et seq.*

*Misericordiam Dei Christus nobis per varias parabolas proposuit, ut:*

*Regis, qui servo suo, decem millium talentorum debitori,*

*totum debitum dimisit, cùm hic in genua procidens eum rogâsset. Matth.* 18. 27.

*Samaritani, qui cùm vidisset hominem à latronibus vulneratum*, misericordiâ motus — alligavit vulnera ejus. *Luc.* 10. 33. *et seq.*

*Boni pastoris, qui amissam ovem per desertum quærit, inventam humeris imponit, et ad ovile reportat. Ib.* 15. 4. *Vide Matth.* 18. 12.

*Filii prodigi, qui ad patrem reversus, benignissimè ab eo fuit exceptus. Ibid. v.* 11. *usq. ad finem.*

*Misericordia Dei est salutaris, mœrentes consolando.*

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodùm speravimus in te. *Psal.* 32. 22.

Quoniàm tu, Domine, suavis et mitis. *Psal.* 85. 4. *Vide Joel.* 2. 13. *Jonæ* 4. 2.

Quoniàm secundùm altitudinem cœli à terrâ, corroboravit misericordiam suam super timentes se. *Psal.* 102. 11. Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. *v.* 13.

Quoniàm gratia Dei, et misericordia est in Sanctos ejus, et respectus in electos illius. *Sap.* 4. 15.

Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Eccli.* 35. 26.

Miserationum Domini recordabor. *Isa.* 63. 7.

Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. *Ib.* 64. 8.

Quomodò si cui mater blandiatur, ità ego consolabor vos, etc. *Ibid.* 66. 13. Videbitis, et gaudebit cor vestrum. *v.* 14.

Benedictus Deus et Pater, etc. 2. *Cor.* 1. 3. *Vide Consolatio.*

*Peccantes expectando.*
Vide *Longanimitas.*

Sed misereris omnium (*Domine*) — et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestrî. *Isa.* 30. 18.

Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, etc. *Ibid.* 65. 2.

Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite. *Ezech.* 18. 32. *Vide v.* 23. *et c.* 33. 11.

Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. *Luc.* 9. 56. *Vide Joan.* 3. 17. *c.* 12. 47.

*Deus* patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9.

*Revertentes suscipiendo.*

Pius enim et clemens est

Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam à vobis, si reversi fueritis ad eum. 2. *Paral.* 30. 9. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum. *v.* 18. *et* 19.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum. Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est. *Eccli.* 2. 22. 23.

Quàm magna misericordia Domini, et propitiatio illius, convertentibus ad se! *Ib.* 17. 28.

Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, et in misericordiâ sempiternâ misertus sum tuî : dixit redemptor tuus Dominus. *Isa.* 54. 7. 8.

Revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. *Jerem.* 3. 1.

*Misericordiæ opera proximo exhibenda.* Vide et *Liberalitas et Eleemosyna.*

Dixitque Saül Cynæo : Abite, recedite, atque descendite ab Amalec : ne fortè involvam te cum eo : tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israël, cùm ascenderent de Ægypto. 1. *Reg.* 15. 6.

Eâ tempestate erat ibi Propheta Domini, nomine Oded : qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis : Eccè iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ità ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas. 2. *Paral.* 28. 9. Steteruntque viri, quos suprà memoravimus, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis : cùmque vestîssent eos et calceâssent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam : quicunque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. *v.* 15.

*Pium et misericordem se fuisse testatur Job, dicens :* Et cor viduæ consolatus sum. *Job* 29. 13. *etc.* Pater eram pauperum. *v.* 16.

Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex eâ : quia ab infantiâ meâ crevit mecum miseratio, etc. *Ibid.* 31. 17. 18.

Jucundus homo, qui miseretur et commodat : disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. *Psal.* 111. 5. 6. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi : cornu ejus exaltabitur in gloriâ. *v.* 9.

Qui despicit proximum suum,

peccat ; qui autem miseretur pauperis, beatus erit. *Prov.* 14. 21. *Vide v.* 31. *Item c.* 19. 17. *c.* 25. 21.

Animam esurientem ne despexeris : et non exasperes pauperem in inopiâ suâ. *Eccli.* 4. 2. *Vide versus sequentes.*

Non despiciet (*Dominus*), preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitûs. *Ib.* 35. 17.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7. *Vide Ezech.* 18. 7. 16.

Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6. 8.

Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. *Zach.* 7. 9.

Beati misericordes; quoniàm ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5. 7.

Euntes autem discite, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. *Ib.* 9. 13. *Vide Oseæ* 6. 6.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. *Ibid.* 10. 41. *Vide Marc.* 9. 40.

Nonne ergò oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tuî misertus sum? *Ib.* 18. 33.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus. Esurivi enim, etc. *Ibid.* 25. 41. 42.

Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil indè sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. *Luc.* 6. 35.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secùs eum : et videns eum, misericordiâ motus est. *Ibid.* 10. 33. *Vide Rom.* 12. 13.

Induite vos ergò sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, etc. *Coloss.* 3. 12. *Vide* 1. *Tim.* 5. 10. *Vide Eleemosyna.*

### MISSÆ SACRIFICIUM.

*Missæ Sacrificium olim prædictum et prænuntiatum.*

Respiciam vos, et crescere faciam : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus, projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestrî, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et

ero Deus vester, vosque eritis populus meus. *Levit.* 26. 9. *et seq.*

Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quàm præclarus est! *Psal.* 22. 5.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *Psalm.* 109. 4. *Vide Heb.* 5. 6. *c.* 7. 17.

Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. *Is.* 2. 2. 3. *Vide Micheæ* 4. 1.

In die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti : et titulus Domini juxta terminum ejus. Erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terrâ Ægypti. *Ibid.* 19. 19. 20. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto (*id est à Gentibus*), etc. et colent eum in hostiis et in muneribus, etc. *v.* 21.

Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo; quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. *Ibid.* 56. 7.

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : ministri Dei nostri, dicetur vobis : Fortitudinem gentium comedetis, et in gloriâ earum superbietis. *Ib.* 61. 6.

Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus, et adducent omnes frâtres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodò si inferant filii Israël munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus. *Ibid.* 66. 19. *et seq.*

Eccè dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israël et domui Juda fœdus novum, etc. *Jerem.* 31. 31. *Vide Hebr.* 8. 8.

In diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum : Dominus justus noster. Quia hæc dicit Dominus : Non interibit de David vir, qui sedeat super thro-

num domûs Israël. Et de sacerdotibus et de Levitis non interibit vir à facie meâ, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cædat victimas omnibus diebus. *Ibid.* 33. 16. *et seq.*

Et auferent juge sacrificium; et dabunt abominationem in desolationem. *Dan.* 11. 31.

Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. *Ibid.* 12. 11.

In die illâ suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea, quæ corruerant, instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis. *Amos* 9. 11. *Vide Actor.* 15. 16.

Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usquè ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1. 10.

*Missæ Sacrificium per varias figuras veteris Testamenti significatum est.*

At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei Altissimi), benedixit ei, et ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram. *Gen.* 14. 18. *Vide Hebr.* 7. 1.

Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. *Ib.* 22. 13.

Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis et hœdum. *Exod.* 12. 5. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usquè in æternum. *v.* 24.

Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. *Ibid.* 25. 30.

Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos, panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de similâ triticeâ cuncta facies. *Ibid.* 29. 1. 2. Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus. *v.* 15. *Vide totum caput. Item Levit.* 2. 1. 11.

Masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii: ad placandum sibi Dominum: ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. *Levit.* 1. 3. 4.

Si peccáverit princeps, et fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, et posteà intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. *Ibid.* 4. 22. 23.

Sin autem non poterit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum — dabitque eos sacerdoti. *Ibid.* 5. 7. 8.

Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est : adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino. *Ibid.* 6. 15. *Vide c.* 9. 8.

Præcipiet (*sacerdos*) ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum, etc. *Ibid.* 14. 4.

Vitulum pro peccato offeret (*Aaron*), et arietem in holocaustum. *Ibid.* 16. 3.

Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii, arietem, etc. *Ibid.* 19. 21.

Offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus, ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato. *Num.* 15. 24. *Vide c.* 18. 17.

Et respondens sacerdos ad David, ait illi : Non habeo laïcos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum : si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. 1. *Reg.* 21. 4. *Vide* 3. *Reg.* 19. 6. *Item.* 4. *Reg.* 4. 42.

*Appellatur juge sacrificium.*

Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccatâ : et prosternetur veritas in terrâ, et faciet, et prosperabitur. *Dan.* 8. 12.

Et brachia ex eo stabunt, et polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent juge sacrificium : et dabunt abominationem in desolationem. *Ib.* 11. 31.

Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. 12. 11.

*Nec interibit offerens sacrificium.*

Et de Sacerdotibus et de Levitis non interibit vir à facie meâ, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cædat victimas omnibus diebus. *Jer.* 33. 18. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, et Levitæ et sacerdotes ministri mei. *v.* 21.

*Missæ Sacrificium à Christo institutum.*

Et accepto pane (*Christus*), gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur,

hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19. *Item Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. 1. *Cor.* 11. 24.

Pro vobis datur, διδόμενον *datum in præsenti vel præterito; ergò Corpus Christi debuit de facto esse victima; non immolanda, ergò immolata; et consequenter tunc fuit sacrificium. Et licet Marcus et Matthæus, ille c.* 14. 24. *hic c.* 26. 28. *posuerint futurum verbum, tamen hoc ut præteritum intelligi debere, ratio convincit; quia quod necdùm immolatum est, non potest habere rationem comestibilis, ut victima, nec aptum esse, ut sit cibus et potus; sed Christus in hâc cœnâ habebat rationem comestibilis, et verè cibus et potus erat; ergò jàm erat immolatus: non in cruce, quod posteà secutum est; ergò per incruentum sacrificium, quod cruentum crucis antecessit.*

Hoc facite in meam commemorationem. Facere *in Scripturâ sacrâ sæpissimè idem est ac* sacrificare. *Vide suprà in Lit. F. Facere pro sacrificare.*

Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud (*Phase*), (*id est immolabit*). *Exod.* 12. 47. *Confer v.* 6. *hujus capitis; et v.* 48. *repetitur idem verbum* facere *pro* immolare.

Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. *Lev.* 23. 19.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. *Ps.* 109. 4. *Confer Hebr.* 5. 6. 10. *et c.* 7. 17. *Atqui Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi panem et vinum in sacrificium obtulit; ergò etiam Christus in ultimâ cœnâ* (*nam de nullo alio tempore dici hoc potest*) *sub speciebus panis et vini Corpus et Sanguinem obtulit.*

*Protulisse Melchisedech panem et vinum ad milites Abrahami, certum est ex Gen.* 14. 18. *Sed non ut eos cibaret, quia jàm comederant, et saturi erant ex cibariis acceptis Sodomorum, ut habetur v.* 24. *Ergò panem et vinum sanctificatum protulit, ut ea primùm in sacrificium oblata, militibus divideret, non ad famem sublevandam, sed ut sacrificii hujus participes efficeret; qui sensus probatur ex verbis immediatè sequentibus:* Eratenim sacerdos Dei Altissimi. *Ergò et Christus sic sacrificium obtulit, et hoc fieri in suam commemorationem, præcepit.*

*Et ab ejus Discipulis usitatum.*

Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, etc. λειτουργούντων *sacrificantibus ipsis*). *Actor.* 13. 2.

*Et à S. Paulo confirmatum.*

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communi-

catio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 1. *Cor.* 10. 16.

Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? *Ib. v.* 18. N. B. *Triplicem mensam seu altare Apostolus agnoscit, Judæorum, Gentilium, et Christianorum. Confer etiam Hebr.* 13. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. *Si ergò altare habemus, necesse est ut habeamus et sacrificium; et cùm ex altari, non ex cruce victimam sumamus, sequitur, victimam esse sacrificii incruenti, quod fit per consecrationem Eucharisticam.*

Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis, quoniàm Dominus Jesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, etc. *Ibid.* 11. 23. 24.

Quemadmodùm et in alio loco dicit (*Psal.* 109. 4.): Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. *Hebr.* 5. 6.

Translato enim Sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. *Hebr.* 7. 12. *Ergò et translatio sacrificii necessaria est; nam sacerdotium et sacrificium inseparabiliter connexa sunt: et quidem sacrificium perpetuum, uti sacerdotes perpetui. Et sicut in lege Mosaïcâ sacerdotes habebant sacrificium crucis ut futurum; et tamen sua propria bestiarum et similia, quæ futurum crucis repræsentabant; sic in lege Christi, peracto semel sacrificio cruento crucis, sacrificium habere quoddam debemus, quod præteritum crucis sacrificium repræsentet. Vide tit. Sacerdotes.*

*Mobilitas populi.*
Vide *Inconstantia.*

MONACHUS.

Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* 23. 21. *Vide Eccles.* 5. 4.

Semita justorum declinat mala: custos animæ suæ servat viam suam (*id est, animam*). *Prov.* 16. 17.

Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 1. *Cor.* 9. 25. *Vide* 2. *Tim.* 2. 5.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit. 2. *Tim.* 2. 4.

*Morbus.* Vide *Ægrotatio.*

MORS ET MORTUI.

*Mors in genere.*

Nec possum in monte salvari,

(*ait Lot*), ne fortè apprehendat me malum, et moriar. *Gen.* 19. 19. (*Si antiqui in V. T. mortem timebant, et longam vitam optabant, non erat mirum; nam ipsi non poterant adhùc in cœlum ascendere, nec divinâ perfrui visione, donec Salvator adveniret ad aperiendas januas Paradisi*).

Moriatur anima mea (*dixit impius Propheta Balaam*) morte justorum. *Num.* 23. 10. (*Sic etiam mali optant benè mori*).

*Noluit David flere pro filio mortuo, cùm tamen flevisset pro eodem infirmo.* 2. *Reg.* 12. 21.

Cùmque venisset, et sederet (*Elias*) subter unam juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, et ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum, quàm patres mei. 3. *Reg.* 19. 4.

*Tobias auditis exprobrationibus uxoris suæ*, ingemuit; et cœpit orare cum lacrymis, dicèns: justus es, Domine, etc. *Tob.* 3. 1. 2. Et præcipe in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quàm vivere. *v.* 6.

*Sara, filia Raguelis, acceptâ ab unâ ancillarum gravi contumeliâ, oravit Dominum, dicens*: Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certè desuper terram eripias me. *Ibid. v.* 15.

*Ezechias Rex Juda ambulavit coram Domino in veritate, et fuit bonus et pius; attamen quandò nuntiatum fuit ei per Isaiam, quia mori deberet, oravit Dominum* fletu magno, *ut adhùc ei vitam prolongaret.* *Isa.* 38. 3. *Item* 4. *Reg.* 20. 3.

Discipuli omnes, relicto eo (*Christo*), fugerunt. *Matth.* 26. 56. (*Antè adventum Spiritûs Sancti nimis timuerunt mortem Apostoli, qui comprehenso Domino omnes eum reliquerunt: postquàm verò fuerunt virtute ex alto roborati, ducti coram principibus et tyrannis, fiducialiter loquebantur, et imperterriti mortem non ampliùs formidabant*).

Non solùm alligari, sed et mori — paratus sum, propter nomen Domini Jesu. *Actor.* 21. 13.

*Mors et pœna peccati.*

De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Gen.* 2. 17. (*Et hæc sententia Dei quàm vera, et inevitabilis est! nam homo ab utero matris, et per totam vitam quasi vivens continuè moritur*).

In sudore vultûs tui vescèris pane, donec revertaris in terram, de quâ sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Ibid.* 3. 19.

Propterèa, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per pec-

catum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12. Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multò magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes; in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. *v.* 17.

Stipendia enim peccati, mors. *Ibid.* 6. 23.

Quoniàm quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, etc. 1. *Cor.* 15. 21.

Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. 1. *Tim.* 5. 6.

Deindè concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum : peccatumverò, cum consummatum fuerit, generat mortem. *Jac.* 1. 15.

*Mors, et certus dies mortis omni homini constitutus est.*

*Cùm tot annis viverint homines antè diluvium, signanter tamen dicit Scriptura post tempus descriptionis vitæ uniuscujusque :* Et mortuus est. *Gen. c.* 5. *pluries.*

Et ait Dominus ad Moysen : Eccè propè sunt dies mortis tuæ : voca Josue, et state in tabernaculo testimonii. *Deut.* 31. 14.

En ego hodiè ingredior viam universæ terræ, et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. *Josue* 23. 14. *Vide* 1. *Reg.* 26. 10. 3. *Reg.* 2. 2.

Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *Job* 14. 5.

Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi? *Psal.* 88. 49.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis : nec finitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. *Eccles.* 8. 8.

Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs, nec habent ultrà mercedem : quia oblivioni tradita est memoria eorum. *Ibid.* 9. 5.

Noli de Mortuo inimico tuo gaudere sciens, quoniàm omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. *Eccli.* 8. 8.

Numerum dierum et tempus dedit (*homini Deus*), et dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. *Ibid.* 17. 3.

O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis ! *Ibid.* 41. 1. *Vide Joan.* 7. 30. *et c.* 8. 20.

Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12.

Stipendia enim peccati, mors. *Ibid.* 6. 23.

Et quemadmodùm statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic et Christus semel oblatus est, etc. *Hebr.* 9. 27.

*Mortis hora incertissima.*

Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò supervenerit (*mors*). *Eccles.* 9. 12.

Illud autem scitote, quoniàm si sciret pater familiâs, quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideò et vos estote parati: quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est. *Matth.* 24. 43. 44. *Item Marc.* 13. 33. *Luc.* 12. 39.

Et vos estote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. *Luc.* 12. 40.

Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ità veniet. 1. *Thess.* 5. 2. *Vide* 2. *Thess.* 2. 2.

Tu autem quis es, qui judicas proximum! Eccè nunc qui dicitis: Hodiè aut crastinò ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in crastino. *Jac.* 4. 13. 14.

Adveniet autem dies Domini ut fur. 2. *Petr.* 3. 10.

Si ergò non vigilaveris veniam ad te tamquàm fur, et nescies quâ horâ veniam ad te. *Apoc.* 3. 3. *Vide c.* 16. 15.

*Mors justorum.*

Cùm essent in agro (*Caïn et Abel*) consurrexit Caïn adversùs fratrem suum Abel, et interfecit eum. *Gen.* 4. 8. (*Rationem dat Joannes*, 1. *Epist.* 3. 12. *Quoniàm opera Caïn mala erant, Abel autem justa*).

Ambulavitque (*Henoch*) cum Deo, et non apparuit: quia tulit eum Deus. *Ib.* 5. 24.

Et deficiens mortuus est (*Abraham*) in senectute bonâ, provectæque ætatis, et plenus dierum: congregatusque est ad populum suum. *Ibid.* 25. 8.

Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusque ætate mortuus est: et appositus est populo suo senex, et plenus dierum. *Ibid.* 35. 28. 29.

Finitisque mandatis, quibus filios suos instruebat (*Jacob*), collegit pedes suos super lectulum et obiit: appositusque est ad populum suum. *Ib.* 49. 32.

Cùmque adjurâsset eos (*Joseph fratres suos*), atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto, mortuus est. *Ibid.* 50. 24. 25.

Ascenderunt (*Moyses et Aaron juxta mandatum Domini*) in montem Hor, coram omni multitudine. Cùmque Aaron spo-

liâsset se vestibus suis induit eis (*Moyses*) Eleazarum filium ejus, *et Aaron mortuus est. Num.* 20. 27.

Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terrâ Moab, jubente Domino : et sepelivit eum (*Dominus*) : etc. et non cognovit homo sepulcrum ejus usquè in præsentem diem. *Deut.* 34. 5. 6.

Cùmque pergerent (*simul Elias et Eliseus*) — eccè currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque : et ascendit Elias per turbinem in cœlum. 4. *Reg.* 2. 11.

*David post instructionem filii sui Salomonis et orationem, quam fecit ad Dominum pro eo et pro toto populo*, mortuus est in senectute bonâ : plenus dierum et divitiis, et gloriâ. 1. *Par.* 29. 28. *Vide de morte Tobiæ, c.* 14. *et de morte Job c.* 42.

*Eleazarus post multa tormenta sibi illata*, è vitâ decessit, non solùm juvenibus : sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens. 2. *Mach.* 6. 31.

*Septem fratres cum piâ matre finem vitæ suæ miro modo imposuerunt, et plurima nobis virtutum reliquerunt exempla. Ibid. c.* 7. *per tot.*

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, *Luc.* 16, 22,

*Stephanus inter lapides videns cœlos apertos etc.* obdormivit in Domino. *Actor.* 7. 59.

*Mors corporis, justis est dormitio et quasi somnus.*

Dixitque Dominus ad Moysen : Eccè tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terrâ, ad quam ingreditur, ut habitet in eâ : ibi derelinquet me et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. *Deut.* 31. 16.

Cùmque completi fuerint dies tui (*David*), et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum (*filium tuum*) post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. 2. *Reg.* 7. 12. *Vide Sap.* 3. 3. *Item Actor.* 13. 36.

Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David. 3. *Reg.* 2. 10. *Vide c.* 11. 21.

Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo. *Ibid.* 11, 43.

Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt, et dormivit cum patribus suis. *Ibid.* 14. 20.

*Dicebat Jesus veniens in domum principis :* Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. *Matth.* 9. 24.

Et post hæc dixit eis (*Jesus discipulis suis*) : Lazarus ami-

cus noster dormit : sed vado ut à somno excitem eum. *Joan.* 11. 11.

Positis autem genibus, clamavit (*Stephanus*) voce magnâ, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino. *Actor.* 7. 59.

Ideò inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. 1. *Cor.* 11. 30.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent, etc. 1. *Thess.* 4. 12.

*Mortem nostram, suâ morte devicit Christus.*

Morte turpissimâ condemnemus eum. *Sap.* 2. 20.

Præcipitabit mortem in sempiternum : et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ : quia Dominus locutus est. *Isa.* 25. 8. *Vide Rom.* 6. 9.

Et nunc hæc dicit Dominus — Noli timere, quia redemi te, etc. *Ibid.* 43. 1.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, etc. *Ibid.* 53. 5. Et cum sceleratis reputatus est : et ipse peccata multorum tulit. *v.* 12. *Vide* 1. *Cor.* 15. 3.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne : consolatio abscondita est ab oculis meis. *Oseæ* 13. 14.

Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoriâ. 1. *Cor.* 15. 54.

Caritas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniàm si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jàm non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor.* 5. 14. 15.

Deus autem, qui dives est in misericordiâ, propter nimiam caritatem suam, quâ dilexit nos, et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. *Ephes.* 2. 4. *et seq.*

Manifestata est autem nunc (*gratia*) per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et incorruptionem per Evangelium. 2. *Tim.* 1. 10. *Vide Hebr.* 2. 14.

Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. 1. *Petr.* 3. 18. *Vide Rom.* 5. 6. *Hebr.* 9. 28.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et

mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. *Apoc.* 21. 4. *Vide c.* 7. 17.

*Mors gratiæ vitia extirpat.*

Quid ergò dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhùc vivemus in illo? An ignoratis, etc. *Rom.* 6. 1. *et seq.* Ità et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *v.* 11. *et* 12.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes. 2. *Cor.* 4. 10. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali. *v.* 11.

Vivo autem, jàm non ego: vivit verò in me Christus. *Gal.* 2. 20.

Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3. 5.

*Vitam præstat.*

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo, etc. *v.* 8.

Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, vita vestra: tunc et vos apparebitis cum ipso in glorià. *Coloss.* 3. 3. 4.

Nam si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

*Mors malorum.*

*Caïn, qui occidit fratrem suum, occisus est à Lamech. Gen.* 4. 23.

Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo: et subvertit *quinque civitates, detestabili peccato fœtentes. Ib.* 19. 24. 25.

*Sichem filius Hemor, qui oppressit Dinam filiam Jacob, interfectus est à filiis Jacob, unà cum omnibus masculis civitatis. Ibid.* 34. 25.

*Aquæ maris rubri cooperuerunt currus et equites cunctos exercitûs Pharaonis, nec unus quidem remansit; et quidem satis justè, ut cujus cor non potuit emolliri, corpus ejus in aquis totaliter mergeretur. Ex.* 14. 28.

*Israëlitæ in deserto murmurantes, et diversa committentes peccata, variis mortibus interierunt, ità ut de sexcentis millibus et ampliùs hominum pugnatorum duo tantùm, Josue scilicet et Caleb, terram promissionis intraverint. Ib.* 32. 28. *Num.* 11. 33. *c.* 14. 30.

*Nadab et Abiu filii Aaron, offerentes ignem alienum coram Domino, devorati sunt ab igne Domini, et interierunt. Lev.* 10. 1.

*Præcepto Domini, filii Israël eduxerunt blasphemum extra castra, ac lapidibus obruerunt. Ibid.* 24. 14.

*Core, Dathan, et Abiron, ac eorum complices, Moysi rebellantes,* descenderuntque vivi in infernum, operti humo, et perierunt. *Num.* 16. 33.

*Quoniàm Achan tulit furtivè de anathemate Jericho,* lapidavitque eum omnis Israël: et cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt. *Josue* 7. 25.

*Comprehenderunt filii Israël Adonibezec, ac cæsis* summitatibus manuum *ejus* ac pedum (*uti fecerat et ipse septuaginta regibus*), adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. *Judic.* 1. 6. 7.

Tulit itaque Jahel, uxor Haber, clavum tabernaculi — et defixit in cerebrum (*Sisaræ*) — qui soporem morti consocians, defecit, et mortuus est. *Ibid.* 4. 21.

*Si Zebee et Salmana servâssent fratres Gedeonis, pepercisset eis Gedeon; sed quia eos occiderunt, ipsi quoque à Gedeone occisi fuerunt. Ib.* 8. 19.

*Cùm audisset Heli, Arcam Domini esse captam,* cecidit de sellâ retrorsùm juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. 1. *Reg.* 4. 18.

*Superbum Goliath et blasphemum, David puer inermis, non habens usum armorum, gladio illius proprio interfecit. Ibid.* 17. 51.

*Adolescens, qui dixit se Saülem occidisse, jubente David occisus est, cùm putaret prospera nuntiare.* 2. *Reg.* 1. 15. *Vide et c.* 4. 10.

*Simile accidit duobus latronibus, qui caput Isboseth, filii Saül, attulerant ad David. Ib.* 4. 12.

*Amnon filius David oppressit sororem suam Thamar, et paulò post occisus est, jubente Absalom fratre suo, cùm comederet cum eo. Ibid.* 13. 29.

*Libidine dominandi, Absalom multùm afflixit patrem suum David; sed antequàm consilium suum perficeret, suspensus est* inter cœlum et terram. *Ibid.* 18. 9.

*Seba filius Bochri concitavit populum contra David, et fugiens in Abelam civitatem, ubi putabat se habiturum esse refugium et auxilium, decollatus fuit ibidem. Ibid.* 20. 22.

*Quamvis Joab fuisset miles strenuus et fidelis, quia tamen occidit duos viros proditoriè, jussus est occidi, præcipiente Salomone.* 3. *Reg.* 2. 29.

*Vulneratus in bello Achab, mortuus est vespere,* et linxerunt canes sanguinem ejus *in eodem loco, in quo linxerunt sanguinem Naboth, qui, dissimulante ipso Achab, cùm li-*

*berare eum deberet, et posset, lapidatus et mortuus est. Ibid.* 22. 38. *et c.* 21. 19.

*Cùm ascenderet Eliseus in Bethel, quidam pueri illudebant ei :* egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. *Reg.* 2. 24.

*Unus de ducibus, qui aderant cum rege Israël, noluit credere verbis Elisæi, futuram abundantiam prædicentis : in crastino verò* conculcavit eum *turba hominum, ad spolia concurrentium,* et mortuus est. *Ibid.* 7. 20.

*Benadad, rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Israël, fuit demùm ab Hazaël servo suo suffocatus. Ibid.* 8. 15.

*Videns Jehu Jezabel impiam, quæ fuit causa tot malorum, jussit eam præcipitari deorsùm; quæ fuit adeò equorum ungulis conculcata, ut licèt esset filia regis, non fuit tradita sepulturæ; tantùm enim calvaria capitis aderat, reliqua canes comederunt. Ibid.* 9. 33. *et* 35.

Athalia verò mater Ochoziæ — interfecit omne semen regium, *ut posset regnare super populum, et postmodùm turpiter interfecta fuit, jussu Joïadæ sacerdotis. Ibid.* 11. 1. *et* 16. *Item* 2. *Par.* 23. 15.

*Joas rex Juda malus et ingratus, qui Zachariam filium sacerdotis Joïadæ fecit crudeliter lapidari, posteà interfectus est à servis suis. Ibid.* 12. 20. *et* 21. *Item* 2. *Par.* 24. 25.

*Rex Assyriorum superbissimus, Sennacherib, et in Deum cœli blasphemus, postquàm de terrâ Juda confusus aufugit, à filiis suis interfectus fuit. Ibid.* 19. 37. *Item* 2. *Par.* 32. 21. *Tob.* 1. 24. *Isa.* 37. 38.

*Sedecias rex Juda malus apud Deum et homines, comprehensus est fugiens. Antè cujus oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi; deindè exoculatus fuit, et ductus in Babylonem, ubi miserabiliter mortuus est. Ibid.* 25. 7. *Item Jer.* 39. 6. 7. *et c.* 52. 10. 11.

*Multas terras cepit et destruxit Holophernes : tandem dormiens inebriatus, per manum mulieris capite truncatus fuit. Judith* 13. 10.

*Superbissimus Aman, qui faciebat se ab hominibus adorari, suspensus est in patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo. Esth.* 7. 10.

*Balthassar rex Babylonis non est correctus per exemplum Nabuchodonosor patris sui, qui antè eum fuerat mutatus in bestiam. Igitur in convivio vidit scripturam in pariete :* Mane, Thecel, Phares, — *statimque* eâdem nocte interfectus est, *et regnum ejus ad Medos et Persos translatum. Dan.* 4. 30. *et c.* 5. 25. *et seq.*

*Accusatores Danielis, jùbente Dario rege Persarum, missi sunt in lacum leonum, et*

*à leonibus devorati. Ib.* 6. 24. *Vide similem casum et historiam. c.* 14. 41.

Percussus est Alcimus *proditor* — et dissolutus est paralysi, nec ultrà potuit loqui verbum, et mandare de domo suâ. Et mortuus est — cum tormento magno. 1. *Mach.* 9. 55. 56.

*Contristatus rex Antiochus, eò quòd Andronicus injustè occiderat Oniam summum sacerdotem, occidi in eodem loco Andronicum jussit, quia nimiam impietatem commiserat.* 2. *Mach.* 4. 38.

Multis autem sacrilegiis in templo à Lysimacho commissis — congregata est multitudo adversùs *eum, et ipsum* secùs ærarium interfecerunt. *v.* 39. *et* 42.

*Jason impius, qui* proprium fratrem captivaverat — et qui multos de patriâ suâ expulerat, peregrè periit — et illamentatus, et insepultus *abjectus fuit. Ibid. v.* 26. *et c.* 5. 9. 10.

*Antiochus, qui* aliorum torserat viscera, *passus durum dolorem viscerum,* in montibus miserabili obitu vitâ functus est. *Ibid.* 9. 5. 6. *et* 28.

*Menalaüs, qui malitiosè obtinuit modico tempore sacerdotium, de altâ turri fuit præcipitatus in aggestum cineris. Ibid.* 13. 6.

*Homo ille dives, cujus ager uberes fructus attulit, cùm cogitaret destruere horrea sua et facere majora, credebat se adhuc multos vitæ suæ habere annos. Dominus autem illi ait:* Stulte, hâc nocte *morieris, etc. Luc.* 12. 20.

*Vide quoque terribilem historiam et exemplum de divite epulone, qui mortuus est, et sepultus in inferno. Ibid.* 16. 19. 22.

*Ananias et uxor ejus Saphira, qui fraudaverunt de pretio agri venditi, ad increpationem Petri terribiliter ambo expirarunt extemplò. Actor.* 5. 5. 10.

*Herodes sedens pro tribunali, et vestitus veste regali, concionabatur ad populum.* Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, et consumptus à vermibus, expiravit. *Ibid.* 12. 21. *et seq.*

*Mortem qui sibi intulerint.*

Qui (*scilicet Abimelech, cujus caput quædam mulier fragmine molæ eliserat ex turri quâdam excelsâ, in quam confugerant viri et mulieres à facie Abimelech*) vocavit citò armigerum suum, et ait ad eum : Evagina gladium tuum, et percute me : ne fortè dicatur, quòd à feminâ interfectus sim, etc. *Judic.* 9. 54.

Et apprehendens (*Samson*) ambas columnas, quibus innitebatur domus : alteramque

earum dexterâ, et alteram lævâ tenens, ait : Moriatur anima mea cum Philisthiim. *Ibid.* 16. 29. 30.

Dixitque Saül ad armigerum suum : Evagina gladium tuum, et percute me : ne fortè veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus : fuerat enim nimio terrore perterritus : arripuit itàque Saül gladium *suum*, et irruit super eum. Quod cùm vidisset armiger ejus, videlicet quòd mortuus esset Saül, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. 1. *Reg.* 31. 4. 5. *Item* 1. *Par.* 10. 4. 5.

Porrò Architophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam — et dispositâ domo suâ, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui. 2. *Reg.* 17. 23.

Videns autem Zambri, quòd expugnanda esset civitas (*Thersa*), ingressus est palatium, et succendit se cum domo regiâ : et mortuus est in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, et ambulans in viâ Jeroboam, et in peccato ejus, quo fecit peccare Israël. 3. *Reg.* 16. 18. 19.

Sed ob hoc accusatus (*Ptolemæus*) ab amicis apud Eupatorem, cùm frequenter proditor audiret, eò quòd Cyprum creditam sibi à Philometore deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus, etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. 2. *Mach.* 10. 13.

*Suggerente Alcimo, qui summo destitutus erat sacerdotio, Nicanor in Judæos missus à rege Demetrio, auditis Judæ præclaris facinoribus, amicitiam cum eo contraxit; quam postmodùm rege cogente solvens, dùm Judam nequit comprehendere, templi minatur eversionem, et senem Raziam Judæum magnanimum apprehendere conatur; qui dùm ab hostibus jàm se capiendum videret, elegit potiùs constantissimo animo sibi mortem inferre, quàm indigna pati ab hostibus, in quos propriis manibus sua intestina projecit.* 2. *Mach. c.* 14. Turbis autem irruere in domum ejus, et januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cùm jàm comprehenderetur, gladio se petiit, etc. *v.* 41. *et seq.*

Et projectis argenteis in templo, recessit (*Judas*) : et abiens, laqueo se suspendit. *Matth.* 27. 5.

Et hic quidem (*Judas*) possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera ejus. *Actor.* 1. 18.

*Mortuos lugere, quatenùs permittatur et prohibeatur.*

Et super mortuo (*ait Moyses Israëlitis*) non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas,

aut stigmata facietis vobis. *Lev.* 19. 28.

Filii estote Domini Dei vestri : non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. *Deut.* 14. 1.

Fleveruntque eum (*Moysen mortuum*) filii Israël in campestribus Moab, triginta diebus : et completi sunt dies planctûs lugentium Moysen. *Ibid.* 34. 8. *Vide et de Joseph. Gen.* 50. 3.

Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, omnesque viri, qui erant cum eo : et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usquè ad vesperam super Saül, et super Jonathan filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israël, eò quòd corruissent gladio. 2. *Reg.* 1. 11. 12.

Cùmque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner : flevit autem et omnis populus. *Ibid.* 3. 32.

Dixitque David : Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergò David, consolans eum per servos suos super patris interitu. *Ibid.* 10. 2.

Luxit ergò David filium suum (*Amnon*) cunctis diebus. *Ibid.* 13. 37.

Joab filius Sarviæ — misit Thecuam, et tulit indè mulierem sapientem : dixitque ad eam : Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jàm plurimo tempore lugens mortuum. *Ibid.* 14. 1.

Nuntiatum est autem Joab, quòd Rex (*David*) fleret et lugeret filium suum (*Absalom*) : et versa est victoria in luctum in die illâ omni populo, audivit enim populus in die illâ dici : Dolet Rex super filio suo. *Ib.* 19. 1. 2.

Supra mortuum plora ; defecit enim lux ejus : et supra fatuum plora ; deficit enim sensus, etc. *Eccli.* 22. 10. *Vide et versus sequentes.*

Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundùm judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius, etc. *Ibid.* 38. 16.

Et fleverunt eum (*scilicet Judam occisum*) omnis populus Israël planctu magno, et lugebant dies multos. 1. *Mach.* 9. 20.

Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jonathan, et eos, qui cum ipso fuerant, valdè : et luxit Israël luctu magno. *Ib.* 12. 52. *Vide c.* 13. 26.

Et cùm venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem, dicebat : Recedite, etc. *Matth.* 9. 23. 24.

Quam (*viduam scilicet, cujus unicus filius erat mortuus*) cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi : Noli flere. *Luc.* 7. 13.

Jesus ergò, ut vidit eam (*Mariam sororem Lazari*) plorantem, et Judæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit se ipsum. *Joan.* 11. 33. Et lacrymatus est Jesus. *v.* 35.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. *Actor.* 8. 2.

Exurgens autem Petrus, venit, cum illis (*scil. duobus viris eum rogantibus, ut veniret ad eos*). Et cùm advenisset, duxerunt illum in cœnaculum : et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas. *Ibid.* 9. 39.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent, etc. 1. *Thess.* 4. 13.

*Mortui revocantur ad vitam.*

Et clamavit ad Dominum (*Elias*), et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? etc. 3. *Reg.* 17. 20. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. *v.* 22.

Ingressus est ergò Eliseus domum, et eccè puer mortuus jacebat in lectulo ejus : ingressusque clausit ostium super se, et super puerum : et oravit ad Dominum, etc. 4. *Reg.* 4. 32. 35. At ille vocavit Giezi, et dixit ei : Voca Sunamitidem hanc (*viduam*). Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait : Tolle filium tuum, etc. *v.* 36.

Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. *Ibid.* 13. 21.

Et cum ejecta esset turba, intravit (*Jesus*) : et tenuit manum ejus. Et surrexit puella (*scilicet filia principis*). *Matth.* 9. 25.

Et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt (*scilicet in passione Christi*). *Ibid.* 27. 52.

Et tenens manum puellæ, ait illi (*Jesus*) : Thalita cumi, quod est interpretatum : Puella (tibi dico), surge. Et confestim surrexit puella, et ambulabat (*scilicet filia Jaïri Archisynagogi*). *Marc.* 5. 41. 42. *Item Luc.* 8. 54.

Quam (*viduam*) cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi : Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt. Et ait : Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. *Luc.* 7. 13. *et seq.*

Voce magnâ clamavit (*Jesus*) : Lazare, veni foràs. Et statim prodiit qui fuerat mor-

tuus ; ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. *Joan.* 11. 43. 44.

Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit ; et conversus ad corpus dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos : et viso Petro resedit. *Actor.* 9. 40.

Ad quem (*adolescentem Eutychum lapsum à tertio cœnaculo et mortuum*) cùm descendisset Paulus, incubuit super eum : et complexus, dixit : Nolite turbari ; anima enim ipsius in ipso est. *Ibid.* 20. 10.

*Mors est consolabilis miseris.*

Moritur doctus similiter ut indoctus. *Eccles.* 2. 16.

Unus ergò introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. *Sap.* 7. 6.

Melior est mors, quàm vita amara : et requies æterna, quàm languor perseverans. *Eccli.* 30. 17.

O mors ! bonum est judicium tuum homini indigenti ; et qui minoratur viribus, defecto ætate, etc. *Ib.* 41. 3. 4. *Vide versus sequentes.*

*Honorabilis bonis.*

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, etc. *Sap.* 3. 1.

Justus autem, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Ibid.* 4. 7.

Noli metuere judicium mortis. Memento quæ antè te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi : hoc judicium à Domino omni carni. *Eccli.* 41. 5.

Justus perit, et non est, qui recogitet in corde suo. —Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione suâ. *Isa.* 57. 1. 2.

Scimus enim, quoniàm si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. *Cor.* 5. 1.

Coarctor autem à duobus ; desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, etc. *Philipp.* 1. 23.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Apoc.* 14. 13.

*Horribilis malis.*

Mors peccatorum pessima. *Psal.* 33. 22.

Mortuo homine impio : nulla erit ultrà spes. *Prov.* 11. 7.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvavit impietas impium. *Eccles.* 8. 8.

Cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. *Eccli.* 10. 13.

O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in subtantiis suis : viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum ! *Ibid.* 41. 1.

*Lamentabilis cunctis.*

Supra mortuum plora, etc. *Eccli.* 22. 10.

Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies. *Ezech.* 24. 17. *Vide Eccli.* 38. 16.

*Mortuorum sepultura.*
Vide *Sepeliendi mortui.*

*Mortuorum suffragia.*
Vide *Purgatorium.*

MORTIFICATIO.

*Caïno à passione invidiæ occupato, ait Dominus :* Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. *Gen.* 4. 7.

*Magnâ opus fuit mortificatione, ut Abraham primò exiret de terrâ suâ, deindè ut immolaret quod carius in mundo habebat, nempè unigenitum suum filium. Ibid.* 12. 1. *et* 22. 2.

*Jacob mortificans se, innixus capite lapidi, vidit mysticam scalam. Ibid.* 28. 11. 12.

*Nazaræi abstinebant à vino, et omni, quod inebriare potest, per totam vitam. Num.* 6. 3.

Et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsùm, jacuit super terram, etc. *nec voluit surgere, et comedere cibum.* 2. *Reg.* 12. 16. 17.

Itàque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, etc. *Et ait : Dominus :* Quia igitur (*Achab*) humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. 29.

*David, vehementer sitiens, desiderabat aquam de cisternâ Bethlehem ; sed postquàm hæc fuit allata, noluit bibere,* sed magis libavit illam Domino, *eamque effudit in terram.* 1. *Par.* 11. 17. 18. *Vide* 2. *Reg.* 23. 15. 16.

Et clamavit omnis populus ad Dominum — et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, etc. *Judith.* 4. 8. 9. Et erat cinis super capita eorum, etc. *v.* 16.

*Judith, licet innocentis vitæ,* habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata — et festa domûs Israël. *Ibid.* 8. 6.

*Cùm promulgatus fuisset crudele edictum Assueri contra Judæos, Mardochæus* indutus est sacco, spargens cinerem capiti — In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis — planctus ingens erat apud Judæos, jejunium *et* ululatus, — sacco et cinere multis pro strato utentibus. *Esther.* 4. 1. 3.

*Job, licet nullius gravis culpæ conscius, de se testatur :* Ipse me reprehendo ; et ago pœnitentiam in favillâ et cinere. *Job* 42. 6.

*Quàm austeram vitam duxerit David, indicat ipse his ver-*

*bis :* Ego autem — induebar cilicio : humiliabam in jejunio animam meam. *Psal.* 34. 13.

Anticipaverunt vigilias oculi mei. *Psal.* 76. 5.

Cinerem tanquàm panem manducabam : et potum meum cum fletu miscebam. *Psal.* 101. 10.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* 2. 12.

*Innocentissimus Joannes Baptista, austerissimam in deserto duxit vitam, habens* vestimentum de pilis camelorum, — esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. *Matth.* 3. 4.

*Sic et Paulus dicit :* Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 27.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 2. *Cor.* 4. 10.

Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3. 5.

MULIER.

*Mulier bona Deum reverenter honorat.*

Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Prov.* 31. 30.

Fundamenta æterna super petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ. *Eccli.* 26. 24.

*Viro humiliter obtemperat.*

Mulier diligens, corona est viro suo : et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit. *Prov.* 12. 4.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in eâ cor viri sui, etc. *Ibid.* 31. 10. 11.

Noli discedere à muliere sensatâ et bonâ, quam sortitus es in timore Domini : gratia enim verecundiæ illius super aurum. *Eccli.* 7. 21.

Non zeles mulierem sinûs tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. *Ibid.* 9. 1. 2.

Beatus qui habitat cum muliere sensatâ. *Ibid.* 25. 11.

Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. *Ibid.* 26. 1. *et seq.* Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est, etc. *v.* 16. *et* 17. *Vide versus sequentes.*

Species mulieris exhilarat fa-

ciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. *Ib.* 36. 24.

*Ut amicus opportunè congruat cum amico, vir tamen et uxor concordes utrique præferendi sunt. Ibid.* 40. 23.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. *Ephes.* 5. 22. *Vide Coloss.* 3. 18.

Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, etc. *Petr.* 3. 1. Sanctæ mulieres — subjectæ *sunt* propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, etc. *v.* 5. *et* 6.

*Domum diligenter curat.*

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: et hauriet jucunditatem à Domino, etc. *Prov.* 18. 22.

Filia prudens hæreditas viro suo. *Eccli.* 22. 4.

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum domûs ejus, etc. *Ibid.* 26. 21. *Vide v.* 19.

Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adjutorium secundùm illum est, et columna ut requies. *Ibid.* 36. 26.

Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, etc. *Tit.* 2. 4. 5.

*Proximum ædificat honesto affatu.*

Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub linguâ tuâ. *Cant.* 4. 11.

Mulieres in ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, etc. 1. *Cor.* 14. 34.

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 1. *Tim.* 2. 11. Adam enim primus formatus est, deindè Eva: et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. *v.* 15. *et seq.*

*Modesto gestu, et incessu.*

Mulier gratiosa inveniet gloriam. *Prov.* 11. 16.

Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. *Eccli.* 26. 18. Columnæ aureæ, super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. *v.* 23.

Filii, et ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super hæc mulier immaculata computabitur. *Ibid.* 40. 19.

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. 1. *Cor.* 7. 14.

Vir quidem non debet velare caput suum: quoniàm imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim

vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideò debet mulier potestatem ( *scil. velamen* ) habere supra caput, propter Angelos. *Ibid.* 11. 7. *et seq.* Vos ipsi judicate : decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, etc. *v.* 13. *et seq.*

Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ, et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ : sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 1. *Tim.* 2. 9. 10.

Quarum ( *mulierum* ) non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, etc. 1. *Petr.* 3. 3.

*Mulierum fides.*

*Ruth adhæsit socrui suæ Noemi, dicens :* Populus tuus, populus meus, et Deus tuus, Deus meus. *Undè Booz posteà dixit ei :* Reddat tibi Dominus — plenam mercedem — ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth.* 1. 16. *et c.* 2. 12.

*Mulier vidua Sarepthana credidit verbis Eliæ Prophetæ, licèt rem satis difficilem illi prædixisset.* 3. *Reg.* 17. 14.

*Mundi creationem et corporum resurrectionem optimè confitebatur mirabilis illa mater, quæ septem filios torqueri uno die vidit, et ipsos ad moriendum pro Dei legibus fortiter animavit.* 2. *Mach.* 7. 23. *Vide totum Caput.*

*Sic etiam mulier Chananæa, nec longâ expectatione, nec durâ responsione destitit clamare ad Dominum; idcircò tandem audivit :* O mulier! magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. *Matth.* 15. 28.

*De resurrectione Domini legimus, multos viros dubitasse, et Dominum Jesum illorum incredulitatem, et cordis duritiam exprobrasse : de mulieribus autem nihil tale legitur; sed resurgens Dominus primò apparuit mulieri, scilicet Magdalenæ, et illa currens discipulis lugentibus nuntiavit. Ib.* 28. 17. *et Marc.* 16. 9. *et seq.*

*Circa mysterium Dominicæ Incarnationis fuerunt mulieres ad credendum promptiores, quàm viri. Nam Zacharias, pater Joannis Baptistæ, fuit incredulitatis ab Angelo redargutus. Luc.* 1. 20. *Elisabeth autem in adventu B. Virginis exclamavit :* Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? *v.* 43.

*Commendatur Beatissima Virgo, quæ credidit Angelo,*

*et dixit :* Eccè ancilla Domini : fiat mihi secundùm verbum tuum. *Ibid. v.* 38.

*Anna vidua Prophetissa*, loquebatur *de puero nato* omnibus, qui expectabant redemptionem Israël. *Ibid.* 2. 38.

*Mariæ Magdalenæ dixit Dominus :* Fides tua te salvam fecit : vade in pace. *Ibid.* 7. 50.

*Tantam fidem habebat ad Dominum mulier hæmorrhoïssa, ut sufficeret ei, si tantummodò tangeret fimbriam vestimenti ejus. Ideò meruit audire:* Fides tua salvam te fecit. *Ibid.* 8. 48. *Item Matth.* 9. 21. 22. *et Marc.* 5. 28. 34.

*Mulier Samaritana plenè confessa est, dicens:* Quia Messias venit, qui dicitur Christus. *Et posteà multi Samaritanorum crediderunt in Dominum, propter sermonem ejus. Joan.* 4. 25. 41.

*Confessio fidei Marthæ, quæ dixit* : Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Ibid.* 11. 27. *valdè similis fuit confessioni Petri :* Tu es Christus, Filius Dei vivi. *Matth.* 16. 16.

Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria — *audivit prædicationem Pauli, eique* Dominus aperuit cor — *et baptizata est*, et domus ejus. *Act.* 16. 14. 15.

*Commendat Apostolus fidem Rahab, quæ* non periit cum incredulis, *cò quòd excepit hospitio exploratores pacificè. Hebr.* 11. 31. *Confer Josue* 2. 3. *et Jacob.* 2. 25.

*Mulierum pietas et compassio.*

*Rebecca videns servum Abrahæ, hominem peregrinum et bibere petentem, sine morâ respondit :* Bibe, domine mi — quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. *Gen.* 24. 18. 19.

Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. *Exod.* 1. 17.

*Cernens filia Pharaonis* parvulum vagientem, miserta ejus, ait : De infantibus Hæbræorum est hic : *et faciens eum nutriri, in filium adoptavit. Ib.* 2. 6.

*Rahab meretrix audiens exploratores Josue ad mortem quæri, compassa est eis, et ipsos abscondens liberavit, et sanos remisit. Jos. c.* 2. *per tot.*

*Nuntii, euntes ad David, absconditi fuerunt in puteo et salvati per mulierem, quæ posuit velamen super os putei, et eos, qui quærebant, delusit.* 2. *Reg.* 17. 19.

*Duarum mulierum coram Salomone contendentium, illa pium cor habuit, quæ liti cedere voluit, quia ejus viscera super filium suum commota sunt.* 3. *Reg.* 3. 26.

*Vidua mulier Sarephtana fuit hospita Eliæ prophetæ, et hic apud illam sustentabatur. Ibid.* 17. 9.

*Mulier Sunamitis induxit*

*virum suum ad hoc, ut fieret in domo suâ Eliseo locus aptus ad manendum. 4. Reg. 4. 10.*

*Cùm occidisset Athalia* omne semen regium, *Josaba filia regis Joram tulit Joas unum de filiis regis, et abscondens, salvavit eum. Ib.* 11. 2.

*Esther compatiens populo suo, morti addicto, magno se exposuit periculo, et sic liberationem et sublimationem eorum obtinuit. Esther c. 5. per tot.*

*Mulier Chananæa miseriam filiæ suæ propriam reputabat, dicens :* Miserere mei, Domine fili David : filia mea malè à dæmonio vexatur. *Matth.* 15. 22.

*Mulieres studiosè obsequi voluerunt Jesu jacenti jàm in sepulcro. Marc.* 16. 2. *Matth.* 28. 1. *Luc.* 23. 55. 56. *et* 24. 1. *Joan.* 20. 1.

*Mulieres item ministraverunt Domino prædicanti, et per castella et civitates eunti. Luc.* 8. 2. 3. *Vide et c.* 10. 38. *de Marthâ.*

*Blasphemantibus miracula Domini Scribis et Pharisæis, mulier quædam devotè audiens verba ejus, extulit vocem, clamans :* Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. *Ibid.* 11. 27.

*Prætulit Dominus duo æra minuta pauperculæ viduæ, quæ misit in gazophylacium, muneribus divitum : quia plus ponderat Dominus mentis pietatem, quàm muneris quantitatem. Ibid.* 21. 2.

*Mulieres astiterunt Christo patienti, et sequebantur eum, dùm ad crucem duceretur, ab Apostolis derelictus. Ib.* 23. 27.

*Pietas B. Virginis Mariæ multùm apparet in hoc, quòd ad pauperes nuptias ire voluit, et deficiente vino, non requisita ab aliquo, sed ultrò sponsis miserta, dixit Filio :* Vinum non habent, *quod et ab ipso miraculosè obtinuit. Joan.* 2. 3.

*Ambulans per mundum Salvator, in domo Marthæ et Mariæ specialius hospitium legitur habuisse. Ibid.* 12. 2.

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus, etc. *Ibid.* 19. 25.

*Propter opera pietatis et eleemosynas, quas Thabita viduis faciebat, rogaverunt flentes Petrum, ut ad eam defunctam veniret. Et motus lacrymis eorum Petrus ponens genua, oravit, et eam suscitavit. Actor.* 9. 36.

*Exiens de carcere Petrus,* venit ad domum Mariæ matris Joannis, *qui cognominatus est Marcus. Undè patet* (*præcipuè quia ibi multi erant congregati orantes*), *piam fuisse istam et bonam mulierem, et hospitam discipulorum Domini. Ib.* 12. 12.

*Lydia purpuraria, credens ad prædicationem Pauli, et baptizata cum domo suâ,* deprecata est dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et ma-

nete : et coegit nos, *ait Lucas. Ibid.* 16. 15.

*Mulierum sapientia.*

*Sara prudenter deprehendit inter Isaac et Ismaëlem ludum non bonum : hinc dixit Dominus ad Abraham :* Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, etc. *Gen.* 21. 12.

*Sapientissimè procuravit Rebecca, ut Jacob benedictionem à patre, quæ debebatur primogenito, obtineret : et posteà fecit eum cautè iram Esaü declinare. Ibid.* 27. 5. *et* 42.

*Sapienter meretrix Rahab exploratores abscondit, et per hoc sè et totam domum suam à periculo mortis liberavit. Josue* 2. 4.

*Debbora judicavit populum, docuitque Barac filium Abinoem, quid facturus esset, ut populum Dei de manu Sisaræ liberaret. Judic.* 4. 4. 6.

*Sollicita fuit Noemi et astuta ad modum inveniendum, quo Ruth alienigena nurus sua nubere posset Booz inclyto et potenti. Ruth c.* 3. *per tot. Vide et c.* 4.

*Per sapientiam, eloquentiam, et liberalitatem suam Abigaïl viro suo Nabal vitam servavit, et regem David ab homicidio impedivit.* 1. *Reg.* 25. 23.

*Sapiens mulier Thecuitis induxit David ad hoc, ut filium suum Absalom exulem revocaret.* 2. *Reg.* 14. 2.

*Obsidente Joab civitatem Abelam, mulier quædam sapiens taliter locuta est Joab et populo, ut omnes ab obsidione recesserint. Ib.* 20. 16. *et* 22.

*Bethsabee mater Salomonis sapienter verbum proposuit coram rege David, ut filius ejus Salomon post eum regnaret.* 3. *Reg.* 1. 15. *et seq.*

*Magna sapientia fuit in reginâ Sabâ, quæ venit audire sapientiam Salomonis, et* tentare eum in ænigmatibus. *Ibid.* 10. 1. *Item* 2. *Par.* 9. 1.

*Miram sapientiam, prudentiam, et constantiam ostendit Judith, alloquendo populum, et decipiendo tyrannum. Judith à c.* 8. *usquè ad finem libri.*

*Esther cum magnâ sagacitate fecit petitionem suam, postquàm regem ad prandium invitaverat, et ille vino incaluerat. Esther* 7. 2.

*Mulierum fortitudo.*

*Barac nolebat ducere exercitum contra Sisaram, nisi Debbora iret cum eo.* Quæ dixit ad eum. Ibo quidem tecum, sed in hâc vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. *Judic.* 4. 9.

*Dixit Booz ad Ruth, quæ reliquerat patriam et Deos suos :* Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. *Ruth* 3. 11.

*Michol viriliter salvavit virum suum David, cum quæreretur ad mortem à Saül patre suo.* 1. *Reg.* 19. 11.

*Cùm vidisset Abigaïl virum suum Nabal durè respondisse nuntiis David, festinavit, et tulit diversa xenia, et David iratum placavit. Ibid.* 25. 18. *Vide totum Caput.*

*Supra modum autem fuit fortis et mirabilis mater illa, quæ pereuntes septem filios suos sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, et femineæ cogitationi masculinum animum inserebat.* 2. *Mach.* 7. 20. 21.

*Mulierum fallacia et astutia.*

*Occasione Hevæ deceptus est Adam, cùm de ligno vetito, ipsâ suadente, comedit. Gen.* 3. 6.

*Sara risit, auditâ promissione de conceptione filii: redargutâ autem à Domino ejus diffidentiâ, se ipsam mendaciter excusavit. Ib.* 18. 10. 15.

*Duæ filiæ Loth volentes ex patre suo concipere, cùm verbis eum fortassè ad hoc inducere non auderent, mediante vino consilium sunt executæ. Ibid.* 19. 31.

*Rebecca* pelliculasque hædorum circumdedit manibus (*Jacob*), et colli nuda protexit. *Ib.* 27. 16.

*Rachel patrem proprium, quærentem idola sua, fallax delusit. Ibid.* 31. 34. 35.

*Vide fallaciam et astutiam Thamar. Ibid.* 38. 13. *et seq.*

*Uxor Putipharis Joseph apud virum suum nequiter accusavit, ut se ipsam mendaciter excusaret, et sic se de Joseph impiissimè vindicavit. Ib.* 39. 16. *et seq.*

*Obstetrices Hebræorum, licet piam intentionem habuerint in reservatione puerorum, tamen Pharaonem mendacio fefellerunt. Exod.* 1. 19.

*Mulieres Moabitides filios Israël deceperunt, contra quos Balaam hariolus cum omnibus suis magicis artibus nihil profecerat. Num.* 25. 1.

*Rahab meretrix abscondit exploratores Josue, et eos, qui quærebant ipsos, fecit currere usquè ad vada Jordanis, dicens, quòd exierint de civitate, et nesciret, quò abierint. Josue* 2. 5.

Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. *Et posteà illum dormientem occidit. Judic.* 4. 18. 21.

*Uxor Samsonis, fundens ad eum lacrymas, dixit:* Odisti me — idcircò problema, etc. non vis mihi exponere: *quod tamen in damnum proprium Samson illi revelavit. Ibid.* 14. 16.

*Dalila molesta fuit Samsoni jugiter per multos dies*, spatium ad quietem non tribuens: *tandem victus fortissimus Samson, stultè aperuit ei arcanum. Ibid.* 16. 16.

*Michol intelligens, quòd Saül quæreret David virum suum ad mortem, fecit eum fugere, et posuit simulacrum super lectum ejusdem.* 1. *Reg.* 19. 12. 13.

*Mulieris Thecuitæ solertiâ et fallaciâ revocatur Absalom.* 2. *Reg.* 14. 4. *et seq.*

*Viri, qui nuntiare debebant David insidias Absalom, fuerunt positi in puteo : et mulier quædam ponens* velamen super os putei, quasi siccans ptisanas, *ipsos recessisse mentita est. Ib.* 17. 19. 20.

*Vide fallaciam meretricis mentientis.* 3. *Reg.* 3. 20.

*Fefellit Holophernem Judith, à cujus facie terra tremere videbatur, attamen fefellit piâ intentione. Judith c.* 10. *Vide et c.* 11.

*Herodes metuebat Joannem, sciens esse virum justum; et tamen Herodias adeò laboravit, ut fecerit illum in carcere decollari. Matth.* 14. 8. *Item Marc.* 6. 20. 27.

*Saphira uxor et Ananias maritus fallere voluerunt et decipere Petrum, fraudantes de agri pretio. Sed fallacia ista et mendacium gravissimè fuit punitum. Actor.* 5. 1. *et seq.*

### *Mulierum aviditas et concupiscentia.*

*Prima mulier vidit lignum pulchrum et delectabile, et statim sine deliberatione* tulit de fructu illius, et comedit. *Gen.* 3. 6.

*Sara licet esset bona, tamen culpabilem aviditatem liberos accipiendi satis manifestavit, dicens ad Abraham :* ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illâ suscipiam filios. *Ib.* 16. 2.

*Filiæ Loth potiùs voluerunt de patre liberos suscipere, quàm sine liberis permanere. Ib.* 19. 31. *et seq.*

Cernens autem Rachel, quòd infœcunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. *Ibid.* 30. 1.

Egressa est autem Dina — ut videret mulieres regionis illius. *Ibid.* 34. 1.

*Domina, cui serviebat Joseph, non expectavit, ut sollicitaretur ab eo; sed ipsum nimis procaciter incitavit. Ib.* 39. 7. 12.

*Anna, mater Samuelis, præ desiderio habendi liberos,* flebat, et non capiebat cibum. 1. *Reg.* 1. 7.

*Athalia mater Ochoziæ regis, concupiscens regnare super terram,* interfecit omne semen regium, *excepto Joas infantulo, qui furtim absconditus fuit.* 4. *Reg.* 11. 1. 2. *Vide* 2. *Par.* 22. 10. 11.

*Anna Tobiæ uxor* quotidiè exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum (*filium suum*), si

fieri posset, venientem. *Tob.* 10. 7. *Vide c.* 11. 5.

*Vide insatiabilitatem Esther, quæ non contenta cladibus in Susan peractis, petiit à rege, ut et sequenti die cædes renovaretur. Esther* 9. 12. 13.

*Mulier Chananæa sanitatem filiæ obtinuit multis precibus importunis. Matth.* 15. 22. *et seq.*

*Mater filiorum Zebedæi non expectavit, ut remuneraret filios Dominus secundùm merita, sed petiit antè tempus, unum poni ad dexteram Domini in regno suo, et alterum ad sinistram. Ibid.* 20. 21.

*Puella, nomine Rhode, intelligens pulsare Petrum ad januam,* præ gaudio (*et aviditate*) non aperuit, *sed relinquens Petrum foràs, cucurrit, et aliis in domo nuntiavit. Act.* 12. 13. 14.

*Mulierum stultiloquium.*

*Heva priùs legitur locuta fuisse cum serpente, quàm cum Deo adorando, vel cum viro suo. Gen.* 3. 2.

*Stultè Sara ridens locuta est, et iterùm stultè negavit, se risisse. Ibid.* 18. 12. *et seq.*

Cernens autem Rachel, quòd infœcunda esset — ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. *Quasi esset in ipsius Jacob potestate, de sterili fœcundam facere. Ib.* 30. 1. *Vide v.* 2.

*Uxor Samsonis, statim ut scivit solutionem ænigmatis viri sui, indicavit civibus suis in damnum mariti. Judic.* 14. 17.

*Cùm vidisset Dalila, quòd Samson* confessus ei esset, omnem animum suum, *in quo scilicet fortitudo sua sita esset, inimicos illius vocavit, et statim eis revelavit. Ib.* 16. 18.

*Quia David præ magnâ devotione saltaverat coram arcâ Domini, Michol stultè et ironicè dixit :* Quàm gloriosus fuit hodiè rex Israël ! 2. *Reg.* 6. 20.

*Stultè locuta est mulier illa, quæ coram Salomone de infante vivo rixata est :* Nec mihi, nec tibi sit (*filius*) sed dividatur. 3. *Reg.* 3. 26.

*Stultè respondit uxor Tobiæ, marito* : Manifestè vana facta est spes tua. *Tob.* 2. 22.

*Sarâ filiâ Raguelis, increpante ancillam justè, hæc impatienter et injuriosè respondit :* Ampliùs ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. *Ibid.* 3. 9.

*Audi stultam sententiam et loquelam uxoris Aman, dùm maritus ejus quereretur de Mardochæo : respondit enim :* Jube parari excelsam trabem — ut appendatur super eam Mardochæus. *Esther* 5. 14.

*Sedente Job in sterquilinio et saniem defluentem testâ radente,* dixit — illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ ? benedic Deo, et morere. *Sed illi Job benè et*

*discretè respondit :* Quasi una de stultis mulieribus locuta es. *Job* 2. 9. 10.

*Si non stultè, attamen quasi stultè locuta est Domino mater filiorum Zebedæi* : Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo : *nam et Christus hanc loquelam non approbavit. Matth.* 20. 21.

*Mulierum ornatus superfluus et curiosus.*

*Thamar, nurus Judæ filii Jacob, volens socerum allicere, ut ex illo conciperet*, depositis viduitatis vestibus, *ornavit se, et* assumpsit theristrum. *Gen.* 38. 14.

*Audito adventu Jehu, qui occiderat Joram regem Israël, Jezabel* depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum. 4. *Reg.* 9. 30.

*Testatur Judith, quòd ornamenta, quæ assumpsit, deceperint Holophernem.* Induit *enim* se vestimento lætitiæ — unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitrâ — ad decipiendum illum, etc. *Judith* 16. 8. *et seq.*

*De Esther legitur, quòd quandò debuit intrare ad regem*, non quæsivit muliebrem cultum, *sicut faciebant aliæ mulieres. Esther* 2. 15.

*Reprehensibilem habitum malæ mulieris describit Salomon :* Considero vecordem juvenem — et eccè occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas : garrula, et vaga, quietis impatiens, etc. *Prov.* 7. 7. 10. *et seq. Vide totum Caput.*

Averte faciem tuam à muliere comptâ. *Eccli.* 9. 8.

*Comminando dixit Propheta :* Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, — et mitras, et discriminalia, *et multa alia enumerat. Isa.* 3. 18. *et seq.*

Similiter et mulieres (*incedant*) in habitu ornato, cum verecundiâ, et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ. 1. *Tim.* 2. 9.

Quarum (*mulierum*) non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. 1. *Petr.* 3. 3.

*Mulier est viri adjutrix, et propter ipsum ex costâ ejus effecta.*

Faciamus ei (*homini*) adjutorium simile sibi, (*ait Creator*). *Gen.* 2. 18. Et ædificavit Dominus Deus costam (*Adæ*) — in mulierem, etc. *v.* 22.

Mulier autem gloria viri est. 1. *Cor.* 11. 7. Etenim non est creatus vir propter mulierem ; sed mulier propter virum. *v.* 9.

*Mulier mystica est Ecclesia tàm veteris, quàm novi Testamenti.*

Et levavi oculos meos, et vidi : et eccè duæ mulieres egredien-

tes, etc. *Zach.* 5. 9. *Confer. Apoc.* 12. 1. *et seq. per totum.*

*Mulierum officia.*

*Viris suis mulieres subjectæ esse debent, ipsis parere, et honorem deferre: nam mulieri dixit Deus:* Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Gen.* 3. 16.

*Debent sequi maritum quocumquè ierit, uti Sara. Ibid.* 12. 11.

*Sara, juxta mandatum Abrahæ mariti, reticet se esse uxorem ejus. Ibid. v.* 13.

Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum. *Ibid.* 24. 61.

*Lia et Rachel Jacob profugum spontè sequuntur. Ibid.* 31. 14. *et seq.*

*Similiter sequitur Moysen Sephora. Exod.* 4. 20.

Et apprehendentes parentes (*Saræ*) filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Tob.* 10. 12, 13.

*Maritum amore complecti debent mulieres, ut Michol David.* 1. 18. 28. *Vide Tit.* 2. 4.

*Mulieres velato capite orare debent.* 1. *Cor.* 11. 5.

Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. *Ibid.* 14. 34. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiâ. *v.* 35.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniàm vir caput est mulieris, etc. *Ephes.* 5. 22. 23. *Vide Coloss.* 3. 18. 1. *Petr.* 3. 1.

Mulier in silentio discat, cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio. 1. *Tim.* 2. 11. Mulier — salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate. *v.* 15.

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. *Ibid.* 3. 11.

Subjectæ (*sint mulieres*) propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, etc. 1. *Petr.* 3. 5. 6.

*Mulieres steriles, fœcundæ redditæ.*

*Sara uxor Abrahami. Gen.* 16. 1. *et c.* 21. 2.

*Rebecca uxor Isaac. Ibid.* 25. 21.

*Rachel uxor Jacob. Ibid.* 30. 1. *et v.* 22. 23.

*Uxor Manue, mater Samsonis. Judic.* 13. 2. 3. *et v.* 24.

*Anna mater Samuelis.* 1. *Reg.* 1. 2. *et v.* 5. 6. 20.

*Elisabeth mater Joannis Baptistæ. Luc.* 1. 7. *et v.* 24. 57.

*Mulier mala Deum contemnit.*

Ut eruaris à muliere alienâ, et ab extraneâ, quæ mollit sermones suos, et relinquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei

sui oblita est : inclinata est enim ad mortem domûs ejus, et ad inferos semitæ ipsius. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur nec apprehendent semitas vitæ. *Prov.* 2. 16. *et seq.*

Virum de mille unum reperi : mulierem ex omnibus non inveni. *Ergò mulierum probarum numerus rarissimus est. Eccles.* 7. 29.

Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. *Eccli.* 10. 22.

*Peccatum duxit initium à muliere,* et per illam omnes morimur. *Ibid.* 25. 33. *Vide totum caput.*

*Mulieres translatæ in Ægyptum, sacrificabant reginæ cœli. Jerem.* 44. 25.

*Virum offendit.*

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est, et impius. *Prov.* 18. 22.

Melius es sedere in angulo domatis (*scil. in pinnâ tecti*), quàm cum muliere litigiosâ, et in domo communi. *Ibid.* 21. 9. Melius est habitare in terrâ desertâ, quàm cum muliere rixosâ et iracundâ. *v.* 19.

Tecta perstillantia in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur. *Ibid.* 27. 15. *Vide et c.* 19. 1. 13.

Patrem et virum confundit audax (*mulier*). *Eccli.* 22. 5.

Omnis plaga tristitia cordis est : et omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis : et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris. *Ibid.* 25. 17. Non est caput nequius super caput colubri : et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et obcæcat vultum suum tanquàm ursus : et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto *v.* 22. *et seq.* Mulieris ira et irreverentia, et confusio magna. Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo. Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis mulier nequam. *v.* 29. *et seq. Vide reliquos versus hujus capitis.*

Dolor cordis, et luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypâ flagellum linguæ, omnibus communicans. *Ibid.* 26. 8. 9. *Vide et versus sequentes.*

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. *Coloss.* 3. 18.

*Proximum incendit procaci affatu.*

Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur

ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et (*lingua ejus*) acuta, quasi gladius biceps. Pedesejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, et investigabiles — Longè fac ab eâ viam tuam, et ne appropinques foribus domûs ejus. *Prov.* 5. 2. *et seq.*

Dic sapientiæ, soror mea es : et prudentiam voca amicam tuam, ut custodiat te à muliere extraneâ, et ab alienâ, quæ verba sua dulcia facit. De fenestrâ enim domûs meæ per cancellos prospexi, et video parvulos, considero vecordem juvenem, qui transit per plateam juxta angulum, et propè viam domûs illius graditur, in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine. Et eccè occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas : garrula, et vaga, etc. Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens, etc. *Ibid.* 7. 4. *et seq.* Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, et nescit, quòd de periculo animæ illius agitur. *v.* 21. *et seq. usq. ad finem.*

Mulier stulta, et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omninò sciens, sedit in foribus domûs suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo. *Ibid.* 9. 13. *et seq. Vide et reliquos versus.*

*Petulanti gestu.*

Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum suam, et apprehenderit verenda ejus : abscindes manum illius, nec flectêris super eam, ullâ misericordiâ. *Deut.* 25. 11. 12.

Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, etc. *Eccles.* 7. 27. *Vide totum versum.*

Manus debiles, et genua dissoluta, mulier, quæ non beatificat virum suum. *Eccli.* 25. 32.

Sicut boum jugum, quod movetur, ità et mulier nequam. Qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna : et contumelia, et turpitudo illius non tegetur, etc. *Ibid.* 26. 10. 11. *Vide et versus sequentes.*

Omnem masculum excipiet mulier. *Ibid.* 36. 23. *Multa invenies in Tit. Fornicatio.*

*Domum destruit.*

Sapiens mulier ædificat domum suam : insipiens extructam

quoque manibus destruet. *Prov.* 14. 1.

Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum : qui autem nutrit scorta, perdit substantiam ( *et animam suam* ). *Ibid.* 29. 3.

*Mulier mala summè cavenda.*

Quia mandatum lucerna est, etc. ut custodiant te à muliere malâ, et à blandâ linguâ extraneæ. Non concuspiscat, etc. *Prov.* 6. 23. *et seq.* Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? etc. Sic qui ingreditur mulierem, etc. 27. *et seq.*

*Os scorti profundus est hiatus, in quem cadet ille, cui Dominus irascitur. Ib.* 22. 14.

Ne dederis mulieribus substantiam tuam. *Ibid.* 31. 3.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, etc. *Eccli.* 19. 2. *Vide et c.* 25. 28.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. *Cor.* 7. 1.

Adolescentiores autem viduas, devita. 1. *Tim.* 5. 11. *Vide versus sequentes.*

*Sollicitè custodienda.*

*Uxorem ex sententiâ nactus; ne repudies : nec te permittas odiosæ.* Mulier si est tibi secundùm animam tuam, non projicias illam : et odibili non credas te. *Eccli.* 7. 28.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris, etc. *Ibid* 9. 2. *Vide versus sequentes usq. ad* 14.

Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum : nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundit te in conspectu inimicorum. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur. *Ibid.* 25. 34. *et seq. Vide versus præcedentes.*

Super mulierem nequam bonum est signum. *Ibid.* 42. 6.

Ab eâ, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. *Mich.* 7. 5.

MULTILOQUIUM.

*Vide et* LOQUACITAS.

In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prov.* 10. 19.

Orantes autem, nolite multùm loqui, sicut Ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. *Matth.* 6. 7.

MULTITUDO.

*Multitudo Dei auxilio non anteponenda.*

*Expugnat Josuë regem Jabin, cum aliis plurimis regibus ac populis. Josuë c.* 11. *Sic vide victoriam Gedeonis, Judic. c.* 7.

*Asa regem Æthiopum Zaram cum exercitu immenso, divino auxilio concidit ad internecionem. 2. Paral.* 14. 12.

*Josaphat oratione jejunio junctâ, et soli Deo fidens, vicit*

*Moabitas et Ammonitas. Ib.* c. 20.

Cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, etc. *Ibid.* 24. 24.

Nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem — multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Cùm illo enim est brachium carneum : nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis, etc. *Ib.* 32. 7. 8.

Non timeo millia populi circumdantis me. *Psal.* 3. 7.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? etc. *Psal.* 26. 1. In die malorum protexit me — et exaltavit caput meum super inimicos meos. *v.* 5. 6.

Facile est concludi multos in manu paucorum : et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis : quoniàm non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, etc. 1. *Mach.* 3. 18. 19. *Vide Tit. Bellum.*

MUNDITIES.

*Mundities cordis.*

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, etc. *Psal.* 23. 4. 5.

Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psal.* 50. 12.

Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde ! *Psal.* 72. 1.

Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt. *Matth.* 5. 8.

Animas vestras castificantes in obedientiâ caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentiùs. 1. *Petr.* 1. 22.

*Mundities exterior et interior commendatur.*

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis : intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ. *Matth.* 23. 25. *Item. Luc.* 11. 39.

Has ergò habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. *Cor.* 7. 1.

*Imperatur.*

Nolite contaminare animas vestras. *Levit.* 11. 43.

Docebitis ergò filios Israël, ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis. *Ibid.* 15. 31.

Perfectus eris, et absque maculâ cum Domino tuo. *Deut.* 18. 13.

Lavamini, mundi estote, etc. *Isa.* 1. 16.

Lava à malitiâ cor tuum, Jerusalem, etc. *Jerem.* 4. 14.

Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis : et ego recipiam vos : et ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. 2. *Cor.* 6. 17. 18.

*Remuneratur.*

Salvabitur innocens; salvabitur autem in munditiâ manuum suarum. *Job.* 22. 30.

Et ero immaculatus cum eo: — Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam : et secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. *Psal.* 17. 24. 25. *Vide et v.* 21.

Quis ascendet in montem Domini ? — Innocens manibus et mundo corde. *Psal.* 23. 3. 4.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentiâ. *Psal.* 83. 13.

Novit Dominus dies immaculatorum—Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur. *Psal.* 36. 18. 19.

Beati immaculati in viâ. *Psal.* 118. 1. Fiat cor meum immaculatum. *v.* 80.

Perversa via viri, aliena est (*à Deo*) : qui autem mundus est, rectum opus ejus. *Prov.* 21. 8.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Ibid.* 22. 11.

Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt. *Mat.* 5. 8.

Sicut elegit nos in ipso (*Christo*), antè mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4.

Si quis ergò emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. 2. *Tim.* 2. 21.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt antè thronum Dei, etc. *Apoc.* 7. 14. 15.

Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni. *Ibid.* 22. 14.

*A Deo datur.*

Nunquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir ? etc. *Job* 4. 17.

Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me, etc. *Ibid.* 9. 30. 31.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? Nonne tu, qui solus es ? *Ibid.* 14. 4. *Vide Psal.* 50. 4.

Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere ? Eccè inter sanctos ejus nemo immu-

tabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. *Ibid.* 15. 14. 15.

Ab immundo quid mundabitur? et à mendace quid verum dicetur? *Eccli.* 34. 4.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, et spiritu ardoris. *Isa.* 4. 4.

Et convertam conversionem Juda — et emundabo illos ab omni iniquitate suâ, in quâ peccaverunt mihi : et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, etc. *Jerem.* 33. 7. 8.

Et lavi te aquâ, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, etc. *Ezech.* 16. 9.

Multo labore sudatum est, et non exivit de eâ nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis : quia mundare te volui, et non es mundata à sordibus tuis : sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te. *Ibid.* 24. 12. 13.

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11.

Has ergò habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. *Cor.* 7. 1.

Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 1. *Thess.* 4. 7.

Qui (*Christus*) cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, etc. *Hebr.* 1. 3.

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? *Ib.* 9. 13. 14. *Vide* 1. *Joan.* 1. 7.

Qui (*Christus*) dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. *Apoc.* 1. 5. *Vide.* 1. *Petr.* 1. 19.

### *Munditia ficta acriter reprobatur.*

Audite et intelligite : Non quod intrat in os coinquinat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Matth.* 15. 10. 11. *Vide Marc.* 7. 15.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, et paropsidis : intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. *Ibid.* 23. 25. 26. *Vide et v. seq.*

Pharisæi enim, et omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum : et à foro (*venientes*), nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, urceorum, et æramentorum, et lectorum. *Marc.* 7. 3. 4.

Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis : quod autem intùs est vestrûm plenum est rapinâ, et iniquitate — Verumtamen, quod superest, date eleemosynam : et eccè omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11. 39. 41.

MUNDUS.

*Mundus piis contemnendus est.*

Nolite conformari huic sæculo, etc. *Rom.* 12. 2. *Vide et Joan.* 15. 18. *et c.* 16. 33. 2. *Petr.* 1. 4.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Galat.* 6. 14.

Quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss.* 3. 2.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, etc. 1. *Joan.* 2. 15.

*Mundi amor et amicitia, valdè noxia, à Deo avertunt.*

Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? *Psal.* 4. 3.

Odisti (*Domine*) observantes vanitates supervacuè. *Psal.* 30. 7.

Quoniàm Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. *Psal.* 52. 6.

Levate in cœlum oculos vestros, et videte sub terrâ deorsùm : quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : Salus autem mea in sempiternum erit, etc. *Isa.* 51. 6.

Væ cùm benedixerint vobis homines : secundùm hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum. *Luc.* 6. 26.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum. *Joan.* 14. 16. 17.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Ibid.* 15. 18. 19.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. 2. *Tim.* 2. 4.

Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergò voluerit

amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Jacob.* 4. 4.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. 1. *Joan.* 2. 15. *Vide c.* 3. 13.

*Lætitia modum pervertit.*

Qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur: præterit enim figura hujus mundi. 1. *Cor.* 7. 31.

Et mundus transit, et concupiscentia ejus. 1. *Joannes* 2. 17.

Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum (*Deum*). *Ibid.* 3. 1.

*Mundi malitiam fides subvertit.*

Qui vocavit nos propriâ gloriâ et virtute, per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. *Petr.* 1. 3. 4.

Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, etc. 1. *Joan.* 2. 16.

Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, etc. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniàm Jesus est Filius Dei? *Ibid.* 5. 4. 5.

*Mundi Prosperitas.*
Vide *Prosperitas mundana.*

MUNUS.

*Munerum acceptio periculosa.*

Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abraham. *Gen.* 14. 23.

Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. *Exod.* 23. 8. *Vide Deut.* 16. 19.

Perrexeruntque seniores Moab — habentes divinationis pretium in manibus. *Num.* 22. 7. *Vide totum contextum. Item c.* 24. 13.

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. *Deut.* 27. 26. *Vide exemplum, Judic.* 16. 5.

Sed declinaverunt (*filii Samuel*) post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3. *Vide. c.* 12. 3. 4. 5.

*Giezi munera accipiens, leprosus fit.* 4. *Reg.* 5. 23. 27.

Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job* 15. 34.

Non te ergò superet ira — nec multitudo donorum inclinet te. *Ibid.* 36. 18.

Qui — munera super innocentem non accepit — non movebitur in æternum. *Ps.* 14. 5.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. *Psal.* 25. 10.

Conturbat domum suam, qui

sectatur avaritiam : qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15. 27. *Vide Isa.* 33. 15. *Item Actor.* 20. 35.

Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. *Ibid.* 17. 23. *Vide et c.* 22. 9.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. *Eccli.* 4. 36.

Xenia et dona excæcant oculos judicum, etc. *Ibid.* 20. 31.

Donec accipiant, osculantur manus dantis, etc. *Ibid.* 29. 5. *Vide Isa.* 1. 23.

Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et Prophetæ ejus in pecuniâ divinabant, *propterea Jerusalem vastabitur. Micheæ* 3. 11. *Vide Ezech.* 22. 27. *Soph.* 3. 3.

*Milites pecuniâ corrumpuntur. Matth.* 28. 12. *Confer v.* 15. 15. 1. *Mach.* 2. 18. *Actor.* 8. 20. *Judæ* 16.

*Munerum oblationis et exhibitionis exempla.* Vide etiam *Acceptatio Munerum.*

*Rex Sodomorum Abrahæ. Gen.* 14. 21.

*Jacob Esaü fratri suo. Ibid.* 33. 9.

*Jacob Josepho munera mittit. Ibid.* 43. 11.

*Israëlitæ munera offerunt ad tabernaculum. Exod.* 35. 21. *et seq.*

*Aod Regi Eglon munera dat. Judic.* 3. 17.

*Regina Saba Salomoni, et idem ipsi Reginæ.* 3. *Reg.* 10. *et* 15.

*Asa Regi Benadad. Ibid.* 15. 18.

*Rex Babyloniorum Regi Ezechiæ.* 4. *Reg.* 20. 12.

*Achaz Regi Assyriorum.* 2. *Paral.* 28. 21.

*Bethuliani Judith. Judith* 15. 14.

*Magister militiæ Jeremiæ. Jerem.* 40. 5.

*Nabuchodonosor Danieli. Dan.* 2. 48.

*Jonathas Alexandro et Ptolemæo.* 1. *Mach.* 10. 60.

*Magi Christo. Matth.* 2. 11.

*Munerum recusationis in tempore à piis factæ exempla.*

*Abraham nihil accepit à Rege Sodomorum, ne diceret, se ditasse ipsum. Gen.* 14. 23.

Responditque vir Dei ad regem (*Jeroboam*) : Si dederis mihi mediam partem domûs tuæ, non veniam tecum. 3. *Reg.* 13. 8.

*Ità etiam Eliseus nihil accepit à Naaman Syro, quem sanaverat.* 4. *Reg.* 5. 16.

*Respondit Daniel Regi Nabuchodonosor :* Munera tua sint tibi, et dona domûs tuæ alteri da. *Dan.* 5. 17. *Vide et exemplum generosum,* 1. *Mach.* 2. 18.

*Dixit Petrus Simoni mago :* Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniàm donum Dei existimasti pecuniâ possideri. *Actor.* 8. 20.

MURMURATIO.

*Murmurationis, ejusdemque pœnæ, dicta, et exempla.* Vide et *Impatientia.*

Dixitque Caïn ad Dominum : Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear, etc. *Gen.* 4. 13.

*Murmuraverunt Israëlitæ contra Pharaonem. Exod.* 5. 15. *Et contra Moysen et Aaron. v.* 21.

Et dixerunt ad Moysen (*filii Israël, videntes Pharaonem et Ægyptios appropinquare*) : Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos, ut moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? etc. *Ib.* 14. 11.

Et murmuravit populus (*Israël*) contra Moysen, dicens : Quid bibemus? *Ibid.* 15. 24. *Vide c.* 16. 2.

Et mane videbitis (*dixerunt Israëlitis Moyses et Aaron*) gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate : eò quòd audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum : nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. *Ibid.* 16. 7. 8.

Qui jurgatus (*populus Israël*) contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ib.* 17. 2. *Vide et versum sequentem. Item Num.* 20. 3. *et seq.*

Intereà ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum : quod cùm audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. *Num.* 11. 1. *Vide Psal.* 77. 19.

Iratusque (*Dominus*) contra eos (*Aaronem et Mariam*), abiit : nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum : et eccè Maria apparuit candens leprâ, quasi nix (*scilicet in pœnam peccati*). *Ibid.* 12. 9. 10. *Vide c.* 13. 31. *c.* 14. 2. 27. *et* 36. *c.* 16. 3. 49. *c.* 20. 3.

*Post terribilem mortem seditiosorum, multitudo murmuravit contra Moysen et Aaron*, dicens : Vos interfecistis populum Domini, etc. *Num.* 16. 41. *Vide versum sequentem.*

Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jàm nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te : ora, ut tollat à nobis serpentes.

*Ibid.* 21. 5. *et seq. Vide Josue* 9. 18. *Judith* 8. 10.

Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis : Odit nos Dominus, et idcircò eduxit nos de terrâ Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. *Deut.* 1. 27.

Custodite ergò vos à murmuratione, quæ nihil prodest, et à detractione parcite linguæ, quoniàm sermo obscurus in vacuum non ibit : os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1. 11.

Pharisæi dicebant discipulis ejus (*Christi*) : Quarè cùm publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? *Matth.* 9. 11. *Vide et c.* 12. 2. *et c.* 15. 2. *Item Marc.* 2. 6. *et* 24. *c.* 7. 5. *Luc.* 5. 30. *et c.* 6. 2.

*Mercenarii* murmurabant adversùs patrem familiâs, dicentes : Hi novissimi unâ horâ fecerunt, etc. *Ib.* 20. 11. 12.

*Indignati discipuli, dixerunt :* Ut quid perditio hæc, etc. *Ibid.* 26. 8. *Vide Marc.* 14. 4. 5. *Joan.* 12. 5.

Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. *Luc.* 15. 2. *Vide c.* 19. 7.

Murmurabant ergò Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, etc. *Joan.* 6. 41. Respondit ergò Jesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem. *v.* 43. *Vide et c.* 7. 12. 32. *Actor.* 6. 1.

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt; et perierunt ab exterminatore. 1. *Cor.* 10. 10.

Omnia autem facite sine murmurationibus, et hæsitationibus. *Philipp.* 2. 14. *Vide et* 1. *Petr.* 4. 9.

Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstûs causâ. *Judæ v.* 16.

### MUSICA.

*Musica instrumenta in divinis celebrandis laudibus adhibenda.*

David autem et omnis Israël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis. 2. *Reg.* 6. 5. *Item* 1. *Paral.* 13. 8.

Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. 1. *Paral.* 15. 16. *Vide et versus sequentes. Item c.* 25. 1. 6.

Cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant (*Levitæ et cantores*), stantes ad orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti

canentes tubis. Igitur cunctis pariter et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longè sonitus audiebatur, ità ut cùm Dominum laudare cœpissent et dicere : Confitemini Domino, etc. 2. *Paral.* 5. 12. *Vide c.* 29. 25.

Confitemini Domino in citharâ : in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum novum : benè psallite ei in vociferatione. *Psal.* 32. 2. *et* 3. *Vide Psal.* 36. 9. 70. 22. 80. 3. 91. 4. 97. 5. *et* 6. 107. 3. 143. 9. 146. 7. 149. 3. 150. 3. 4. *et* 5.

MUTUATIO.

*Mutuatio fructuosa.*

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit : non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum ; sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. *Deut.* 15. 7. 8.

Volenti mutuari à te, ne avertaris. *Matth.* 5. 42.

Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.—Mutuum date, nihil indè sperantes : et erit merces vestra multa. *Luc.* 6. 34. 35.

*Periculosa.*

Mutuabitur peccator, et non solvet. *Psal.* 36. 21.

Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. *Prov.* 22. 7.

*Negligentia.* Vide *Acedia.*

NEGOTIATIO.

*Vide et* EMERE *et* VENDERE.

*Negotiationis corporalis periculum.*

Duæ species difficiles, et periculosæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians à negligentiâ : et non justificabitur caupo à peccatis labiorum. *Eccli.* 26. 28.

Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum. *Ib.* 27. 2.

In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam, etc. *Ezech.* 28. 18. *Vide v.* 16.

*Æquitas.*

Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cùm recesserit, tunc gloriabitur. *Prov.* 20. 14.

Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. 1. *Thess.* 4. 6.

*Negotiantium exempla.*

Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum : nego-

tientur in terrâ, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget. *Gen.* 34. 21.

Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus — vendiderunt eum (*fratres Joseph*) Ismaëlitis, etc. *Ibid.* 37. 28.

Adducebantur autem ei equi de Ægypto, et de Goa, à negotiatoribus regis, qui ibant et emebant pretio — similiter de universis regnis Hethæorum, etc., emptio celebrabatur. 2. *Paral.* 1. 16. 17. *Item* 3. *Reg.* 10. 28. 29.

Et manserunt negotiatores et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis. 2. *Esdr.* 13. 20.

Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? *Isa.* 23. 8.

Carthaginenses negotiatores tui, à multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas, etc. *Ezech.* 27. 12. *et seq. Vide totum Caput.*

*Christus ejiciebat è templo omnes negotiatores profanantes illud. Matth.* 21. 12. *Vide Marc* 11. 15. *Luc.* 19. 45. *Joan.* 2. 14. *et seq. Vide et Apoc.* 18. 11. *et seq.*

*Nequitia.* Vide *Malitia.*

NOMEN.

*Nominis Dei invocatio fructuosa.*

Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Prov.* 18. 10.

Omni vitâ tuâ dilige Deum, et invoca illum in salute tuâ. *Eccli.* 13. 18.

Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. *Isa.* 43. 6. 7.

Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum (*Domine*), qui consurgat, et teneat te. *Ibid.* 64. 6. 7.

Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. *Jerem.* 14. 9.

Et erit : omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Joel.* 2. 32.

Quid tu sopore deprimeris? surge : invoca Deum tuum. *Jonæ.* 1. 6.

Ab ortu enim solis usquè ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, etc. *Malach.* 1. 11.

Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum, etc. *Rom.* 10. 12. *Vide et Actor* 2. 21.

*Infructuosa.*

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit

voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7. 21. *Vide c.* 25. 11.

Et discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini. 2. *Tim.* 2. 19.

*Nominis Dei frequentatio periculosa.*

Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustrà, quia etc. *Deut.* 5. 11. *Vide Exod.* 20. 7. *Levit.* 19. 12.

Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, etc. *Eccli.* 23. 10.

*Sicut servus crebrò vapulatus non levatur à vibicibus: ità qui dejerat, et nomen Dei assiduè usurpat, culpâ non vacabit. Ibid. v.* 11.

*Nominum impositionis exempla.*

*Heva, Gen.* 3. 20. *Seth, c.* 4. 25. *Noe, c.* 5. 29. *Ismaël, c.* 16. 11. *Sara, c.* 17. 15. *Isaac, v.* 19. *Moab, c.* 19. 37. *Ammon, v.* 38. *Esaü et Jacob, c.* 25. 25. *Ruben, c.* 29. 32. *Simeon, v.* 33. *Levi, v.* 34. *Juda, v.* 35, *Joseph, c.* 30. 24. *Benjamin, c.* 35. 18. *Manasses, c.* 41. 51. *Ephraïm, v.* 52. *Moyses, Exod.* 2. 10. *Gersam et Eliezer, v.* 22. *et c.* 18. 3. *Samuel,* 1. *Reg.* 1. 20. *Lorihamo* (*absque misericordiâ*), *Oseæ* 1. 6. *Loammi* (*non populus meus*), *v.* 9. *Jesus, Matth.* 1. 21. *et Luc.* 1. 31. *et c.* 2. 21. *Joannes, Luc.* 1. 60. *et* 63.

NOVISSIMA.

*Novissimorum memoria à malo revocat.*

Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent! *Deut.* 32. 29.

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. *Eccles.* 11. 8.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Eccli.* 7. 40.

Memento novissimorum, et desine inimicari. *Ibid.* 28. 6. *Vide c.* 38. 21.

*Ad bonum incitat.*

In die bonorum, ne immemor sis malorum: et in die malorum ne immemor sis bonorum: quoniàm facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas. *Eccli.* 11. 27. 28.

Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione facies. *Ibid.* 18. 24.

Ne dederis in tristitiâ cor tuum; sed repelle eam à te, et memento novissimorum. *Ib.* 38. 21. Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum. Mihi heri, et tibi hodiè. *v.* 23.

Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. *Isa.* 47. 7.

NOVUM TESTAMENTUM.

Eccè dies venient, dicit Dominus; et feriam domui Israël et domui Juda fœdus novum. *Jer.* 31. 31.

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* 26. 28. *Idem verbatim habetur Marc.* 14. 24. *Item Luc.* 22. 20.

Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. 1. *Cor.* 11. 25.

Vituperans enim eos dicit: Eccè dies venient, dicit Dominus: et consummabo super domum Israël, et super domum Juda testamentum novum. *Hcb.* 8. 8. *Vide et versus sequentes usquè ad finem.*

Et ideò novi testamenti mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. *Ibid.* 9. 15. *Vide Galat.* 3. 15.

Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus; dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas: et peccatorum, et iniquitatum eorum jàm non recordabor ampliùs. *Ibid.* 10. 16. 17. *Vide et v.* 29. *Item c.* 13. 20.

NOVUM CŒLUM ET NOVA TERRA POST MUNDI INNOVATIONEM.

Eccè enim ego creo cœlos novos et terram novam: — et non ascendent super cor. *Isa.* 65. 17.

Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. *Ibid.* 66. 22.

Novos verò cœlos, et novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. 2. *Petr.* 3. 13.

Et vidi cœlum novum et terram novam, etc. *Apoc.* 21. 1.

NUBES.

*Deus in nube apparet Moysi, Exod.* 19. 9. 16. *c.* 24. 15. 16. *et* 18. *c.* 33. 9. *Item Num.* 11. 25. *c.* 12. 10. *Nubes tabernaculum operit, ibid.* 40. 34. *et seq. Item Num.* 9. 15. *et seq. Deus in nube super oraculum appariturus, Levit.* 16. 2. *Nubes rore concrescunt, Prov.* 3. 20. *Nubes in occasu orta pluviæ signum. Luc.* 12. 54. *et Matth.* 16. 3. *Nubis candidæ visio. Apoc.* 14. 14.

NUDITAS.

*Nuditas spiritualis.*

Prohibe pedem tuum à nuditate. *Jerem.* 2. 25.

Eras nuda, et confusione plena. *Ezech.* 16. 7. *Vide et v.* 22. *et* 39. *Item c.* 23. 29. *Oseæ* 2. 3. *Nahum* 3. 5.

Et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus, etc. *Apoc.* 3. 17.

Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. *Ibid.* 16. 15.

*Nudi vestiendi.*

Vide et *Misericordia.*

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7. *Vide Tob.* 1. 20. *Ezech.* 18. 7. 16. *Matth.* 25. 35. 38.

NUNTIUS.

*Nuntius bonus.*

Legatus autem fidelis, sanitas. *Prov.* 13. 17.

Sicut frigus nivis in die messis, ità legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. *Ibid.* 25. 13. Aqua frigida anima sitienti, et nuntius bonus de terrâ longinquâ. *v.* 25.

*Nuntii boni exempla.*

*Rebecca, Gen.* 24. 28. *Rachel, c.* 29. 12. *Filii Jacob, c.* 45. 26. *Judas, c.* 46. 28. *Uxor Manue, Judic.* 13. 10. *Jonathas et Achimaas, 2. Reg.* 17. 17. 21. *Nuntius Elisei, 4. Reg.* 5. 10. *Leprosi, c.* 7. 9. *et seq. Nuntii Ezechiæ, 4. Reg.* 18. 14. *Item 2. Paral.* 30. 5. *Ancilla Annæ, Tob.* 8. 16. *Uxor Tobiæ, c.* 11. 6. *Mulieres resurrectionem Christi annuntiantes, Matth.* 28. 8. *Angelus in nativitate Christi, Luc* 2. 10. *Septuaginta duo Discipuli, c.* 10. 17. *Rhode, Actor* 12. 14. *Petrus, v.* 17.

*Nuntius malus.*

Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. *Prov.* 10. 26.

Nuntius impii cadet in malum. *Ibid.* 13. 17.

Claudus pedibus, et iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum. *Ib.* 26. 6.

*Nuntii mali, tristis et infelicis exempla.*

*Cham, Gen.* 9. 22. *Rebeccæ. c.* 27. 42. *Jacobo, c.* 37. 32. *Judæ, c.* 38. 24. *Josepho, c.* 48. 1. *Pharaoni, Exod.* 14. 5. *Regi Jerichuntis, Jos.* 2. 2. *Sisaræ, Judic.* 4. 12. *Joatham, c.* 9. 7. *Vir de Benjamin,* 1. *Reg.* 4. 12. *et seq. Uxori Phinees v.* 19. *Samueli, c.* 15. 12. *Jonathas, c.* 19. 2. *Saüli, c.* 24. 2. *Abigali c.* 25. 14. *Amalecita, 2. Reg.* 1. 2. *et seq. Joabo, c.* 3. 23. *Rechab et Baana, c.* 4. 8. *Davidi, c.* 10. 5. 17. *c.* 11. *per tot. c.* 12. 18. 27. *c.* 15. 12. 31. *Chusi, c.* 18. 32. *Gad, c.* 24. 13. *Salomoni,* 3. *Reg.* 1. 51. *c.* 2. 29. 41. *Achabo, c.* 19. 1. *Eliæ, v.* 2. *Ochosiæ, 4. Reg.* 1. 5. *Minister Elisei, c.* 6. 15. *Regi As-*

*syriorum, c.* 17. 26. *Ezechiæ, c.* 18. 37. *Josaphat*, 2. *Paral.* 20. 2. *Nehemiæ*, 2. *Esdr.* 1. 3. *Eunuchi Esther*, *Esth.* 4. 4. *per tot. Nuntii Jobi, Job* 1. 14. *et seq. Ezechiæ*, *Isa.* 38. 1. *Nuntii de Galilæâ*, 1. *Mach.* 9. 14. *Alius nuntius tristis, c.* 16. 21. *Discipuli Joannis, Matth.* 14. 12. *Nuntius Jaïri*, *Luc.* 8. 49.

NUPTIÆ.

*Nuptiæ celebrantur, et Salvator noster iisdem non dedignatus est interesse.*

Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. *Gen.* 24. 54.

Qui (*Laban*), vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. *Ibid.* 29. 22.

Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium : sic enim juvenes facere consueverant. *Judic.* 14. 10.

Et die tertiâ nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. *Joan.* 2. 1. 2.

OBEDIENTIA.

*Obediendum Deo ejusque præceptis ; et quæ obedientibus constituta sit merces.*

*Hominem Deus volens sub obedientiâ vivere etiam in statu innocentiæ, statim ut conditus est, ipsum præceptis adstrinxit, et eum contra obedientiam peccantem severè punivit. Gen. c.* 2. *et* 3.

*Promptè obedivit Noë Domino in omnibus, quæ ei facienda præcepit tempore instantis diluvii. Ibid.* 7. 5. 9. *Vide c.* 6. 22. *Item Hebr.* 11. 7.

*Abraham Dei mandato parens, promissaque accipiens, patriâ relictâ, comitante Lot, Domino in Sichem sacrificavit. Ibid. c.* 12.

Dixit iterùm Deus ad Abraham : Et tu ergò custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. *Ibid.* 17. 9.

*Præceptum Dei de circumcisione, quamvis esset grave et insolitum, non distulit tamen Abraham implere usquè in crastinum. Ibid. v.* 23.

*Abraham præceptum Dei de immolatione filii sine morâ exequi voluit : ex quo considera mirabilem ejus obedientiam. Ibid.* 22. 2. *Vide Actor.* 7 4. *Hebr.* 11. 8. *et* 17.

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia

obedisti voci meæ. *Ibid. c.* 22. *v.* 15. *et seq. Vide Exod.* 7. 6.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. *Ibid.* 26. 4. 5. *Vide c.* 28. 7.

Timuerunt autem obstetrices Deum, etc. *et ideò benefecit illis Deus. Exod.* 1. 17. 20.

Si audieris (*ait Dominus ad Moysen*) vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim sum Dominus sanator tuus. *Ibid.* 15. 26.

Si ergò audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. *Ibid.* 19. 5. 6.

Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. *Ibid.* 20. 6.

Quòd si audieris vocem ejus (*Angeli*), et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, etc. *Ibid.* 23. 22. *Vide et versus sequentes.*

Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea : ne et vos evomat terra, quam intraturi estis, et habitaturi. *Levit.* 20. 22. *Item c.* 22. 31.

Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis. Et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, etc. *Ibid.* 26. 3. 4. *per totum. Vide Deut.* 28 1. *pariter per totum.*

*Filii Israël per desertum ambulantes ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium ejus deponebant. Num.* 9. 18. *Vide reliquos versus hujus capitis.*

Custodi præcepta ejus atque mandata (*ait Moyses ad populum Israël*) quæ ego præcipio tibi : ut benè sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. *Deut.* 4. 40. *Vide c.* 7. *per totum. Item. c.* 8. 1. *et* c. 11. *per totum.*

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus; ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. *Ibid.* 13. 4.

Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, etc. *Ibid.* 18. 15. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. *v.* 19.

Observa diligenter, ne in

curras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te Sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicitè. *Ib.* 24. 8. *Vide c.* 27. 10.

Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodiè, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terrâ, etc. *Ibid.* 28. 1. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum, etc. *v.* 12.

*Quia transgressus est Achan mandatum Josue, populus in prælio fuit superatus, et Achan posteà à populo lapidatus. Josue c.* 7.

Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini : eritis et vos, et rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini, etc. erit manus Domini super vos, et super patres vestros. 1. *Reg.* 12. 14. 15.

*Saül offerens holocaustum, contra mandatum Samuelis, reprobatus est. Ibid.* 13. 12. *et seq.*

Melior est enim obedientia, quàm victimæ, *Ibid.* 15. 22. *Vide Eccles.* 4. 17.

*Prædixit Dominus Salomoni, quòd si faceret omnia, quæ præceperat ei, poneret thronum regni ejus in sempiternum : si autem averteretur, et non custodiret ejus mandata auferret Israël de superficie terræ.* 3. *Reg.* 9. 4. *et seq. Vide* 2. *Paral.* 7. 17. *et seq.*

*Cùm ad mandatum Elisei Naaman indignatus abiret, dixerunt ei servi sui :* Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras. 4. *Reg.* 5. 13.

Dixit autem Dominus ad Jehu : Quia studiosè egisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab : filii tui usquè ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël. *Ibid.* 10. 30.

Tu quoque (*Salomon*) si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, et justitias meas, judiciaque servaveris : suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens : Non auferetur de stirpe tuâ vir, qui sit princeps in Israël. Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis Diis alienis, et adoraveritis eos : evellam vos de terrâ meâ, quam dedi vobis, et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam à facie meâ, et tradam eam in parabolam, et in

exemplum cunctis populis. 2. *Paral.* 7. 17. *et seq. Item.* 3. *Reg.* 9. 4. *et seq.*

*Tobias junior, auditis exhortationibus patris, respondit :* Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam, pater. *Tob.* 5. 1.

Quidquid enim ille præcipiebat (*Mardochæus*), observabat Esther : et ità cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat quo eam parvulam nutriebat. *Esther* 2. 20. *Vide v.* 10.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. *Prov.* 1. 8. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. *v.* 33.

Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. *Ibid.* 15. 31. *Vide Isa.* 55. 2. 3.

Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. *Eccli.* 35. 7.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. *Isa.* 1. 19.

Utinam attendisses (*increpat Dominus Judæorum ingratitudinem, hypocrisim, atque duritiam*) mandata mea : facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua, sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum, etc. *Ibid.* 48. 18. 19.

Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni viâ, quam mandavi vobis, ut benè sit vobis. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam : sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali : factique sunt retrorsùm, et non in antè, etc. *Jerem.* 7. 23. 24. *Vide c.* 11. 4. *et c.* 17. 24.

*Exemplo obedientiæ Rechabitarum, præcepta patris sui licet dura servantium, expostulat Dominus de pertinaci Judæorum inobedientiâ adversùs ipsius præcepta : quapropter his prænuntiat Dominus mala, illis autem bona. Ibid. c.* 35. *Vide Dan.* 3. 16.

*Jonas insipienter refugiebat obedire Domino præcipienti, ut iret ad prædicandum in Ninive ; sed refugiendo devenit, quò Dominus eum miserat. Jonæ c.* 1. 2. *et* 3.

*Mathathias dixit nuntiis regis Anthiochi : Et si omnes obediunt regi*, ego, et filii mei, et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. 1. *Mach.* 2. 20.

Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens : Quem sustinetis? Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. *Et alius antè dixerat :* Parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari. 2. *Mach.* 7. 30. *et v.* 2.

Et ait illis (*Jesus Simoni et Andreæ*) : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus, secuti sunt eum.

*Matth.* 4. 19. 20. *Vide Marc.* 1. 17. 18.

Omnis ergò qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, — et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, etc. *Ibid.* 7. 24. 26. *Vide v.* 21. *etc.* 15. 3.

Et eccè vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui : ipsum audite. *Ibid.* 17. 5. 7. *Vide Luc.* 5. 4. *Joan.* 2. 5. 7. *Actor.* 4. 19.

*Descendebat puer Jesus cum Mariâ et Joseph in Nazareth*, et erat subditus illis. *Luc.* 2. 51.

Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. *Ibid.* 10. 16.

*Principes sacerdotum comminati sunt Petro et Joanni*, ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Jesu : *qui responderunt eis :* Si justum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui. *Actor.* 4. 18. 19. 20.

Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. *Ibid.* 5. 29. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. 32. *Vide Rom.* 16. 19.

*Saulus in terram prostratus, audiens verba Jesu Nazareni, promptè ait :* Domine, quid me vis facere ? *Ibid.* 9. 6.

*Cornelius dixit Petro* : Nunc ergò omnes nos in conspectu tuo adsumus, (*parati*) audire omnia, quæcumque tibi præcepta sunt à Domino. *Ibid.* 10. 33.

*Paulus, electo sibi Sila in socium*, perambulabat — Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias : præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et seniorum. *Ibid.* 15. 41.

Humiliavit semetipsum (*Christus*) factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis, etc. *Philipp.* 2. 8. Itaque carissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in præsentiâ meî tantùm, sed multò magis nunc in absentiâ meâ, cum metu et tremore vestram salutem operamini. *v.* 12. *Vide* 1. *Thess.* 4. 3. *et c.* 5. 18.

Estote autem factores verbi, et non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. *Jacob.* 1. 22. *Vide Matth.* 7. 21. 24. *Rom.* 2. 13.

Animas vestras castificantes in obedientiâ caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentiùs. 1. *Petr.* 1. 22.

*Obediendum perseveranter.*

Quod cùm audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi : benè omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut benè sit

eis, et filiis eorum in sempiternum? *Deut.* 5. 28.

*Ob mali devitationem.*

Nunquid vult Dominus holocausta et victimas (*ait Samuel Saüli*) et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ: et auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniàm quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere. 1. *Reg.* 15. 22. 23.

Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit, etc. *Prov.* 1. 24. *et seq. Vide Isa.* 65. 12. *et c.* 66. 4.

Quòd si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos. *Isa.* 1. 20.

Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? *Jerem.* 35. 13. *c.* 7. 13. *et seq.*

*Et boni consecutionem.*

En propono in conspectu vestro hodiè benedictionem, et maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, maledictionem — si non obedieritis, etc. *Deut.* 11. 26. *et seq.*

Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. *Prov.* 1. 33.

Custodi legem, atque consilium: et erit vita animæ tuæ. *Ibid.* 3. 21. 22. *et seq.*

Mens justi meditatur obedientiam. *Ibid.* 15. 28.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. *Isa.* 1. 19.

Audite audientes me, et comedite bonum — Inclinate aurem vestram ad me: audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum. *Ibid.* 55. 2. 3.

*Obedientiæ exempla.*

*Noë, Gen.* 6. 22. *et c.* 7. 5. *Hebr.* 11. 7. *Abraham, c.* 12. 4. *et c.* 17. 23. *et c.* 22. 3. 10. *et. c.* 26. 5. *Act.* 7. 4. *Hebr.* 11. 8. 17. *Jacob, c.* 28. 7. *Jacobi familia, c.* 35. 4. *Joseph, c.* 37. 14. *Moyses, Exod.* 3. 13. *et c.* 4. 3. *et c.* 7. 6. *et c.* 40. 14. *Israëlitæ, c.* 24. 3. *et c.* 39. 31. 42. *Num.* 1. 54. *et c.* 2. 34. *etc.* 9. 18. *et seq. Deut.* 34. 9. *Josue* 1. 16. 17. 2. *Paral.* 11. 4. *et c.* 24. 21. *Moyses et Aaron, Exod.* 7. 6. *Aaron et ejus filii, Lev.* 8. 36. *David,* 1. *Reg.* 17. 20. *Joram,* 4. *Reg.* 6. 21. 22. *Multitudo,* 1. *Esdr.* 10. 12. 2. *Esdr.* 5. 12. *Tobias, Tob.* 5. 1. *Esther, Esth.* 2. 10. 20. *Isaias, Isa.* 6. 8. *Ezechiæ Regis legati, c.* 36. 21. *Rechabitæ, Jerem.* 35. 6. *per tot. Mathathias,* 1. *Mach.* 2. 20. *Joseph Mariæ Virginis Sponsus,*

*Math.* 1. 24. *et c.* 2. 14. 21. *Petrus et Andreas, c.* 4. 20. *Marc.* 1, 18. *Jacobus et Joannes, v.* 22. *Marc.* 1. 20. *Matthæus, c.* 9. 9. *Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 28. *Discipuli Christi, c.* 26. 19. *Luc.* 22. 13. *Apostoli, Marc.* 16. 20. *Luc.* 9. 6. *Joan.* 6. 10. *Deipara Virgo cum viro suo Joseph, Luc.* 2. *v.* 21. 22. 39. *et* 41. *Christus, Isa.* 50. 5. *Luc.* 2. 51. *Joan.* 10. 18. *et c.* 12. 49. *et c.* 14. 31. *et c.* 15. 10. *et c.* 17. 4. *Philipp.* 2. 8. *Hebr.* 5. 8. *et c.* 10. 7. *Petrus, Luc.* 5. 5. *Actor.* 10. 33. *Cæcus natus, Joan.* 9. 7. *Petrus et Joannes, Actor* 4. 19. *et c.* 5. 29. *Paulus, c.* 9. 6. *Ananias, v.* 17. *Cornelius Centurio, c.* 10. 33. *Romana Ecclesia, Rom.* 16. 19. *Corinthiaca Ecclesia, 2. Cor.* 7. 15. *Philippenses, Philipp.* 2. 12. *Timotheus, v.* 22. *Thessalonicenses, 1. Thess.* 1. 6. *Sara, 1. Petr.* 3. 6.

*Obedientia inferiorum erga Superiores.*

Vide *Subditorum officium.*

OBJURGATIO.

*Objurgationes in Ecclesiâ sunt necessariæ.*

Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? 1. *Cor.* 4. 21.

Nam ex multâ tribulatione et angustiâ cordis scripsi vobis, per multas lacrymas : non ut contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem habeam abundantiùs in vobis. 2. *Cor.* 2. 4.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magìs autem redarguite. *Ephes.* 5. 11. *Vide et v.* 13.

Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est — ad arguendum, ad corripiendum, etc. 2. *Tim.* 3. 16.

Prædica verbum, insta opportunè, importunè : argue, obsecra, increpa in omni patientiâ et doctrinâ. *Ibid.* 4. 2.

*Objurgationis exempla.*

*Dei ad Adam et Hevam, Gen.* 3. 11. *Dei ad Caïn, c.* 4. 6. 10. *Dei ad Abimelech, c.* 20. 3. *Abimelech ad Isaac, c.* 26. 9. *Laban ad Jacob, c.* 31. 26. *Ruben ad fratres, c.* 42. 22. *Moyses ad Aaron, Exod.* 32. 21. *Angeli Domini ad Israëlitas, Judic.* 2. 1. 2. *David ad Saül, 1. Reg.* 24. 10. *David ad Abner, c.* 26. 15. *Nathan ad David, 2. Reg.* 12. 9. *Joab ad David, c.* 19. 5. 6. *Eliæ ad Achab, 3. Reg.* 18. 18. *Eliæ ad Iraëlitas v.* 21. *Eliæ ad Ochoziam, 4. Reg.* 1. 16. *Elisei ad Joram, c.* 3. 13. *Abiæ ad Jeroboam, 2. Paral.* 13. 5. *Josaphat ad Achab, c.* 18. 6. *Jehu ad Josaphat, c.* 19. 2. *Zachariæ ad populum Israël, c.* 24. 20. *Prophetæ cujusdam ad Amasiam, c.* 25. 15. *Sacerdotum ad Oziam, c.* 26. 18. *Nehemiæ ad optimates Israël, 2. Esdr.* 5. 7. *Job ad uxorem,*

*Job* 2. 10. *Jeremiæ ad populum, Jerem.* 34. 17. *Joannis. ad Pharisæos, Math.* 3. 7. *et ad Herodem, c.* 14. 4. *Marc.* 6. 18. *Christi ad Discipulos, c.* 15. 13. *et c.* 16. 8. *et c.* 19. 14. *et c.* 26. 10. *Marc.* 8. 17. *et c.* 14. 6. *et c.* 16. 14. *Luc.* 8. 25. *et c.* 22. 46. 51. *Joan.* 6. 62. *et c.* 12. 7. *Ad Petrum, Matth.* 16. 23. *et c.* 26. 40. 52. *Joan.* 18. 11. *Ad Judæos, Marc.* 9. 18. *Luc.* 9. 41. *Joan.* 6. 43. *et c.* 7. 19. *Ad mercenarium, Math.* 20. 15. *Ad turbam, Math.* 15. 3. *Marc.* 7. 18. *Joan* 6. 26. *Ad Herodianos, Matth.* 22. 18. *Marc.* 12. 15. *Luc.* 20. 23. *Ad discipulos et ad Petrum, Matth.* 26. 40. *Marc.* 14. 37. *Luc.* 22. 46. *Ad Scribas et Pharisæos, Matth.* 9. 4. *Marc* 2. 8. *Luc.* 5. 22. *et c.* 6. 3. *Ad Hypocritas, v.* 41. *Ad Pharisæos, Luc* 11. 39. *Ad quemdam hominem c.* 12. 14. *Ad duos de Discipulis, c.* 24. 25. *Ad Nicodemun, Joan.* 3. 10. *Ad quemdam regulum, c.* 4. 48. *Ad servum Pontificis, c.* 18. 23. *Ad Sadducæos, Matth.* 22. 29. *Marc.* 12. 24. *Latronis ad socium suum, Luc.* 23. 40. *Petri ad populum, Actor.* 3. 12 *Ad Sacerdotes, principes, et seniores, c,* 4. 10. *Ad Ananiam et Saphiram,* 5. 3. *et* 9. *Stephani ad Judæos, c.* 7. 51. *Petri ad Simonem magum, c.* 8. 20. *et seq. Pauli ad Elymam magum, c.* 13. 10. *Pauli et Barnabæ ad Judæos, v.* 46. *Ad Lycaones, c.* 14. 14. *Pauli ad Ananiam sacerdotem, c.* 23. 3. *Ad nautas, c.* 27. 21. *Ad Corinthios,* 1. *Cor.* 1. 11. *et c.* 3. 3. *et c.* 6. 1. *et seq.* 2. *Cor.* 12. 11. *et seq. Ad Galatas, Gal.* 3. 1. *et c.* 5. 7. *Ad Hebræos, Hebr.* 5. 12.

OBLATIO. *Vide et* SACRIFICIUM, *et Titul.* DEUS.

*Oblatio omnis debet esse sine vitio aut maculâ.*

Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. *Levit.* 1. 3. *Vide Exod.* 29. 10.

Quòd si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino. *Ibid.* 3. 1. *Vide c.* 22. 19. *et seq.*

Hæc sunt sacrificia, quæ ofofferre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidiè in holocaustum sempiternum. *Num.* 28. 3. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis. *v.* 31. *Vide Exod.* 29. 38.

Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit vel cæcum; aut in aliquâ parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. *Deut.* 15. 21. *Vide Levit.* 22. 20. *et seq.*

Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa (*Dominus*). *Eccli.* 35. 14.

Cùmque compleveris expians illud (*altare*), offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de grege immaculatum. *Ezech.* 43. 23.

Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino : quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in Gentibus. *Malach.* 1. 14. *Vide etiam v.* 8.

*Oblationes Deo gratæ cœlitùs incenduntur.*

Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum : et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. *Gen.* 4. 4. *Vide c.* 8. 21. *et c.* 15. 17. *Item Hebr.* 11. 4.

Apparuit que gloria Domini omni multitudini : et eccè egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare, etc. *Levit.* 9. 23. 24. *Vide et Judic.* 6. 21. *c.* 13. 20.

Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. 3. *Reg.* 18. 38.

Et ædificavit ibi (*David*) altare Domino : obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti. 1. *Par.* 21. 26.

Cùmque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, et devoravit holocausta, et victimas : et majestas Domini implevit domum. 2. *Par.* 7. 1. *Vide* 2. *Mach.* 1. 22.

Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum, etc. 2. *Mach.* 2. 10.

*Oblationes quotidianæ.*

Hoc est, quod facies in altari : Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane, et alterum vespere. *Exod.* 29. 38. 39.

Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidiè in holocaustum sempiternum. *Num.* 28. 3. *Vide* 1. *Esdr.* 3. 3. 4.

*Oblatio pro defunctis.*

Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit (*Judas Machabæus*) Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans, etc. 2. *Mach.* 12. 43. *et seq.*

*Oblationes propriorum filiorum.*

De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui : ego Dominus. *Levit.* 18. 21.

Hæc loqueris filiis Israël (*ait Dominus Moysi*) : Homo de filiis Israël, et de advenis, qui

habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur : populus terræ lapidabit eum, etc. *Ibid.* 20. 2. *et seq.*

Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. *Deut.* 12. 31.

Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem : aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. *Ibid.* 18. 10. *Vide Judic.* 11. 34. 39.

Arripiensque (*Mesa rex Moab*) filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, etc. 4. *Reg.* 3. 27.

Sed ambulavit (*Achaz*) in viâ regum Israël : insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem, secundùm idola gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israël. *Ibid.* 16. 3. *Vide.* 2. *Paral.* 28. 3.

Servieruntque Baal, et consecraverunt (*filii Israël*) filios suos et filias suas per ignem, et divinationibus inserviebant, et auguriis : et tradiderunt se, ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. *Ibid.* 17. 16. 17.

Et traduxit (*Manasses*) filium suum per ignem, et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, etc. *Ibid.* 21. 6. *Item.* 2. *Paral.* 33. 6.

Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. *Psal.* 105. 37. *Vide Isa.* 57. 5.

Et ædificaverunt (*filii Juda*) excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom : ut incenderent filios suos, et filias suas, igni : quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. *Jerem.* 7. 31.

Et ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni, in holocaustum Baalim : quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. *Ibid.* 19. 5.

Et tulisti (*Jerusalem*) filios tuos, et filias tuas, quas generasti mihi : et immolasti eis ad devorandum. Nunquid parva est fornicatio tua ? Immolasti filios meos, et dedisti, illos consecrans, eis. *Ezech.* 16. 20. 36. *Item. c.* 20. 31. *c.* 23. 37. 21.

### *Oblationum convivia cum gaudio celebrantur.*

Obtulit ergò Jethro cognatus Moysi holocausta, et hostias Deo : veneruntque Aaron et omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo coram Deo. *Exod.* 18. 12. *Vide Gen.* 31. 46. 54.

Surgentesque mane (*filii Israël*), obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *Ibid.* 32. 6. *Vide Num.* 25. 2.

Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. *Deut.* 27. 7. *Vide* 1. *Reg.* 1. 4. *c.* 9. 13. *c.* 18. 5.

Igitur evigilavit Salomon, et intellexit, quòd esset somnium : cùmque venisset Jerusalem, stetit coram Arcâ fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. 3. *Reg.* 3. 15. *Vide. et c.* 1. 9. *Item* 2. *Reg.* 15. 12.

Et comederunt, et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitiâ. 1. *Par.* 29. 22.

*Oblationes impiorum.*

Factum est autem post multos dies, ut offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino. *Gen.* 4. 3.

Tulit autem de prædâ populus oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolaret Domino Deo suo in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 21.

Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti. *Psal.* 39. 7. 8. *Vide Psal.* 49. 9.

Quoniàm si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis. *Ps.* 50. 18. *Vide Eccli.* 34. 21.

Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. *Prov.* 15. 8.

Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. *Ibid.* 21. 27.

Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniàm Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. *Eccli.* 35. 15. *Vide Isa.* 43. 23.

Ut quid mihi thus de Sabâ affertis, et calamum suavèolentem de terrâ longinquâ : holocautomata vestra non sunt accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi. *Jerem.* 6. 20. *Vide Isa.* 1. 11. *et sequentes Item c.* 61. 8. *c.* 66. 3.

Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum : et si obtulerint holocautomata, et victimas, non suscipiam ea ; quoniàm gladio, et fame, et peste consumam eos. *Ib.* 14. 12.

Hostias offerent, immolabunt carnes, et comedent, et Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum : ipsi in Ægyptum convertentur. *Oseæ* 8. 13.

Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei : sacrificia eorum quasi panis lugentium, etc. *Ibid.* 9. 4.

Quòd si obtuleritis (*Israëlitis loquitur Dominus*) mihi holocautomata, et munera vestra, non suscipiam : et vota pinguium vestrorum non respiciam. *Amos.* 5. 22. *Vide Mich.* 6. 7.

Et intulistis de rapinis claudum, et languidum, et intulistis munus : nunquid suscipiam

illud de manu vestrâ, dicit Dominus ? *Malach.* 1 13. *Vide et v.* 7.

Euntes autem discite, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores (*ad pœnitentiam*). *Matth.* 9. 13. *Vide c.* 12. 7. *Item Marc.* 12. 33.

Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. *Hebr.* 10. 5. 6. *Vide Psal.* 39. 7.

OBLIVIO.

*Oblivio beneficiorum.*
Vide *Beneficia.*

*Obliviscendum nunquàm est Dei.*

Observa, et cave, ne quandò obliviscaris Domini Dei tui. *Deut.* 8. 11.

Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. *Ibid.* 32. 18.

*Obliviscor, de Deo humanitùs dictum.*

*Si tu, Deus,* recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, etc. 1. *Reg.* 1. 11.

*Deus* non est oblitus clamorem pauperum. *Psal.* 9. 13. *Vide et v.* 11.

Usquequò, Domine, oblivisceris me in finem? *Psal.* 12. 1. *Vide Psal.* 41. 10. *et* 43. 24. *et* 73. 19. 23. et 74. 10. *Item Isa.* 44. 21. *c.* 49. 14. 15. *Thren.* 5. 20.

Voca nomen ejus Absque misericordiâ : quia non addam ultrà misereri domui Israël, sed oblivione obliviscar eorum. *Oseæ* 1. 6. *Vide c.* 4. 6.

OBSCURITAS.

*Obscuritas sumitur pro cæcitate spirituali.*

Obscurentur oculi eorum, ne videant. *Psal.* 68. 24. *Item Rom.* 11. 10.

Et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1. 21.

Tenebris obscuratum habentes intellectum, etc. *Ephes.* 4. 18. *Vide totum versum.*

OBSECRATIO.

*Sumitur pro deprecatione.*

Ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus. 2. *Paral.* 6. 19. *Vide et v.* 35.

Domine, exaudi orationem meam : auribus percipe obsecrationem meam. *Psal,* 142. 1.

Et hæc vidua — non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Quarè discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt ? *Ibid.* 5. 33.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. *Rom.* 10. 1. *Vide et* 1. *Tim.* 2. 1.

*Pro oratione.*

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropin-

quantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4. 7.

Reliqua autem gestorum Manasse : et obsecratio ejus ad Deum suum, etc. 2. *Paral.* 33. 18.

*Pro petitione.*

*Daniel* tribus temporibus per diem *orabat* obsecratione suâ. *Dan.* 6. 13.

Et in ipsorum obsecratione pro vobis. 2. *Cor.* 9. 14.

*Pro supplicatione.*

Cum obsecrationibus loquetur pauper ; et dives effabitur rigidè. *Prov.* 18. 23.

Assumite et gladium spiritûs (quod est verbum Dei) per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ephes.* 6. 17. 18.

In omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Quæ autem verè vidua est— instet obsecrationibus — nocte ac die. 1. *Tim.* 5. 5.

OBSEQUIUM.

*Sumitur pro cultu divino.*

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Joan.* 16. 2.

Qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa. *Rom.* 9. 4.

Rationabile (*sit*) obsequium vestrum. *Ibid.* 12. 1.

*Pro officio seu functione et ministerio divino.*

Et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis. *Rom.* 15. 31.

*Observatio Legis.* Vide. *Lex.*

OBSTETRIX.

*Obstetricum usus longè antiquissimus.*

Dixitque ei obstetrix (*ad Rachel*) : Noli timere, quia et hunc habebis filium. *Gen.* 35. 17.

In ipsâ effusione infantium, unus protulit manum, in quâ obstetrix ligavit coccinum, etc. *Ibid.* 38. 27.

*Obstetricum in Ægypto pietas.*

Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis, etc. *Exod.* 1. 17.

OBSTINATIO ET DURITIA CORDIS.

*Obstinatio cavenda.*

Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis ampliùs. *Deut.* 10. 16.

Hodiè, si vocem ejus audie-

ritis, nolite obdurare corda vestra. *Psal.* 94. 8. *Vide Hebr.* 3. 7. 8. 15. *etc.* 4. 7.

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, corrigit viam suam. *Prov.* 21. 29. *Vide.* 2. *Paral.* 30. 8.

Secundùm autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. *Rom.* 2. 5.

Mali autem homines et seductores, proficient in pejus. 2. *Tim.* 3. 13.

Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor. *Hebr.* 13. 9.

*Obstinationis pœna.*

Quòd si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. *Isa.* 1. 20.

Hæc dicit Dominus. — Eccè ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes ejus, universa mala, quæ locutus sum adversùs eam, quoniàm induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos. *Jerem.* 19. 15. *Vide Baruch* 2. 8. *et seq. Zach.* 7. 11. *et seq.*

Væ provocatrix et redempta civitas. — Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam, etc. *Soph.* 3. 1. 2. *Vide* 2. *Paral.* 36. 16. *Ezech.* 6. 3. *per tot. Amos* 4. 6. *per tot. Matth.* 23. 37.

*Obstinationis et prævaricationis exempla.*

Dixitque Dominus ad eum *(Caïn)* : Quarè iratus es? et cur concidit facies tua? *Gen.* 4. 6. *Sed post increpationem, quam fecit Dominus, pejor fuit, et fratricidium perpetravit.*

Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. *Exod.* 7. 13. *Vide v.* 14. *et* 22. *imò à cap.* 5. *usquè ad* 11. *nam cor ipsius nec per blanda verba, quæ primò dixit Moyses ex parte Domini, nec per dura flagella potuit emolliri.*

*Filii Israël dicuntur à Domino* populus duræ cervicis, *ut patet Exod.* 32. 9. *etc.* 33. 3. 5. *Item Deut.* 9. 6. 13.

*Heli sermonibus suis filios corripuit, sed nihil eis profuit.* 1. *Reg.* 2. 23. *et seq.*

*Samuel prædixit populo conditiones regis eorum valdè graves, et quòd hoc displiceret Domino; et tamen noluerunt desistere à proposito. Ibid.* 8. 11. 19.

*Nec per verba Jonathæ, nec per beneficia à David recepta, cor Saül ad diligendum ipsum potuit provocari. Ibid. c.* 18. *Vide Capita sequentia.*

*De Nabal dicitur, quòd esset vir* durus, et pessimus, et malitiosus. *Ibid.* 25. 3.

*Obstinatè nimis Asaël persequebatur Abner.* 2. *Reg.* 2. 18.

Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. Et abjeceruntlegitima ejus, et pactum, etc. 4. *Reg.* 17. 14. 15. et *seq.*

Mittebatque eis Prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. 2. *Paral.* 24. 19. *Vide et v.* 21.

Fecitque (*Sedecias*) malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini—et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israël. Sed et universi principes sacerdotum et populus prævaricati sunt iniquè, etc. *Ibid.* 36. 12. *et seq. Vide et c.* 30. 8.

Renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. *Jer.* 5. 3.

Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, etc. *Ibid.* 44. 16. *et c. seq.*

Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me : ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usquè ad diem hanc. Et filii durâ facie, et indomabili corde sunt. *Ezech.* 2. 3. 4. *Vide c.* 5. *etc.* 6. *per totum.*

Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, etc. *Zach.* 7. 11. 12. *et seq. Vide Baruch* 2. 7. *et seq. Amos* 4. 11.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas — quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? *Matth.* 23. 37. *Vide Luc.* 13. 34.

Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. *Act.* 7. 51.

OBTRECTATIO ET OBTRECTATOR.

*Obtrectatio damnatur.*

Non eris criminator, nec susurro in populo. *Lev.* 19. 16.

Prohibe linguam tuam à malo : et labia tua ne loquantur dolum. *Psal.* 33. 14. *Vide et Psal.* 14. 3.

Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. *Psal.* 100. 5. *Vide et Psal.* 119. 2.

Vir linguosus non dirigetur in terrâ. *Psal.* 139. 12.

Remove à te os pravum, et detrahentia labia sint procul à te. *Prov.* 4. 24.

Timor Domini odit malum : arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Ibid.* 8. 13.

Cogitatio stulti peccatum est: et abominatio hominum, detractor. *Ibid.* 24. 9. Time Dominum, fili mi,—et cum detractoribus non commiscearis. *v.* 21. Ne sis testis frustrà contra proximum tuum : nec lactes quemquam labiis tuis. *v.* 28.

Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. *Ibid.* 25. 25.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. *Eccles.* 10. 11. In cogitatione tuâ regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti. *v.* 20.

Detractores (*sunt*) Deo odibiles, etc. *Rom.* 1. 30.

Timeo enim, ne fortè cùm venero (*inquit Paulus*), non quales volo, inveniam vos—ne fortè — detractiones sint inter vos. 2. *Cor.* 12. 20.

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. 1. *Tim.* 3. 11. *Vide Tit.* 3. 2. *Jacob.* 1. 26. *et c.* 3. 2. *et seq.*

Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, etc. *Jacob.* 4. 11.

Deponentes igitur omnem malitiam — et omnes detractiones. 1. *Petr.* 2. 1.

*Obtrectationis et detractionis exempla.*

*Filii Laban, Gen.* 31. 1. *Uxor Putipharis, c.* 39. 14. 17. *Maria et Aaron, Num.* 12. 1. 2. *Exploratores terræ promissæ, Num.* 14. 36, *Multitudo, c.* 16. 41. *Filii Belial,* 1. *Reg.* 10. 27. *Doeg Idumæus, c.* 22. 9. *Principes philistiim, c.* 29. 3. 4. *Principes Ammonitarum,* 2. *Reg.* 10. 3. *Absalom, c.* 15. 3. *Siba, c.* 16. 3. *Rehum cum sociis,* 1. *Esdr.* 4. 13. *et seq. Ancilla Raguelis, Tob.* 3. 9. *Aman, Esth.* 3. 8. *Principes Juda, Jerem.* 38. 4. *Chaldæi quidam, Dan.* 3. 12. *Danielis hostes, c.* 6. 13. *Alcimus cum viris iniquis,* 1. *Mach.* 7. 6. 25. *Simon,* 2. *Mach.* 3. 6. *et c.* 4. 1. *Alcimus, c.* 14. 6. 26. *Pharisæi, Matth.* 9. 11. *Judæi, c.* 11. 18. 19. *Luc.* 19. 7. *Joan.* 7. 12. *etc.* 8. 48. *et c.* 9. *v.* 16. 24. 28. *Domini puellæ pythonissæ, Act.* 16. 20. *Judæi Thessalonicenses, c.* 17. 6. *et seq. Epicurei et Stoïci Philosophi, v.* 18. *Judæi Corinthii, c.* 18. 13. *et c.* 19. 9. *Judæi Asiatici, c.* 21. 28. *Barbari, c.* 28. 4. *Vide et Accusationis et falsò accusatorum exempla.*

OCCASIO.

*Occasio oblata non est prætermittenda.*

Pro hâc orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno: verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. *Psal.* 31. 6.

Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Ibid.* 94. 8.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. *Eccles.* 9. 10.

Quærite Dominum, dùm inveniri potest: invocate eum, dùm propè est. *Isa.* 55. 6.

Date Domino Deo vestro gloriam antequàm contenebrescat, et antequàm offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem. *Jerem.* 13. 16. *Vide et* 21. 12.

Dùm autem irent (*virgines fatuæ*) emere (*oleum*), venit sponsus; et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. *Matth.* 25. 10. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. *v.* 13. *Vide Marc.* 13. 33.

Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. Cùm autem intraverit paterfamiliàs, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, etc. *Luc.* 13. 24. 25. *Vide c.* 12. 40. 46. *et Matth.* 24. 42. 50.

Venient dies, quandò desiderabitis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. *Ib.* 17. 22.

Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit. *Ibid.* 19. 26.

Quæretis me, et non invenietis. *Joan.* 7. 34. *Vide et c.* 8. 21.

Adhùc modicum lumen in vobis est. Ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. *Ib.* 12. 35. 36.

*O homo peccator!* An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniàm benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. *Rom.* 2. 4. *et seq.*

Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time — Vide ergò (*in te*) bonitatem — Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris, etc. *Ibid.* 11. 20. 22.

Odientes malum, adhærentes bono. *Ib.* 12. 9. Sollicitudine non pigri: Spiritu ferventes, etc. *v.* 11.

Et hoc scientes tempus, quia hora est jàm nos de sommo surgere: nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus, etc. *Ibid.* 13. 11. *et seq.*

Adjuvantes autem exhorta-

mur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Eccè nunc tempus acceptabile; eccè nunc dies salutis. 2. *Cor.* 6. 1. 2. *Confer Isa.* 49. 8.

Ergò dùm tempus habemus, operemur bonum, etc. *Gal.* 6. 10.

Sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniàm dies mali sunt. *Ephes.* 5. 16. *Vide Coloss.* 4. 5.

Propterea abundantiùs oportet observare nos ea quæ audivimus, ne fortè pereflluamus. *Hebr.* 2. 1. *Vide et v.* 3.

Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodiè cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati, etc. *Ibid.* 3. 13. *Vide v.* 7. *et* 15. *Item c.* 4. 7.

Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Ibid.* 4. 16.

Scitote enim, quoniàm et posteà cupiens (*Esaü*) hereditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum : quanquàm cum lacrymis inquisisset eam. *Ibid.* 12. 17. *Vide Gen.* 27. 34. 38.

OCCISIO.

*Occisio.* Vide et *Homicidium.*

*Occisio hominis juridica.*

In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extrema mittetur : ut auferas malum de medio tuî. *Deut.* 17. 6. 7. *Vide c.* 19. 15. *Item Matth.* 18. 16. *Item* 2. *Cor.* 13. 1.

*Fortuita.*

Quòd si fortuitu, et absque odio, et inimicitiis quidquam horum fecerit (*scil. occiderit ferro, aut ligno, aut lapide*), et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, et propinquum sanguinis quæstio ventilata : liberabitur innocens de ultoris manu, etc. *Num.* 35. 22. *et seq.*

Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur : sed abiisse cum eo simpliciter in sylvam, ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet. *Deut.* 19. 4. 5.

OCCULTUM CRIMEN PROXIMI NON REVELANDUM.

Audisti verbum adversùs proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniàm non te dirumpet. *Eccli.* 19. 10.

Qui denudat arcana amici,

fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum. *Ib.* 27. 17. Quòd si denudaveris absconsa illius (*proximi tui*), non persequeris post eum. *v.* 19. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. *v.* 24.

OCULUS SIMPLEX ET RECTUS.

Da Altissimo secundùm datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. *Eccli.* 35. 12.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si autem oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam : totum corpus tuum tenebrosum erit. *Matth.* 6. 22. 23. *Idem verbatim habetur. Luc.* 11. 34.

*Oculus malus sumitur pro invidiâ.*

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Matth.* 20. 15.

Ab intùs enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia — oculus malus, etc. *Marc.* 7. 21. 22. *Confer Matth.* 15. 19.

*Item pro affectibus inordinatis.*

Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, etc. *Matth.* 5. 29. *Vide c.* 18. 9. *Marc.* 9. 46.

Quoniàm omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. 1. *Joan.* 2. 16.

*Oculus nequam.*

Videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. *Gen.* 6. 2.

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. *Prov.* 6. 12. *et seq.*

Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: — in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. *Eccles.* 4. 8.

Nequam est oculus lividi : et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane, etc. *Eccli.* 14. 8. *et seq.*

Memento, quoniàm malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est? *Ibid.* 31. 14. 15.

Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam : totum corpus tuum tenebrosum erit. *Matth.* 6. 22. 23. *Vide Luc.* 11. 34.

Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intùs procedunt, et communicant (*scilicet coinquinant*) hominem. *Marc.* 7. 22. 23. *Vide* 1. *Joan.* 2. 16.

*Oculi Dei et filii Dei.*

Sint oculi tui (*mi Deus*) aperti super domum hanc nocte ac die, etc. 3. *Reg.* 8. 29. *Vide et v.* 52. *Item* 2. *Paral.* 6. 40. *c.* 7. 15. *et Isa.* 1. 15. *et c.* 3. 8.

Eccè oculi Domini super metuentes eum. *Ps.* 32. 18. *Vide Eccli.* 15. 20.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Prov.* 15. 3. *Vide Zach.* 4. 10.

Domine, oculi tui respiciunt fidem. *Jerem.* 5. 3.

Eccè oculi Domini Dei super regnum peccans (*ut conterat*). *Amos* 9. 8.

Mundi sunt oculi tui (*Deus*), ne videas malum : et respicere ad iniquitatem non poteris. *Habac.* 1. 13.

Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus (*Dei*); omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. *Hebr.* 4. 13.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. 1. *Petr.* 3. 12. *Vide Psal.* 33. 16.

Caput autem ejus, et capilli erant candidi tanquàm lana alba, et tanquàm nix, et oculi ejus tanquàm flamma ignis. *Ap.* 1. 14.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquàm flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco. *Ibid.* 2. 18. *Vide c.* 5. 6.

Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse. *Ibid.* 19. 12.

*Oculi Angelorum.*

Horribilis (*earum rotarum*) aspectus, et totum corpus oculis plenum. *Ezech.* 1. 18.

Et omne corpus earum (*rotarum*), et colla, et manus, et pennæ, et circuli, plena erant oculis. *Ib.* 10. 12. *Vide Apoc.* 4. 6. 8.

Et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens. *Dan.* 10. 6.

*Oculorum custodia quantoperè sit necessaria, ne peccetur.*

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. *Gen.* 3. 6.

Videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. *Ib.* 6. 2.

*Ex eo quòd Cham filius Noë vidit verenda patris, et ipsum*

*nudatum esse fratribus nuntiavit, maledictionem patris incurrit. Ibid.* 9. 22. 25.

*Abraham* dixit Sarai uxori suæ : novi, quòd pulchra sis mulier : et quòd cùm viderint te Ægyptii dicturi sunt : uxor ipsius est : et interficient me, et te reservabunt. *Ib.* 12. 11. 12.

Quam (*scil. Dinam filiam Liæ*) cùm vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam : et rapuit, et dormivit cum illâ, vi opprimens virginem. *Et sic Dina volens videre illius regionis mulieres, ipsa visa et corrupta fuit. Ibid.* 34. 1. 2.

*Judas vidit Thamar in bivio, et cum ipsâ peccavit. Ib.* 38. 15. 16.

*Domina, cui serviebat Joseph, oculos in eum injecit, et quanta hinc venêre mala! Ib.* 39. 7.

Dùm hæc agerentur (*scilicet dùm obsideretur Rabba civitas*), accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem, et deambularet in solario domûs regiæ : viditque mulierem (*scilicet Betsabeam*) se lavantem, ex adverso super solarium suum : erat autem mulier pulchra valdè, etc. 2. *Reg.* 11. 2. *et seq.*

*Absalom, propter incestum cum sorore Thamar, fratrem Amnon occidit : iratoque patre, profugus ad regem Gessur tribus annis ibi permansit. Ib.* c. 13.

Cùmque intrasset (*Judith*) antè faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holophernes, etc. *Judith.* 10. 17.

Cor autem Holophernis concussum est : erat enim ardens in concupiscentiâ ejus (*Judith*). *Ibid.* 12. 16.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job* 31. 1.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Psal.* 118. 37.

Præbe, fili mi, cor tuum mihi : et oculi tui vias meas custodiant. *Prov.* 23. 26. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. *v.* 33.

Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 5. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam à muliere comptâ, et ne circumspicias speciem alienam : *nam* propter speciem mulieris multi perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *Ibid. v.* 7. *et seq. Vide et v.* 3.

Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie, etc. *Ibid.* 25. 28. *per totum caput.*

Erubescite — à salutantibus de silentio, à respectu mulieris fornicariæ : et ab aversione vultûs cognati. *Ibid.* 41. 25. Ne respicias mulierem alieni viri; et ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus. *v.* 27.

Omni homini noli intendere

in specie: et in medio mulierum noli commorari. *Ibid.* 42. 12.

Et videbant eam (*Susannam*) senes quotidiè ingredientem et deambulantem : et exarserunt in concupiscentiam ejus. Et everterunt sensum suum, etc. *Dan.* 13. 8. 9.

Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Mat.* 5. 27. 28.

Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. 2. *Petr.* 2. 14.

*Oculus mentis vel intellectus.*

Assumptâ parabolâ, ait : Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus : dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. *Num.* 24. 3. 4. *Item v.* 15. *Vide Psal.* 12. 4. *et* 13. 3. *et* 35. 1. *et* 68. 24.

Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quæ possunt audire, usquè in præsentem diem. *Deut.* 29. 4.

Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere. *Isa.* 6. 9. *Vide c.* 29. 18. *Item Matth.* 13. 14. *Marc.* 4. 12. *Luc.* 8. 10. *Joan.* 12. 40. *Act.* 28. 26. *Rom.* 11. 8.

*Dixit Paulus :* Undè, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni : sed his, qui sunt Damasci primùm et Jerosolymis, etc. annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Actor.* 26. 19. 20. *Vide et v.* 18.

Deus — det vobis — illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus. *Ephes.* 1. 17. 18. 19. *Vide Rom.* 11. 8. 10. *Item Joan.* 2. 11.

*Oculus Fidei.*

Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. *Cor.* 4. 18. *Vide et Apoc.* 3. 18.

## Odium.

Vide et *Invidia* et *Inimicitia.*

*Odium proximi prohibetur.*

Non oderis fratrem tuum in corde tuo. *Lev.* 19. 17. *Vide et v.* 18.

Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12.

Melius est vocari ad olera cum caritate, quàm ad vitulum saginatum cum odio. *Ibid.* 15. 17.

Si ergò offers munus tuum

ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te : relinque ibi munus tuum antè altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo, etc. *Matth.* 5. 23. 24.

Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usquè adhùc. 1. *Joan.* 2. 9. *Vide et v.* 11.

Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, etc. *Ibid.* 3. 15.

Si quis dixerit, quoniàm diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est, etc. *Ibid.* 4. 20.

*Odio habenda malitia.*

Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum : de manu peccatoris liberabit eos. *Psal.* 96. 10.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam : et super inimicos tuos tabescebam? *Psal.* 138. 21.

Odite malum, et diligite bonum, et constituite in portâ judicium. *Amos* 5. 15. *Vide Rom.* 12. 9.

*Odii exempla.*

*Abimelech et socii ejus, Gen.* 26. 27. *Esau, c.* 27. 41. *Chananæi, c.* 34. 30. *Fratres Joseph, c.* 37. 4. *Ægyptii, Exod.* 1. 13. *Madianitæ, Num.* 25. 18. *Israëlitæ, Judic.* 11. 7. *Cæci et claudi,* 2. *Reg.* 5. 8. *Amnon, c.* 13. 15. *Absalom, v.* 22. *Razon,* 3. *Reg.* 11. 25. *Achab, c.* 22. 8. *Hostes Juda,* 1. *Esdr.* 4. 1. *Aman, Esther* 7. 6. *Hostes David, Psal.* 17. 18. *et* 24. 19. *et* 43. 8. 17. *et* 68. 5. 15. *Judæi, Amos* 5. 10. *Viri quidam iniqui,* 1. *Mach.* 11. 21. *Nicanor,* 2. *Mach.* 14. 39. *Mundus, Joan.* 7. 7. *et c.* 15. 18.

*Odium Dei.*

Nec facies tibi, neque constitues statuam : quæ odit Dominus Deus tuus. *Deut.* 16. 22.

*Odit Dominus* omnes, qui operantur iniquitatem. *Psal.* 5. 7. *Vide totum versum.*

Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus, etc. *Prov.* 16. 10. *Vide singula.*

Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea, etc. *Isa.* 1. 14.

Nolite facere verbum abominationis hujusce modi, quam odivi. *Jer.* 44. 4.

Juravit Dominus Deus in animâ suâ, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. *Amos* 6. 8.

Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. *Zach.* 8. 17.

*Odium Messiæ.*

Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterèa unxit

te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, etc. *Psal.* 44. 8. *Vide Hebr.* 1. 9.

Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaïtarum, quæ et ego odi. *Apoc.* 2. 6.

*Odium sine causâ.*

Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. *Psal.* 34. 19. *Vide et Psal.* 119. 7.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. *Psal.* 68. 5. *Vide totum versum.*

Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. *Joan.* 15. 25. *Vide Psal.* 24. 19.

*Odium salutare propter Deum.*

Qui diligitis Dominum, odite malum. *Psal.* 96. 10.

Iniquos odio habui. *Psal.* 118. 113. Omnem viam iniquam odio habui. *v.* 128. Vidi prævaricantes, et tabescebam. *v.* 158. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum *v.* 163.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos: et inimici facti sunt mihi. *Psal.* 138. 21. 22.

Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Prov.* 8. 13.

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitiâ tuâ: et nimis odito execrationem. *Eccli.* 17. 23.

Odite malum, et diligite bonum. *Amos* 5. 15. *Vide Rom.* 12. 9.

Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus, etc. *Matth.* 10. 37.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12. 25. *Vide Rom.* 12. 9.

*Exitiale in se ipsum.*

Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. *Tob.* 12. 10.

Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. *Psal.* 10. 6.

*Officium filiorum.*
Vide *Filius*, et *Filia.*

*Officium Parentum.*
Vide *Parentes.*

*Officium Subditorum.*
Vide *Subditorum officium.*

OLEUM.

*Oleum in lucernâ Tabernaculi.*

Præcipe filiis Israël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna

semper in tabernaculo testimonii. *Exod.* 27. 20. 21.

*Olei usus.*

Faciesque unctionis oleum sanctum, etc. *Exod.* 30. 25. *et seq.*

ONUS.

*Onus pro afflictione. Isa.* 13. 1. *et c.* 15. 1. *et c.* 17. 1. *et c.* 21. 1. 11. 13. *et c.* 22. 1. *et c.* 23. 1. *et c.* 30. 6. *Jerem.* 23. *v.* 33. 34. 36. 38. *Ezech.* 12. 10. *Nahum.* 1. 1. *Habac.* 1. 1. *Zach.* 9. 1. *et c.* 12. 1. *Malach.* 1. 1.

Alter alterius onera portate. *Galat.* 6. 2. Unusquisque enim onus suum portabit. *v.* 5.

Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos. *Rom.* 15. 7. *Vide Ephes.* 4. 32. *Coloss.* 3. 13.

OPERA, SIVE OPUS.
*Vide et* BONA OPERA.

*Sumitur pro operis vel mercenarii mercede, et pro præmio.*

Non morabitur opus mercenarii tui apud te usquè manè. *Lev.* 19. 13.

Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto : et dabo opus eorum in veritate, etc. *Isa.* 61. 8.

Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

Scientes, quoniàm unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, etc. *Ephes.* 6. 8.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur : amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

*Dantur opera perfectè bona.*

In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Job 1. 22. Vide 4. *Reg.* 20. 3.

Irascimini, et nolite peccare. *Psal.* 4. 5. *Item Ephes.* 4. 26.

Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, et secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi : quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Quoniàm omnia judicia ejus in conspectu meo : et justitias ejus non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo : et observabo me ab iniquitate meâ, etc. *Ibid. v.* 17. 21. *et seq.* Vide 2. *Reg.* 22. 21 *et seq.*

Quiescite agere perversè, discite benefacere, etc. *Isa.* 1. 16. 17.

Obsecro, Domine, memento quæso, quomodò ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. *Ibid.* 38. 3. *Vide* 4. *Reg.* 20. 3.

In multis enim (*non tamen in omnibus*) offendimus omnes. *Jac.* 3. 2.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et

electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquandò. 2 *Petr.* 1. 10 *Vide* 1. *Joan.* 3. 6. *Vide sub Tit. Lex, exempla eorum, qui perfectè impleverunt legem.*

Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniàm semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniàm ex Deo natus est. 1. *Joan* 3. 9. *Vide c.* 5. 18.

*Opera bona commendantur.*

Jàm enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergò arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* 3. 10. *Item Luc* 3. 9.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Ibid.* 5. 16.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere. *Ibid.* 7. 17. 18. *Vide c.* 12. 33. *Item Luc.* 6. 43.

Creati (*sumus*) in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. *Ephes.* 2. 10. *Vide* 1. *Tim.* 6. 18.

(*Christus*) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14. *Vide tot. cap.*

Fidelis sermo est : et de his volo te confirmare : ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. *Ibid.* 3. 8. Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *v.* 14.

Ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones. *Hebr.* 6. 12.

Et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum. *Ibid.* 10. 24.

Carissimi, obsecro vos etc. abstinere vos à carnalibus desideriis — conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut — ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. 1. *Petr.* 2. 11, *et seq. Vide c.* 1. *per totum.*

Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

*Opera bona sunt necessaria ad salutem.*

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus : nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Matth.* 6. 14. 15. *Vide c.* 18. 35. *Eccli.* 28. 1. *et seq. Marc.* 11. 25.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in

regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei etc. *Ibid.* 7. 21. *Vide Luc.* 6. 46.

Si — vis ad vitam ingredi, serva mandata *Ibid.* 19. 17.

Discedite à me maledicti in ignem æternum—Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum, etc. *Ibid.* 25. 41. 42.

*Legisperitus interrogavit Jesum :* Quid faciendo vitam æternam possidebo ? — Diliges Dominum Deum tuum — ex totâ animâ tuâ, etc. et proximum tuum sicut te ipsum. *Tunc Christus ait :* Hoc fac et vives. *Luc.* 10. 25. *et seq.*

Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. *Ibid.* 13. 5. *Vide v.* 3.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *Joan.* 13. 17.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Ibid.* 15. 14.

Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom.* 8. 13.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustinebimus, et conregnabimus, etc. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Hebr.* 10. 36.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? nunquid poterit fides salvare eum ? *Jac.* 2. 14.

*Operum merita et retributio, seu merces.* Vide et *Tit. Bonis operibus ex caritate factis debetur meritum. Item, Merces. Item, Fructus operis boni.*

Quia tu (*Domine*) reddes unicuique juxta opera sua. *Psal.* 61. 12.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas — propter retributionem. *Psal.* 118. 112.

Impius facit opus instabile : seminanti autem justitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18.

Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum. *Eccli.* 36. 18.

Dicite justo, quoniàm benè, quoniàm fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 10. 11.

*Loquitur de Noe, Daniel, et Job :* ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas. *Ezech.* 14. 14. *Item c.* 20.

Beati estis, cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniàm merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt antè

vos. *Matt.* 5. 11. 12. *Vide Luc.* 6. 23.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.* 10. 42. *Vide Marc.* 9. 40.

Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. *Ibid.* 16. 27.

Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, etc. *Ibid.* 20. 2. *Vide v.* 8.

Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. *Ibid.* 25. 34. 35.

Secundùm autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram (*Dei*) in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. *Rom.* 2. 5. 6.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex : non solùm autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. *Hebr.* 6. 10.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Ibid.* 10. 35. *Vide c.* 11. 26.

Beatus vir qui suffert tentationem; quoniàm cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 1. 12.

Videtis, quoniàm ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm? *Ibid.* 2. 24.

Eccè venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. *Apoc.* 22. 12.

*Opera mala Deo displicent, et pœnam merentur.*

Cui (*Adam*) dixit Dominus : Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? *Gen.* 3. 11.

Nonne si benè egeris (*Caïn*), recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? *Ibid.* 4. 7.

Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; pœnituit eum,

quòd hominem fecisset in terrâ. *Ibid.* 6. 5. 6.

Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram — et delebo omnem substantiam, etc. *propter peccatum. Ibid.* 7. 4.

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippè Dei factus est homo. *Ibid.* 9. 6. *Vide Matth.* 26. 52. *Apoc.* 13. 10.

*In ædificatione turris Babel, superborum fastus, et lingua confunditur. Ib. c.* 11.

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo : quia pactum meum irritum fecit. *Ibid.* 17. 14.

Dixit itàque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. *Ib.* 18. 20. *Vide c.* 19. 11.

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo. *Ibid.* 19. 24. Respiciensque uxor ejus (*Lot*) post se, versa est in statuam salis. *v.* 26.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem, quam tulisti (*scilicet Saram uxorem Abrahæ*) : habet enim virum. *Ibid.* 20. 3.

Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum etc. idcircò venit super nos ista tribulatio. *Ibid.* 42. 21. *Vide et c.* 44. 16.

Clamor ergò filiorum Israël venit ad me : vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur. *Et liberavit Deus filios Israël, et Ægyptios punivit. Exod.* 3. 9.

*Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virgâ percussam in sanguinem quæ etiam faciunt Magi Pharaonis suis incantationibus ; quam ob causam Pharao magis induratur. Exod. c.* 7. *Secunda Æhyptiorum plaga est Ranarum. Tertia est Sciniphum. Quarta est Muscarum, propter quas rursùm promittit Pharao se filios Israël dimissurum, quod non fecit. Ibid. c.* 8. *Quinta plaga est Pestis in jumentis. Sexta Ulcerum. Septima Grandinis, ob quam promittit Pharao se dimissurum populum, si cesset ; verùm nec id complet : nullus autem filiorum Israël in his malis aliquid patitur mali. Ibid. c.* 9. *Octava plaga est Locustarum. Nona est Tenebrarum densissimarum. Ibid. c.* 10. *Decima, ut omne primogenitum hominum, et jumentorum moreretur. Ibid. c.* 11. *et* 12.

*Ob vitulum adoratum Moyses Dominum precatur, tabulas frangit, vitulum comburit, et Aaron objurgato, Idololatras occidi jubet, cæterisque veniam impetrat. Ibid. c.* 32. Cui

(*Moysi*) respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. *v.* 33. *Vide Deut.* 10. 2. *Et deinceps per omnes sacræ Scripturæ libros.*

*Opera bona Deo grata sunt, et præmium merentur.*

Vide et *bona opera.*

Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum : et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. *Gen.* 4. 4. Nonne si benè egeris (*Caïn*), recipies : sin autem malè, statim in foribus peccatum (*tuum*) aderit ? *v.* 7. *Vide Hebr.* 11. 4.

Ambulavit cum Deo (*Henoch*), et non apparuit : quia tulit eum Deus. *Ibid.* 5. 24. *Vide Eccli.* 44. 16. *Hebr.* 11. 5.

Noë verò invenit gratiam coram Domino. Hæ sunt generationes Noë : Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. *Ibid.* 6. 8. 9. *Vide Eccli.* 44. 17.

Ædificavit autem Noë altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ : non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem, sicut feci. *Ibid.* 8. 20. *et seq.*

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Ibid.* 22. 15. *et seq. Vide Exod.* 1. 20.

Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli : daboque posteris tuis universas regiones has : et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. *Ibid.* 26. 4. *Vide c.* 12. 2. 3.

Quòd si audieris vocem ejus (*Angeli*), et feceris omnia quæ loquor : inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, etc. *Exod.* 23. 22. *Vide Deut.* 7. 12. *et seq.*

Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terrâ Ægypti, ut essem vobis in Deum. *Levit.* 11. 43. *et seq. Et sic deinceps per totam Scripturam.*

*Operari benè propter mercedem, et retributionem, licitum est.*

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Psal.* 118. 112.

Gaudete et exultate, quoniàm merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5. 12. *Item Luc.* 6. 23.

Quodcumque facitis, ex animo operamini — scientes quòd à Domino accipietis retributionem. *Coloss.* 3. 23. 24.

In relinquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex; non solùm autem mihi sed et iis, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8.

Fide Moyses grandis factus negavit, etc. majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. *Heb.* 11. 24. 26.

*Operari benè iram Dei placat.*

Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Jerem.* 7. 3. *Item c.* 26. 13.

Qui benefacit, ex Deo est. 3. *Joan.* 11.

*Proximum ædificat.*

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 5. 16. *Vide* 1. *Petr.* 2. 12.

Tantùm autem auditum habebant : quoniàm qui persequebatur nos aliquandò, nunc evangelizat fidem, quam aliquandò expugnabat; et in me clarificabant Deum. *Gal.* 1. 23. 24.

*Præmium præparat.*

Et cognovi, quòd non esset melius, nisi lætari, et facere benè in vitâ suâ. *Eccles.* 3. 12.

Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui illud operatur, ibit cum illo. *Eccli.* 14. 20. *Vide v.* 21.

Voca operarios, et redde illis mercedem. *Matth.* 20. 8.

Gloria — et honor, et pax omni operanti bonum. *Rom.* 2. 10.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8. Qui parcè seminat, parcè et metet. 2. *Cor.* 9. 6. *Vide totum versum.*

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. — Opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

*Licet operari benè propter metum gehennæ.*

Initium sapientiæ timor Domini. *Psal.* 110. 10. *Vide Prov.* 1. 7. *et c.* 9. 10. *Item Eccli.* 1. 16.

Confige (*Domine*) timore

tuo carnes meas : à judiciis enim tuis timui. *Psal.* 118. 120.

Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10. 28.

Timete Dominum etc. quia venit hora judicii ejus. *Apoc.* 14. 7.

*Opera supererogationis, seu consilia Evangelica dantur.*

*Dicit Christus de castitate voluntariâ* : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi — qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. *Matth.* 19. 11. 12.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. *Cor.* 7. 1. Volo enim, omnes vos esse sicut me ipsum. *v.* 7. Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. *v.* 8. De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do. *v.* 25. Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem. *v.* 27. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, benè fecit, et qui non jungit, meliùs facit. *v.* 38. Cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium : puto autem, quòd et ego Spiritum Dei habeam. *v.* 39. *et* 40. *Vide totum caput.*

*De paupertate voluntariâ dicit Christus : Non volo, non jubeo, sed* : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Matth.* 19. 21. *Hoc consilium perfectionis esse, non autem præceptum ad salutem, patet ex verbis Christi; qui interroganti juveni : Quid faciam, ut salvus fiam ? respondit* : Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. *v.* 17. *Ubi ostendit, mandatorum observationem sufficere ad salutem, deindè subjungit* : Si vis perfectus esse, *id est, si non es contentus æternâ vitâ, sed in eâ cupis aliquem præstantiorem locum obtinere, si vis facere opus supererogationis* : Vade, vende quæ habes, etc.

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Ibid. v.* 29.

*Opera mortificationis.*

Et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsùm, jacuit super terram. 2. *Reg.* 12. 16.

*Achab rex* operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, etc. Et factus est sermo Domini ad Eliam, — Quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. *et seq. Sic de Ninivitis, Jonæ c.* 3. *à v.* 5. *usquè ad finem.*

*Job egit* pœnitentiam in favillâ et cinere. *Job* 42. 6.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio,— et in planctu. *Joel.* 2. 12.

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. 1. *Cor.* 9. 27.

Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3. 5.

*Operum bonorum commemoratio.*

Obsecro, Domine, memento quæso, quomodò ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. 4. *Reg.* 20. 3. *Item Isa.* 38. 3.

Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam : et secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi : quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, etc *Psal.* 17. 21. 22.

Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. *Psal.* 131. 1.

*Operatio domestica.*

*Operationis domesticæ modus bonus.*

Et posuit eum (*Dominus hominem*) in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. *Gen.* 2. 15. Emisit eum Dominus Deus (*hominem*) de paradiso voluptatis, ut operaretur terram. *Ib.* 3. *v.* 23. *Et sic videre licet, quòd Deus hominem voluerit operari tàm in statu innocentiæ, quàm post peccatum.*

In sudore vultûs tui vesceris pane (*tuo*). *Ibid.* 3. 19.

Qui observat ventum, non seminat : et qui considerat nubes, nunquàm metet. *Eccles.* 11. 4.

Qui tenet aratrum, etc. Omnes hi in manibus suis speraverunt, et unusquisque in arte suâ sapiens est. Sine his omnibus non ædificatur civitas. *Eccli.* 38. 26, 35. *et seq. usq. ad* 37.

*Fructus.* Vide *sub Tit. Panis, Panis labore comparandus. Item Otium vitandum.*

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Prov.* 12. 11.

Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum. *Eccli.* 20. 30.

*Servus, qui accepit quinque talenta*, et operatus est in eis, lucratus est alia quinque, *commendatus est à Domino* : similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. *Alius autem, qui unum accepit, et non multiplicavit, et inutiliter reservavit, reprobatus fuit. Matth.* 25. 16. *et seq. usq. ad* 31.

*Paulus apud Corinthios manebat*, quia ejusdem erat artis — et operabatur *manibus. Act.* 18. 3. *Vide c.* 20. 34. *Item* 1. *Cor.* 4. 12. 1. *Thess.* 2. 9. 2. *Thess.* 3. 8.

Quoniàm si quis non vult operari, nec manducet. 2. *Thess.* 3. 10. Ut cum silentio operantes, suum panem manducent. *v.* 12.

*Non in quolibet opere homo peccat.*

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

Omnis, qui in eo (*Deo*) manet, non peccat : et omnis, qui peccat : non vidit eum, nec cognovit eum. 1. *Joan.* 3. 6. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniàm semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniàm ex Deo natus est. *v.* 9.

Scimus, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. *Ibid.* 5. 18.

*Opera bona quæ sint.*
Vide *Bona opera.*

*Opera à nobis proximo exhibita, tanquàm sibi facta reputat Deus, sive bona sint, sive mala.*

Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israël. *Isa.* 37. 23.

Et bellabunt adversùm te (*ô Jeremia*), et non prævalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. *Jer.* 1. 19.

O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis : quia hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zach.* 2. 7. 8.

Amen dico vobis, quandiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 40.

Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 1. *Cor.* 8. 12. *Vide Actor.* 9. 5.

Opes. *Vide et* Divitiæ.

*Opes à Deo sunt.*

*Dixit Dominus, ad Abraham :* Semini tuo dabo terram hanc. *Gen.* 12. 7. *Vide et c.* 13. *v.* 14. 15. 17. *c.* 15. 18. *c.* 17. 8. *c.* 23. 7. *c.* 26. 3.

Nonne tu (*Deus*) vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum : operibus manuum ejus benedixisti et possessio ejus crevit in terrâ? *Job* 1. 10.

Dominus autem benedixit novissimis Job magis quàm principio ejus, etc. *Ibid.* 42. 12.

Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus. *Prov.* 22. 2.

Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, et fruatur parte suâ, et lætetur de labore

suo : hoc est donum Dei. *Eccles.* 5. 18.

*Opes nimiæ non appetendæ.*

Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum. *Prov.* 23. 4. 5.

Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi (*Deus*) : *sed* tribue tantùm victui meo necessaria : ne fortè satiatus illiciar ad te negandum, et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Ibid.* 30. 8. 9.

Avarus non implebitur pecuniâ : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis : et hoc ergò vanitas. *Eccles.* 5. 9. *Vide et versus sequentes. Item c.* 4. 8. *et c.* 6. 2. 3.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem : radix enim omnium malorum est cupiditas. 1. *Tim.* 6. 9. 10.

*Opes statim et de repentè cum dolo, mendacio, fœnore, et rapinis partæ, inutiles.*

Substantia festinata minuetur : quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. *Prov.* 13. 11.

Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. *Ibid.* 20. 21.

Qui congregat thesauros linguâ mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21. 6. *Vide et versum sequentem.*

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Vir fidelis multùm laudabitur, qui autem festinat ditari, non erit innocens. *Ibid.* 28. 20. *Vide v.* 22.

Avarus non implebitur pecuniâ : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. *Eccles.* 5. 9.

*Opes interdùm suis dominis ruinam afferunt.*

Nec est satiatus venter ejus : et cùm habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit. *Job* 20. 20.

Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. etc. *Eccles.* 5. 12. *Vide et totum Caput* 6.

*Opifex.* Vide *Artifex.*

OPINIO.

*Opiniones hominum, et cogitationes frequenter sunt erroneæ.*

Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem

alienum : quod eis præceptum non erat, etc. *Levit.* 10. 1. *Vide v.* 2.

Nec sequantur cogitationes suas. *Num.* 15. 39.

Non facietis ibi (*scilicet idololatriam*) quæ nos hìc facimus hodiè, singuli quod sibi rectum videtur. *Deut.* 12. 8.

Cùmque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens : Pax erit mihi et ambulabo in pravitate cordis mei, etc. *Ibid.* 29. 19. *Vide* 1. *Reg.* 15. 9. 2. *Reg.* 6. 8.

Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. *Prov.* 12. 15.

Est via, quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem. *Ibid.* 14. 12.

Omnis via viri recta sibi videtur : appendit autem corda Dominus. *Ibid.* 21. 2.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. *Isa.* 5. 21. *Vide Prov.* 3. 7. *Rom.* 12. 16.

Qui dicebas (*Lucifer*) in corde tuo : in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, etc. *Ibid.* 14. 13. *et seq.*

Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ : neque viæ vestræ, viæ meæ (*sunt*), dicit Dominus. *Ibid.* 55. 8.

Et assumens eum (*Jesum*) Petrus : cœpit increpare illum, dicens : Absit à te, Domine : non erit tibi hoc (*scilicet ut adeas Jerusalem, et dira patiaris à Scribis et Pharisæis*). *Matth.* 16. 22. *Item Marc.* 8. 32. *Joan.* 12. 5.

Dicit ei (*Jesu*) Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. *Joan.* 13. 8.

### Oppressio.

*Oppressio bonorum in mundo piis destinata et perpetua.*

In mundo pressuram habebitis. *Joan.* 16. 33.

Ut nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus. 1. *Thess.* 3. 3. *Vide et v.* 4. *Item* 2. *Tim.* 3. 12.

In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. *Petr.* 2. 21.

Itaque et hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. *Ibid.* 4. 19.

*Oppressionis bonorum per malos exempla.*

*Caïn nequam et invidus prævaluit adversùs Abel justum, et occidit eum. Gen.* 4. 8.

*Sodomitæ animam Lot multipliciter affixerunt. Ibid.* 19. 4. 9.

Oderat ergò semper Esaü Jacob — dixitque in corde suo :

Venient dies luctûs patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. *Undè et compulsus est Jacob fugere ad Laban avunculum suum. Ibid.* 27. 41. *et c.* 28. 5.

Oderantque filios Israël Ægyptii, et affligebant illudentes eis : atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, etc. *Exod.* 1. 13. 14.

*Abimelech ambiens principatum, occidit septuaginta fratres suos. Judic.* 9. 5.

*Saül diù persecutus est David, cui tamen hic fideliter et utiliter serviebat.* 1. *Reg.* 18. 11.

*Absalom adeò commovit populum adversùs David, ut compulsus sit exire de Jerusalem.* 2. *Reg.* 15. 16.

*Impiissima Jezabel minata et conata est ut occideret hominem Dei Eliam. Itaque ille timens* abiit, quocumquè eum ferebat voluntas. 3. *Reg.* 19. 2. 3.

*Rex Israël Joram pessimus, audiens, quòd maxima fames esset in civitate, misit virum ad amputandum caput Elisei.* 4. *Reg.* 6. 31.

*Ad imperium Joas regis Juda, lapidatus est Zacharias filius Jojadæ, pro eo, quòd arguebat regem et populum, sculptilibus servientes.* 2. *Par.* 24. 21.

*Nabuchodonosor præcepit Holopherni, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus Deus diceretur : propter hoc multa regna destruxit, et populum Dei, qui nuper redierat de civitate Babylonis, vehementer afflixit. Judith c.* 2. *et seq.*

*Aman superbus, crudelis, et impius ità potens fuit, ut pro nihilo habuerit procurare necem omnium Judæorum; sed divina providentia ejus conatibus obviavit. Esther* 3. 6. *Vide et capita sequentia.*

Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam, et misit eum in nervum. *Jer.* 20. 2.

*Hananias prophetavit planè contra illud, quod dicebat Jeremias, et tulit catenam de collo Jeremiæ, et confregit eam; et abiit Jeremias in domum suam, quasi confusus ab illo Prophetâ mendace. Ibid. c.* 28.

*Nabuchodonosor rex Babylonis Azariam et socios ejus in fornacem mitti jussit, eò quòd illi adorare noluerunt statuam quam ipse idololatra erexit. Et Daniel bis fuit missus in locum leonum, procurantibus pessimis hominibus. Dan.* 3. 19. *et c.* 6. 16. *et c.* 14. 30.

*Antiochus* ascendit Jerosolymam in multitudine gravi, *cum superbiâ magnâ, et fecit ibi terribilem hominum cædem.* 1. *Mach.* 1. 22.

*Bacchides et Alcimus proditor, missi à rege Demetrio, tantum exercitum produxerunt contra Judam Machabæum, ut ipse Judas ceciderit in bello, et cæteri commilitones sui fugerint. Ibid. c.* 9. 18.

*Perfidus et dolosus Tryphon,*

*qui dominum suum regem Antiochum adolescentem dolo occidit, Jonathan et duos ejus filios nequiter interfecit. Ibid. c.* 13. 23. 31.

*Joannem Baptistam, totius exemplar sanctitatis, ad petitionem unius saltatricis, Herodes adulter, et homicida decollavit. Matth.* 14. 8. 10.

*Salvator mundi Dominus noster Jesus Christus fuit percussus et delusus ab Annâ, Caïphâ, et Herode tetrarchâ, et tandem à præside Pilato judicatus et crucifixus, imò ab ipsis latronibus blasphematus. Ibid.* 26. 57. *Vide et c.* 27. 2. *Item Marc.* 15. 15. *Luc.* 23. 11. 39. *Joan.* 18. 13.

Princeps sacerdotum et omnes, qui cum illo erant, — injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custodiâ publicâ; *et posteà fuerunt cæsi, et denuntiatum est eis*, ne omninò loquerentur in nomine Jesu. *Actor.* 5. 17. 18. 40.

Quidam de Synagogâ — commoverunt — plebem, et seniores, et Scribas, *et rapuerunt Stephanum, et statuentes falsos testes contra eum, lapidaverunt eum. Ibid.* 9. 6. 12. *et c.* 7. 57.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio, *et insuper apprehendit Petrum, et misit in carcerem. Ibid.* 12. 1. *et seq.*

Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam : ejecerunt eos de finibus suis. *Ibid.* 13. 50.

*Cùm Paulus et Barnabas essent Lystræ in civitate ità honorati, ut illi homines istis quasi diis sacrificare vellent; supervenerunt quidam Judæi*, et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. *Ibid.* 14. *v.* 10. 12. 18.

*Quidam quæstuarii, domini mulieris cujusdam pythonissæ, à quâ dæmonium Paulus ejecerat ità concitaverunt principes et magistratus civitatis Philipporum, ut Paulus et Silas socius ejus jussi sint cædi, et in carcerem mitti, et pedes eorum ligno adstringi. Ibid.* 16. 19. *et seq. Vide et Titul. Tribulatio.*

### *Oppressores pauperum à Deo punientur.*

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in portâ : quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. *Prov.* 22. 22. 23. *Vide Amos* 5. 11.

### Oratio.

### *Orare in nomine Jesu.*

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in filio. *Joan.* 14. 13.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Ibid.* 15. 16.

Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ibid.* 16. 23. *Vide v.* 24. *et* 26.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum (*Deum*) : quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos, etc. 1. *Joan.* 5. 14. *Vide v.* 15.

*Orare in Spiritu Sancto.*

Non enim accepistis Spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, (Pater), etc. *Rom.* 8. 15. *Vide et Galat.* 4. 6.

Orabo spiritu, orabo et mente, etc. 1. *Cor.* 14. 15.

Orantes omni tempore in spiritu. *Ephes.* 6. 18.

Vos autem, carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, etc. *Judæ v.* 20.

*Orare quemadmodùm oporteat, frequenter ignoramus, et ideò malè oramus.*

Tunc accessit ad eum (*Jesum*) mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Matt.* 20. 20. *et seq. Item. Marc.* 10. 35.

Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26.

Petitis, et non accipitis : eò quòd malè petatis : ut in con. cupiscentiis vestris insumatis. *Jacob.* 4. 3

*Orare noctes atque dies.*

Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ. *Psal.* 118. 62.

Videte, vigilate, et orate. *Marc.* 13. 33.

Dicebat autem et parabolam ad illos (*Discipulos*) : quoniàm oportet semper orare, et non deficere. *Luc.* 18. 1. *Vide præsertim v.* 7.

Vigilate itaque, omni tempore orantes. *Ibid.* 21. 36. *Vide. Eccli.* 18. 22.

Nos verò orationi, et ministerio verbi instantes erimus. *Actor.* 6. 4.

Orationi instantes. *Rom.* 12. 12. *Vide. Coloss.* 4. 2.

Quam enim gratiarum actionem possumus retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos antè

Deum nostrum, nocte ac die abundantiùs orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? 1. *Thess.* 3. 9. 10. *Vide c.* 5. 17.

Quæ autem verè vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die. 1. *Tim.* 5. 5.

Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus (*meis*) in conscientiâ purâ : quod sine intermissione habeam tuî memoriam in orationibus meis, nocte ac die. 2. *Tim.* 1. 3.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

*Orare sine intermissione.*

Non impediaris orare semper. *Eccli.* 18. 22.

Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. *Matth.* 7. 7. *Vide c.* 21 22. *Item. Tarc.* 11, 24. *Luc.* 11. 9. *Joan.* 14. 13. *et c.* 16. 23. 24.

Dicebat autem et parabolam ad illos. (*Discipulos*) : quoniàm oportet semper orare, et non deficere. *Luc.* 18. 1. *Vide Joan.* 14. 13.

Vir autem quidam erat in Cœsareâ nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. *Actor.* 10. 1. 2.

Et galeam salutis assumite, — per omnem orationem et obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes, in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis, etc. *Ephes.* 6. 17. 18.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, etc. *Col.* 4. 2. 3. *Vide Rom.* 12. 12.

Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite, etc. 1. *Thess.* 5. 17. 18. *Vide* 2. *Tim.* 1. 3.

*Orandum ubique locorum.*

Benedicite Domino, omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino. *Psal.* 102. 22.

Cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro. 1. *Cor.* 1. 2. *Vide Joan.* 4. 23.

Volo ergò, viros orare in omni loco, levantes puras manus 1. *Tim.* 2. 8.

*Orandum cum fiduciâ.*

Tu enim, Domine Deus meus, revelâsti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum : et idcircò invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te. 1. *Par.* 17. 25.

*Respondit Jesus discipulis suis :* Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsita-

veritis, non solùm de ficulneâ facietis, sed et si monti huic dixeritis, tolle, et jacta te in mare, fiet. *Matth.* 21. 21. *Vide et v.* 22. *Item c.* 17. 19. *Luc.* 17. 6.

Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Marc.* 11. 24.

Postulet autem in fide, nihil hæsitans, etc. *Jac.* 1. 6.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum (*Deum*) : quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos, etc. 1. *Joan.* 5. 14. *Vide v.* 15.

*Orare, ut fidei prædicatio successum habeat.*

Nos verò orationi, et ministerio verbi instantes erimus. *Actor.* 6. 4.

Obsecro ergò vos, fratres, etc. ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæâ, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, etc. *Rom.* 15. 30. 31. *Vide* 1. *Thess.* 5. 25.

Orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis, et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Evangelii. *Ephes.* 6. 18. 19. *Vide Actor.* 6. 4.

Orantes simul et pro nobis : ut Deus aperiat nobis, ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, etc. *Coloss.* 4. 3.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess.* 3. 1.

*Orare alium pro alio.*

Dixeruntque (*reliquiæ Judæorum*) ad Jeremiam Prophetam : Cadat oratio nostra in conspectu tuo : et ora pro nobis ad dominum Deum tuum pro universis reliquiis istis : quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur. *Jer.* 42. 2. *Vide v.* 20.

Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum : quia peccavimus Domino Deo nostro (*aiunt Judæi in Babylone his, qui erant in Jerusalem*), et non est aversus furor ejus à nobis usquè in hunc diem, *Baruch* 1. 13. *Vide* 2. *Mach.* 1. 6. *Item.* 2. *Cor.* 1. 11.

Et galeam salutis assumite — per omnem orationem et obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis, etc. *Ephes.* 6. 17. 18.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, etc. *Coloss.* 4. 2. 3.

Fratres, orate pro nobis. 1. *Thess.* 5. 25. *Vide Hebr.* 13. 18.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat,

et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess.* 3. 1.

Obsecro igitur primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, etc. 1. *Tim.* 2. 1. 2.

Confitemini ergò alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini : multùm enim valet deprecatio justi assidua. *Jac.* 5. 16. *Vide et v.* 14. *de ægrotis.*

*Orandum est pro aliis. Exempla.*

*Abraham orat pro Ismaële, Gen.* 17. 18. 20. *Pro Sodomitarum incolumitate, c.* 18. 23. *et seq. Pro Abimelechi uxore et ancillis, c.* 20. 17. *Lot pro urbe Segor, c.* 19. 20. *Fratres pro Rebeccâ, c.* 24. 60. *Joseph pro Benjamin, c.* 43. 29. *Jacob benedicit filiis Joseph, hoc est oratione precatur eis benedictionem divinam, et conferri eis cupit corporalia simul, et spiritualia bona, c.* 48. 15. *et Hebr.* 11. 21. *Moyses orat pro populo, Exod.* 32. 11. *et c.* 33. 13. *et c.* 34. 9. *Item Num.* 14. 19. *Pro sorore, Num. c.* 12. 13. *Samuël pro populo,* 1. *Reg.* 12. 23. *David pro infante ægroto,* 2. *Reg.* 12. 16. *Servi David pro rege suo,* 3. *Reg.* 1. 47. *Vir Dei pro Jeroboam, c.* 13. 6. *David pro Salomone,* 1. *Paral.* 22. 12.

*Orationes aliorum pro se expetendæ sunt.*

*Abimelecho jubet Deus, ut Abrahæ preces expetat, Gen.* 20. 7. 17. *Pharao Moysis et Aaronis precibus se commendat, Exod.* 8. 28. *Aaron hortatur Moysen, ut pro Mariâ oret, Num.* 12. 11. *Populus hoc idem à Samuële efflagitat,* 1. *Reg.* 12. 19. *Jeroboam,* 3. *Reg.* 13. 6. *Naaman Syrus,* 4. *Reg.* 5. 18. *Ezechias c.* 19. 4. *Item Isa.* 37. 4. *Josias,* 2. *Par.* 34. 21. *Sedecias, Jer.* 37. 3. *Bellatorum principes, etc. c.* 42. 2. *Simon magus, Actor.* 8. 34. *Paulus, Rom.* 15. 30. *Item Ephes.* 6. 18. 19. *Philipp.* 1. 19. *Coloss.* 4. 3. 1. *Thess.* 5. 25. 2. *Thess.* 3. 1. *Hebr.* 13. 18.

*Orandum pro inimicis et impiis.*

*Sic Abraham oravit pro impiis Sodomitis. Gen.* 18. 23. *et seq.*

*Sic etiam Lot pro impiâ civitate Segor. Ibid.* 19. 19.

*Sic iterùm Abraham pro Abimelech. Ibid.* 20. 17.

*Moyses pro Hebræis idololatris. Exod.* 32. 11.

Qui ceciderunt (*Moyses et Aaron*) proni in faciem, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis, nùm uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? *Num.* 16. 22. Dixit Moyses ad Aaron : Tolle

thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, ut roges pro eis : jàm enim egressa est ira à Domino, et plaga desævit. *v.* 46. *Vide Sap.* 18. 21. *Loquitur de* 14700. *consumptis igne, cum Dathan et Abiron, eò quòd murmuraverint, etc.*

*Sic oravit Samuël pro Saüle rege impio.* 1. *Reg.* 15. 35.

Cùmque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt : Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 2. *Mach.* 3. 33.

Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. *Matth.* 5. 44. 45.

Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. *Luc.* 6. 28.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. *Ibid.* 23. 34.

Positis autem genibus, clamavit voce magnâ (*Stephanus*), dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino. *Actor.* 7. 59.

*Orare pro Defunctis.*
Vide *Purgatorium.*

*Adhortatio ad studium orandi.*

Vigilate ergò, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. *Matth.* 24. 42. *Vide c.* 25. 13.

Videte, vigilate, et orate. *Marc.* 13. 33. *Vide Luc.* 18. 1. *Coloss.* 4. 2.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 17. *Vide Eccli.* 18. 22.

*Oratio, quomodò, quandò, cui et ubi fieri debeat, et quid petendum.*

Et dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti; quòd senes populi sint ac magistri : et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, etc. *Num.* 11. 16. *Vide præcedentia.*

Nec est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4. 7. *Vide c.* 9. 26.

Et clamantes (*filii Israël in idololatriam lapsi*) ad Dominum, dixerunt : Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim. *Judic.* 10. 10. Dixeruntque filii Israël ad Dominum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet : tantùm nunc libera nos. *v.* 15.

Cùm esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens, etc. 1. *Reg.* 1. 10. 11.

Et ait (*David*) : Dominus petra mea, et robur meum,

et Salvator meus, etc. 2. *Reg.* 22. 2. In tribulatione meâ invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo : et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus. *v.* 7. *Vide Psal.* 17. 2. 3. *et* 7.

*Ait Salomon :* Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo, ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. 3. *Reg.* 3. 7. *Vid. versus sequentes.*

Sed in oratione persistens (*Sara*), cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. *Tob.* 3. 11. Dixit : Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. Ad te, Domine, faciem meam converto : ad te oculos meos dirigo. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certè desuper terram eripias me. *v.* 13. *et seq.*

Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israël, allocutusque est eos, dicens : Scitote, quoniàm exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini. *Judith.* 4. 11. 12.

Non impediaris orare semper. *Eccli.* 18. 22.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, etc. *Ibid.* 35. 21. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *v.* 26.

Eritque, antequàm clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* 65. 24.

Et factum est : cùm consummasset comedere herbam terræ, dixi : Domine Deus, propitius esto, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est ? *Amos* 7. 2, *Vide et v.* 5.

Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis plateârum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6. 5. Sic ergò vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, etc. *v.* 9. *Item Luc.* 11. 2.

Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. *Ibid.* 7. 7. *Item Luc.* 11. 9.

Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. *Ib.* 18. 19.

Tunc accessit ad eum (*Jesum*) mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis ? Ait illi : Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis, quid

petatis. *Ibid.* 20. 20. *et seq. Item Marc.* 10. 35.

Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Ibid.* 21. 22. *Item Marc.* 11. 24.

Hoc genus (*dæmoniorum*) in nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio. *Marc.* 9. 28. *Vide Matth.* 17. 20.

Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quandò tempus sit. *Ibid.* 13. 33. *Vide Matth.* 24. 42.

Et hæc vidua (*Anna prophetissa*) usquè ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Dicebat autem et parabolam ad illos: quoniàm oportet semper orare et non deficere. *Luc.* 18. 1.

Et cùm pervenisset ad locum (*scilicet montem Olivarum*), dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. *Ibid.* 22. 40.

Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. *Joan.* 4. 24.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Ibid.* 9. 31.

Et quodcùmque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. *Ibid.* 14. 13.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. *Ibid.* 15. 7.

Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ibid.* 16. 23. *Videetv.* 24.

Hi omnes (*Apostoli*) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu, et fratribus ejus. *Actor.* 1. 14.

Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Ibid.* 2. 42.

Qui cùm audissent (*Apostoli de claudo sanato*), unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt, etc. *Ibid.* 4. 24. Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiduciâ. *v.* 31. *Vide c.* 13. 3. *et c.* 14. 22.

*Cornelius erat* religiosus ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper, etc. *Ibid.* 10. 2.

Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26.

Spe gaudentes: in tribula-

tione patientes orationi instantes. *Ibid.* 12. 12.

Et ideò qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur. 1. *Cor.* 14. 13. *Vide et versus sequentes.*

Et galeam salutis assumite— per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantiâ et obsecratione pro omnibus Sanctis, etc. *Ephes.* 6. 17. 18.

Orationi instate, vigilantes in eâ, in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, etc. *Coloss.* 4. 2. 3. *Vide* 2. *Thess.* 3. 1. *et c.* 5. 25.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 17.

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, etc. 1. *Tim.* 2. 1.

Orate pro nobis : confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conversari. *Heb.* 13. 18.

Postulet autem in fide, nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, et circumfertur. *Jacob.* 1. 6. *Vide Apoc.* 19. 10. *et c.* 22. 9.

Petitis, et non accipitis : eò quòd malè petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Ibid.* 4. 3.

Tristatur aliquis vestrûm? oret. Æquo animo est? psallat. *Ib.* 5. 13. *Vide et v.* 14. *et* 16.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. 1. *Petr.* 3. 12. *Vide Psal.* 33. 16.

*Oratio Deum inclinat.*

Eritque, antequàm clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* 65. 24.

Petite, et dabitur vobis, etc. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur. *Matth.* 7. 7. 8.

Si ergò vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? *Luc.* 11. 13.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Joan.* 14. 13.

*Peccatum purgat.*

Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. *Lev.* 4. 20. Rogabitque pro eo *sacerdos*, — et pro peccato ejus, et dimittetur ei. *v.* 31. 35.

Respicite, filii, nationes hominum : et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? Aut quis invocavit eum, et despexit illum? etc. *Eccli.* 2. 11. 12.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur. *Ibid.* 3. 4.

Quis est qui condemnet?

Christus Jesus, qui mortuus est: imò qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

Undè et salvare in perpetuum potest (*Jesus*) accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. *Hebr.* 7. 25.

*Hostem superat spiritualem.*

Hoc autem genus (*dæmoniorum*) non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. *Matth.* 17. 20.

Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. *Ibid.* 26. 41. *Vide Marc.* 14. 38. *Luc.* 22. 46.

*Corporalem.*

Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me. *Ps.* 49. 15. *Vide totum Ps.* 90.

*Impetrat boni consecutionem.*

Fili, in tuâ infirmitate ne despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te. *Eccli.* 38. 9. *Vide Isa.* 38. 3.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. *Rom.* 10. 1.

Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantiâ et obsecratione, pro omnibus Sanctis; et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Evangelii. *Ephes.* 6. 18. 19.

Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem. *Phil.* 1. 19.

Ideò et nos ex quâ die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientiâ et intellectu spiritali: ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes etc. *Coloss.* 1. 9. 10.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione: orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi. *Ib.* 4. 2. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei. *v.* 12.

In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione suâ Deus noster, etc. 2. *Thess.* 1. 11.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos: et ut liberemur ab importunis, et malis hominibus. *Ib.* 3. 1. 2.

Obsecro igitur primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. 1. *Tim.* 2. 1. 2.

*Periculi evasionem.*

Obsecro ergò vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, etc. *Rom.* 15. 30. 31.

*Orationes quæ, quemadmodùm oportet, fiunt, exaudit Deus.*

Eccè, ait (*Angelus ad Agar ancillam Saræ et fugientem ab illâ*), concepisti, et paries filium : vocabisque nomen ejus Ismaël, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam. *Gen.* 16. 11.

Exaudivit autem Deus vocem pueri (*Ismaëlis*); vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens : Quid agis, Agar? noli timere : exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Surge, tolle puerum, et tene manum illius : quia in gentem magnam faciam eum. *Ib.* 21. 17. 18.

Et audivit gemitum eorum (*scilicet filiorum Israël post mortem regis Ægypti*), ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob. Et respexit Dominus filios Israël, et cognovit eos. *Exod.* 2. 24. 25.

Cui (*Moysi*) ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, etc. *Ib.* 3. 7.

Ego audivi gemitum filiorum Israël, quo Ægyptii oppresserunt eos : et recordatus sum pacti mei. *Ib.* 6. 5.

Si læseritis eos (*scilicet viduam et pupillum*) vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum. *Ib.* 22. 23. Ipsum enim (*vestimentum proximi tui*) est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat : si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. *v.* 27.

Nec est alia Natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4. 7.

Cave, ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare : ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. *Ibid.* 15. 9.

Tulit autem Samuël agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino : et clamavit Samuël ad Dominum pro Israël, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem, cum Samuël offerret holocaustum, Philisthiim inièrc prælium contra Israël : intonuit autem Dominus fragore magno in die illâ super Philisthiim, et

exterruit eos, et cæsi sunt à facie Israël. 1. *Reg.* 7. 9. 10.

Quia respexi populum meum (*ait Deus*) : venit enim clamor eorum ad me. *Ibid.* 9. 16.

Et clamavit Samuël ad Dominum : et dedit Dominus voces, et pluvias in illâ die. *Ibid.* 12. 18.

Laudabilem invocabo Dominum (*ait David*) : et ab inimicis meis salvus ero. 2. *Reg.* 22. 4. In tribulatione meâ invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo : et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus. *v.* 7. *Item Psal.* 17. 4. *et* 7.

Et ait rex (*Jeroboam*) ad virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea (*arida*) mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut priùs fuerat. 3. *Reg.* 13. 6.

Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. *Ib.* 17. 22. *et c.* 18. 36. *Vide Historiam Eliæ, et perlustra orationem Prophetæ, et ut exaudivit eum Deus.*

Revertere (*ait Deus ad Isaïam*), et dic Ezechiæ duci populi mei : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : et eccè sanavi te : die tertio ascendes templum Domini, etc. 4. *Reg.* 20. 5. *et c.* 13. 4. *Vide* 2. *Par.* 32. 20. *Isa.* 38. 5.

Deprecatusque est eum (*Manasses*), et obsecravit intentè : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum; et cognovit Manasses, quòd Dominus ipse esset Deus. 2. *Par.* 33. 13.

Propterea dicit Dominus : Jàm non silebo de impietatibus eorum, quæ irreligiosè agunt, nec sustinebo in his, quæ iniquè exercent. Eccè sanguis innoxius, et justus clamat ad me, et animæ justorum clamant perseveranter. Vindicans vindicabo illos, dicit Dominus, et accipiam omnem sanguinem innoxium ex illis ad me. 4. *Esdr.* 15. 7. *et seq.*

In illo tempore exauditæ sunt preces amborum (*Tobiæ et Saræ*) in conspectu gloriæ summi Dei : et missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ. *Tob.* 3. 24.

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. *Judith* 4. 8. Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus — allocutus — est ad eos, dicens : Scitote, quomiàm exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus

in conspectu Domini. *v.* 11. *et* 12.

Voce meâ ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo. *Psal.* 3. 5.

Et scitote, quoniàm mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum. *Psal.* 4. 4.

*Dominus* non est oblitus clamorem pauperum. *Psal.* 9. 13.

Timeat eum omne semen Israël : quoniàm non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis : nec avertit faciem suam à me : et cùm clamarem ad eum, exaudivit me. *Psal.* 21. 25.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. *Psal.* 33. 7. *Vide v.* 5. *et* 18.

Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. *Psal.* 49. 15. *Vide totum Psal.* 90.

Ego autem ad Deum clamavi : et Dominus salvabit me. *Psal.* 54. 17.

De tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine Dominus. *Psal.* 117. 5.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi : et exaudivit me. *Psal.* 119. 1.

Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet : et salvos faciet eos. *Psal.* 144. 19. *Vide Eccli.* 4. 6.

Longè est Dominus ab impiis: et orationes justorum exaudiet. *Prov.* 15. 29.

Deprecatio pauperis ex ore usquè ad aures ejus perveniet, et judicium festinatò adveniet illi. *Eccli.* 21. 6.

Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Ibid.* 35. 26.

Et invocaverunt (*Elias et Eliseus*) Dominum misericordem, et expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum : et sanctus Dominus Deus audivit citò vocem ipsorum. *Ib.* 48. 22.

Populus enim Sion habitabit in Jerusalem : plorans nequaquàm plorabis, miserans miserebitur tuî : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. *Isa.* 30. 19.

*Consternatus Ezechias propter blasphemias tùm Rabsacis, tùm Sennacherib, mittit ad Isaïam, ut Dominum deprecetur; qui ipsum confortans, divinum promittit auxilium, et cæso per Angelum exercitu Sennacherib, etiam ipse à filiis suis interimitur. Ib. c.* 37.

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum : quoniàm multus est ad ignoscendum. *Ibid.* 55. 7.

Et invocabitis me (*captivi Judæi*), et ibitis ; et orabitis me, et ego exaudiam vos. Quæretis me, et invenietis :

cùm quæsieritis me in toto corde vestro, etc. *Jerem.* 29. 12. 13.

Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo : vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam à singultu meo, et clamoribus. *Thren.* 3. 55. 56.

Exaudivit autem Dominus vocem ejus (*Susannæ*). Cùmque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel. *Dan.* 13. 44. 45.

Et dixit (*Jonas*) : Clamavi de tribulatione meâ ad Dominum, et exaudivit me : de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam. *Jonæ* 2. 3.

Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es; et ipse dicet : Dominus Deus meus. *Zach.* 13. *Vers.* 9.

Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur. 2. *Mach.* 3. 22.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Joan.* 9. 31.

At ille (*Cornelius*) intuens eum (*Angelum*), timore correptus, dixit : Quid est, Domine ? Dixit autem illi : Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Actor.* 10. 4.

*Orationes quorumdam cur non exaudiat Deus.*

Cùmque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos (*Israëlitas*), nec voci vestræ voluit acquiescere. *Deut.* 1. 45.

Ego autem abscondam (*ait Dominus*), et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala, quæ fecit (*Israël*), quia secutus est deos alienos. *Ibid.* 31. 18.

Et clamabitis in die illâ (*ait Samuel ad populum*) à facie regis vestri, quem elegistis vobis : et non exaudiet vos Dominus in die illâ, quia petistis vobis regem. 1. *Reg.* 8. 18.

Quandò invocabitis me, ego non exaudiam vos. Maculastis enim manus vestras sanguine, et pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia. 4. *Es.* 1. 26.

Clamaverunt (*Israëlitæ*), nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos. *Psal.* 17. 42.

Tunc invocabunt me, et non exaudiam : manè consurgent, et non invenient me : eò quòd exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. *Prov.* 1. 28. *et seq.*

Longè est Dominus ab impiis : et orationes justorum exaudiet. *Ibid.* 15. 29.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis ; et ipse clamabit, et non exaudietur. *Ibid.* 21. 13.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem ; oratio ejus erit execrabilis. *Ibid.* 28. 9.

Unus oraus, et unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus ? *Eccli.* 34. 29. Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando se ? orationem illius quis exaudiet? *v.* 31.

Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis : ut cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. *Isa.* 1. 15. *Vide c.* 59. 1. *et seq.*

Tu ergò noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te : etc. *Jer.* 7. 16. *Id. habetur verbatim c.* 11. 14. *et c.* 14. 11.

Quam ob rem hæc dicit Dominus : Eccè ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt : et clamabunt ad me, et non exaudiam eos (*Israëlitas*). *Ibid.* 11. 11.

Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum ; et si obtulerint holocautomata, et victimas, non suscipiam ea : quoniàm gladio, et fame, et peste consumam eos, *Ibid.* 14. 12.

Et dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses et Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos à facie meâ, et egrediantur. *Ibid.* 15. 1.

Ergò et ego faciam in furore : non parcet oculus meus, nec miserebor : et cùm clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos. *Ezech.* 8. 18.

Tres viri isti (*Noë, Daniel et Job*) si fuerint in eâ (*terrâ*), vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt : sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. *Ezech.* 14. 16. *Si* et Noë, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus : vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt : sed ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas. *v.* 20.

Tunc clamabunt (*populus Israël*) ad Dominum, et non exaudiet eos ; et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. *Mich.* 3. 4. *Vide Zach.* 7. 13.

Orabat autem hic scelestus (*Antiochus*) Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 2. *Mach.* 9. 13.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Joan.* 9. 31.

Scitote enim, quoniàm et posteà cupiens (*Esaü*) hæreditare benedictionem, repro-

batus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam. *Hebr.* 12. 17.

Petitis, et non accipitis; eò quòd malè petatis; ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jac.* 4. 3.

*Orationum Sanctorum exempla.*

*Abraham oravit pro Ismaële. Gen.* 17. 18.

*Humiliter et discretè, constanter et piè oravit Abraham Dominum, ut parceret Sodomitis. Ibid.* 18. 23.

*Oratio et preces Lot. Ib.* 19. 19.

Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech, et uxorem, ancillasque ejus. *Ib.* 20. 17.

*Oratio famuli Abrahæ satis vehemens. Ibid.* 24. 12.

*Pro rebus, quas etiam Dominus destinavit facere, interdùm debemus orare, undè*: Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore suâ, eò quòd esset sterilis, *quàm parituram fore disposuerat Dominus. Ib.* 25. 21.

*Isaac orando benedixit Jacob : sic etiam Jacob filiis Joseph. Ibid.* 28. 3. *et c.* 48. 15. 16.

Dixitque Jacob : Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac : Domine, qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi, etc. *Ibid.* 32. 9. *et seq.*

*Oravit multoties Dominum Moyses, ut amoveret plagas ab Ægyptiis, et exaudiebatur, licèt illi mali essent. Ex.* 8. 12. 29. *et c.* 9. 29. 33. *et c.* 10. 18.

*Oratio mentalis clamat in aures Dei, sicut apparet, quandò dixit Moysi nihil loquenti* : Quid clamas ad me ? *Ibid.* 14. 15.

Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec. *Sic in isto bello plus fecit Moyses orando, quàm Josue pugnando. Ibid.* 17. 11.

Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens : Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terrâ Ægypti, in fortitudine magnâ, et in manu robustâ ? *Exod.* 32. 11. Recordare Abraham, Isaac, et Israël servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli : et universam terram hanc, de quâ locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. *v.* 13.

*Satis importunus in oratione suâ fuit Moyses, dicens* : Aut dimitte eis (*scil. populo*) hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. *Ibid. v.* 31. *et* 32.

*Orat Moyses Deum* : Si ergò inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gra-

tiam antè oculos tuos : respice populum tuum, gentem hanc. *Ibid.* 33. 13.

*Per orationem Moysis* absorptus est ignis, *qui devoravit castra murmurantium, et dolentium pro labore. Num.* 11. 2.

*Petiit populus carnes in deserto, et Dominus iratus concessit eis. Per quod liquet, quòd exauditio orationis non semper sit signum divinæ dilectionis. Ibid. v.* 18.

*Per orationem Moysis curata est Maria soror ejus à leprâ. Ibid.* 12. 13.

Dimitte, obsecro (*ait Moyses ad Dominum*), peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usquè ad locum istum. *Ibid.* 14. 19.

Iratusque Moyses valdè, ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum : tu scis, quòd ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. *Ibid.* 16. 15.

Qui (*Moyses et Aaron*) ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt, etc. *Ibid. v.* 22. *Vide et similiter factum ab eis, c.* 20. 6.

Venerunt (*Israëlitæ*) ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te : ora, ut tollat à nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, *et liberatus est populus. Ibid.* 21. 7.

Et orans dixi, (*ait Moyses*) : Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam, quàm redemisti in magnitudine tuâ, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, et Jacob : ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum, etc. *Deut.* 9. 26. 27.

*Vide orationem Josue pro se et populo. Josue* 7. 7. *et seq.*

*Oratio Gedeonis ad Dominum pro impetrando miraculo. Judic.* 6. 36. *Vide et v.* 39. *iteratam petitionem.*

Oravit itaque Manue Dominum, et ait : Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterùm, et doceat nos, quid debeamus facere de puero qui nasciturus est. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, etc. *Ibid.* 13. 8. 9.

Cùm esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens, etc. 1. *Reg.* 1. 10. Porrò Anna loquebatur in corde suo : tantùmque labia illius movebantur, et vox penitùs non audiebatur. *v.* 13.

*Pugnaturi filii Israël contra Philisthæos, dixerunt Samueli* : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. *Ibid.* 7. 8.

*Non placuit Domino, quòd filii Israël petierint super se regem; et tamen dixit Samueli*

*oranti de hâc re*: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. *Ibid.* 8. 7.

*Dixit Samuel ad populum*: Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis. *Ibid.* 12. 23.

*Vide orationem David cùm cogitaret ædificare domum Domino.* 2. *Reg.* 7. 8. *usquè ad finem. Vide Paral.* 17. 16.

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo : et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. *Ibid.* 12. 16.

Dixitque (*David*) : Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. *Ibid.* 15. 31.

Et dixit David ad Dominum : Peccavi valdè in hoc facto : sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis. *Ibid.* 24. 10. *Item* 1. *Paral.* 21. 8.

Et ait Salomon : benedictus Dominus Deus Israël, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, etc. 3. *Reg.* 8. 15. *per totum caput. Vide* 2 *Paral.* 6. 14. *usq. ad fin.*

Et ait rex (*Jeroboam*) ad virum Dei : deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini : et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. *Ibid.* 13. 6.

*Oratione suâ Elias filium hospitæ suæ mortuum, ad vitam revocavit. Ibid.* 17. 20. 22.

*Oratio Eliæ ignem de cælo protraxit. Ib.* 18. 36.

*Orans Elias pro pluviâ, dixit puero suo, ut prospiceret contra mare, undè sperabat nubem consurgere pluviosam, sed usquè ad septem vices nihil penitùs apparebat; porrò orationis diuturnitas et instantia in septimâ vice pluviam copiosissimam descendere fecit. Ib. v.* 43.

*Sic etiam Eliseus oratione suâ Sunamitidis filium mortuum suscitat.* 4. *Reg.* 33.

Cùmque orasset Eliseus — aperuit Dominus oculos pueri, et vidit *currus igneos, et percussi sunt Syri. Ibid.* 6. 17.

Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, et audivit eum Dominus, *et liberatus est Israël de manu regis Syriæ. Ibid.* 13. 4.

*Fideliter et prudenter oravit Ezechias ad Dominum, et simul etiam Isaïam Prophetam invitavit, ut simul cum ipso ad Deum clamaret. Ib.* 19. 15. *et v.* 3. *Vide Isa.* 37. 4. 15.

*Convertit Ezechias faciem suam ad orandum ad parietem ut attentiùs orare possit*, et oravit Dominum, dicens : Obsecro, Domine ; memento quæso, etc. Flevit itaque Ezechias fletu magno ; *et ità oratione suâ sanitatem et prorogationem vitæ ad quindecim annos impetravit. Ib.* 20. 2. 3.

*Vide et* 2 *Par.* 32. 24. *Item. Isa.* 38. 2.

*Oratio David, in quâ gratias Deo agit, et extollit ejus beneficia.* 1. *Paral.* 17. 16.

*Orans David, confitetur peccatum suum, scilicet numerationis populi. Ib.* 21. 17. *Item* 2. *Reg.* 24. 17.

*David benedicens Dominum orat pro Salomone ac populo. Ib.* 29. 10. *et seq.*

*Benedicit Salomon populo Israël, et gratias Deo agit de impletione promissionis factæ David : oratque supplex coram multitudine, ut orantium in eo templo vota Deus exaudiat.* 2. *Paral. c.* 6. *per totum.*

Et invocavit (*Asa*) Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrùm in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo. *Ibid.* 14. 11.

Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum : *audierat enim, quòd maxima multitudo gentium venerat contra eum. Ibid.* 20. 3. *Et* ait : Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, et dominaris cunctis regnis gentium; in manu tuâ est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere, etc. *v.* 6. *et seq.* Deus noster, ergò non judicabis eos ? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere (*scil. Ammonitarum, Moabitarum, et Syriorum*), quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. *v.* 12.

*Manasses* postquàm coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intentè : et exaudivit (*Deus*) orationem ejus, *quæ humillima, et ferventissima est; et digna quæ legatur abomnibus. Ib.* 33. 12. 13.

Jejunavimus autem et rogavimus Deum nostrum per hoc (*pro felici itinere et securo*); et evenit nobis prosperè (*aiebat Esdras*). 1. *Esdr.* 8. 23.

Et dixi (*ait Esdras*) : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te : quoniàm iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usquè ad cœlum, à diebus patrum nostrorum : sed et nos ipsi peccavimus graviter usquè ad diem hanc, etc. *Ib.* 9. 6. *per totum.*

*Oravit Nehemias* : Quæso Domine, Deus cœli fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum, etc. 2 *Esdr.*

1. 5. *per totum, et c.* 4. 4. *Item c.* 9. 3. *usquè ad finem.*

Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. *Ibid.* 4. 9.

Et consurgens (*ait Esdras*) à jejunio, conscissa habens vestimenta et sacram tunicam, ingeniculans, et extendens manus ad Dominum, dicebam : Domine, etc. 3. *Esdr.* 8. 74. *et seq. usquè ad v.* 92. *Vide* 4. *Esdr.* 3. 4. *usquè ad finem. Item c.* 6. 38. *usquè ad finem, et c.* 8. 20.

Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis, dicens : Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia et veritas, et judicium, etc. *Tob.* 3. 1. *et seq.*

*Sara filia Raguelis, auditâ ab ancillâ suâ gravi contumeliâ,* perrexit in superius cubiculum domûs suæ : et tribus diebus et tribus noctibus — in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. *Ib. v.* 10. *et seq. usq. ad finem Capitis.*

*Raphaël Angelus monuit Tobiam juniorem, ut per tres primas noctes contineret se ab uxore, et ambo orationibus vacarent. Ib.* 6. 18.

*Tobias et Sara simul orantes noctem transigunt incolumes. Ib.* 8. 6. *et seq.*

*Tobias senior benedicit ac gratias agit Domino.* 13. 1. *per totum Caput.*

*Metuentes filii Israël Holophernem, vehementer clamaverunt* ad Dominum instantiâ magnâ, etc. *Judith* 4. 8. 10. *Eliachim verò summus sacerdos commemorabat eis, quomodò Moyses Amalec confidentem in virtute suâ, non ferro pugnando, sed precibus orando dejecerit. v.* 13. *Vide v.* 15. *et* 17. *Item c.* 6. 15. 21. *et c.* 7. 19.

*Multùm confidebat Judith in orationibus aliorum; undè proponens ire ad Holophernem, dixit Presbyteris* : Orate, ut firmum faciat Deus consilium meum. *Ib.* 8. 31. Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me, ad Dominum Deum nostrum. *v.* 33.

*Judith sese affligens ac humilians, pro populi liberatione prostrata precatur, utque sibi virtus detur avertendi Holophernem. Ib. c.* 9. *per totum. Vide et c.* 10. 10. *et c.* 11. 14.

*Similiter quandò voluit amputare caput Holophernis, oravit cum lacrymis ad lectum. Ib.* 13. 7. 9.

*Oratio et Canticum Judith ob victoriam. Ib.* 16. 2. *usquè ad v.* 22.

*Esther locutura ad regem Assuerum, dixit Mardochæo* : Vade, et congrega omnes Judæos — et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, etc. *Esth.* 4. 16.

*Oratio Mardochæi. Ib.* 13. 9. *et seq. usq. ad finem.*

*Vide, quàm devotè et humiliter oraverit Esther. Ib. c.* 14. 3. *per totum.*

*Oratio Sapientis cum agnitione propriæ imbecillitatis ad impetrandam à Domino sapientiam, quæ cùm omnibus necessaria sit, potissimùm tamen rectoribus populorum; incerta est enim humana sapientia. Sap. c.* 9. *per totum. Vide et aliam orationem. Eccli.* 23. 1.

Miserere nostrî, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum; et immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnalia tua. *Eccli.* 36. 1. 3. *et seq. usq. ad. v.* 20.

*Dei laus, exaltatio, et gratiarum actio habetur. Ib. c.* 51. *à. v.* 1. *usq. ad* 18.

Domine, miserere nostri; te enim expectavimus : esto brachium nostrum in manè, et salus nostra in tempore tribulationis. *Isa.* 33. 2. *Vide c.* 37. 16. *Item c.* 63. 15. *et c.* 64. *per totum.*

*Magnæ efficaciæ apud Deum erat oratio Jeremiæ, quandò dicebat ei Dominus :* Tu ergò noli orare pro populo hoc. *Jer.* 7. 16. *Item* 11. 14. *et c.* 14. 11.

Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te : et super provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt : quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum, et consumpserunt illum, et decus ejus dissipaverunt. *Ibid.* 10. 24. 25.

*Alia oratio efficax Jeremiæ Prophetæ ad Deum. Ib.* 15. 15.

Expectatio Israël, Domine : omnes qui te derelinquunt, confundentur : recedentes à te, in terrâ scribentur : quoniàm dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac : et salvus ero, quoniàm laus mea tu es. *Ibid.* 17. 13. *Vide et c.* 18. 19. 23.

Et oravi ad Dominum, postquàm tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens : Heu, heu, heu, Domine Deus : eccè tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tuâ magnâ, et in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum, etc. *Ib.* 32. 16. *et seq.*

*Oratio Jeremiæ* : Recordare, Domine, quid acciderit nobis : intuere, et respice opprobrium nostrum, etc. *Thren.* 5. 1. *per totum Caput.*

Peccavimus antè Dominum Deum nostrum, et non credidimus, diffidentes in eum, etc. *Baruch.* 1. 17. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, secundùm omnia verba Prophetarum, quos misit ad nos. *v.* 21.

Domino Deo nostro justitia : nobis autem, et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc, etc. *Ib.* 2. 6. Et nunc, Domine Deus Israël, qui eduxisti, etc. *v.* 11. *usquè ad finem.*

Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israël, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te : audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors, etc. *Ib.* 3. 1. *usquè ad v.* 9.

Stans autem Azarias (*in medio fornacis*) oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait : Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, etc. *Dan.* 3. 25. *et seq. usquè ad v.* 91.

*Propter impium Darii regis decretum, attamen non omisit Daniel, quin adoraret ter Deum suum per singulos dies flexis genibus. Ibid.* 6. 10.

*Intelligens Daniel, tempus captivitatis esse completum, instantiùs oravit pro populo, in captivitate detento. Et nota, quàm humiliter et ferventer oraverit. Ib.* 9. 4. *et seq. usquè ad v.* 20.

*Videns Susanna, omne humanum sibi deesse consilium, auxiliumque, recurrit ad orationis suffragium, et oratio ejus fuit exaudita. Ib.* 13. 42.

Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, *et liberatus est. Jonæ* 2. 2. *et seq.*

Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis. *Habac.* 3. 1. *per totum.*

Et congregatus est conventus, ut essent parati in prælium : et ut orarent, et peterent misericordiam et miserationes. 1. *Mach.* 3. 44.

*Judas Machabæus commissurus prælium contra Gorgiam,* ait — viris, qui secum erant — Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostrî Dominus. *Ib.* 4. 8. 10. *Et ipse etiam oravit v.* 30. *et seq.*

*Dùm Nicanor succendere templum minaretur,* intraverunt sacerdotes, et steterunt antè faciem altaris et templi, et flentes dixerunt : Tu Domine, etc. *Ibid.* 7. 36. *et seq.*

*Videns Jonathas, quòd omnes, exceptis duobus, derelinquebant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimenta sua, et oravit, et posteà victoriam obtinuit. Ib.* 11. 71.

*Oratio Nehemiæ.* 2. *Mach.* 1. 24. *et seq.*

*Dum* non modica — per universam civitatem (*Jerusalem*) *esset* trepidatio, Sacerdotes — antè altare, cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, et invocabant de cœlo *Deum*, etc. *Ib.* 3. 14. 15. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publicâ supplicatione obsecrantes. *v.* 18. Universæ autem (*mulieres*) protendentes manus in cœlum, deprecabantur. *v.* 20.

*Onias summus Pontifex oravit pro Heliodoro, divinâ virtute graviter flagellato, eò quòd voluerat spoliare templum : et*

*Dominus ob hanc orationem vitam ei donavit. Ibid. v.* 33.

Sed cùm plagis perimeretur (*Eleazarus*), ingemuit, et dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. Et iste quidem hoc modo vitâ decessit, non solùm juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis, et fortitudinis derelinquens. *Ib.* 6. 30. 31.

Judas verò Machabæus, et qui cum illo erant — Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore. *Ib.* 8. 1. 14.

Orabat autem hic scelestus (*Antiochus*) Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. *Ibid.* 9. 13.

Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et canticis admovebant. Judas verò, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati. *Ib.* 15. 25. *et seq. Vide et v.* 22.

*Dominus et Salvator noster docet discipulos suos orare, et præscribit formulam. Matth.* 6. 9. *Vide Luc.* 11. 2.

*Brevem, utilem, et humilem modum orandi habuit leprosus ille, qui genu flexo adoravit Dominum Jesum, dicens:* Domine, si vis, potes me mundare. *Matth.* 8. 2. *Vide Marc.* 1. 40. *Luc.* 5. 12.

*Similem modum orandi, per insinuationem habuit Centurio, cùm dixit:* Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, etc, *Ibid. v.* 5. *Item Martha et Maria pro fratre Lazaro jàm sepulto. Joan.* 11. 21. 32.

Et dimissâ turbâ, ascendit (*Jesus*) in montem solus orare. *Ib.* 14. 23. *Vide Marc.* 6. 46.

*Vide orationem Christi in monte Oliveti. Ibid.* 26. 39.

*Eximium Christus orandi exemplum nobis reliquit, cùm in oratione Dei pernoctavit, Luc.* 6. 12. *Vide et c.* 5. 16.

*Dicebat Jesus discipulis parabolam, quomodò oporteat semper orare, imò et instanter. Ibid.* 18. 1. *Vide c.* 11. 5.

*Ad humiliter orandum et jactantiam contemnendam, inducit Dominus exemplum de superbo Pharisæo et humili Publicano. Ibid. v.* 9.

*Jesus orabat in cruce:* Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. *Ibid.* 23. 34.

*Oratio Christi, dùm Lazarum resuscitaret. Joan.* 11. 40.

*Oratio Christi ad Patrem pro utriusque clarificatione, pro discipulis, et his, qui per illos in ipsum essent credituri, etc. Ib.* 17. 1. *per totum Caput.*

*Post ascensionem Domini in cœlum, reversi sunt discipuli in Jerusalem, et* hi omnes erant

perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu. *Actor.* 1. 14.

*Apostoli volentes unum de discipulis eligere in Apostolum loco Judæ*, statuerunt duos, Joseph — et Matthiam. Et orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum. *Ib. v.* 23. *et* 24.

*Omnes fideles in primitivâ Ecclesiâ* erant — perseverantes in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Ib.* 2. 42.

Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *Ib.* 3. 1.

Qui cùm audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt, etc. *Ib.* 4. 24. Et cùm orassent (*discipuli unanimiter unâ voce*), motus est locus, in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiduciâ. *v.* 31.

Hos statuerunt antè conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus. *Ib.* 6. 6. *Vide et c.* 13. 3.

Et lapidabant Stephanum (*Judæi*) invocantem et dicentem : Domine Jesu, suspice spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Ib.* 7. 58. 59.

*Petrus, et Joannes oraverunt pro illis de Samariâ*, ut acciperent Spiritum Sanctum. *Ib.* 8. 15. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. *v.* 17.

*Saulus Damascum jussu Domini veniens, orare cœpit, et fuit ibi tribus diebus non manducans. Actor.* 9. 9. *et* 11.

Petrus ponens genua oravit, *et oratione istâ discipulam Tabitham suscitavit à mortuis. Ib. v.* 40.

*Orationes et eleemosynæ Cornelii Centurionis ascenderunt in conspectum Dei, ut Angelus ei significavit. Ib.* 11. 4. *et* 30.

Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. *Ib. v.* 9.

Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo. *Ib.* 12. 5.

*Petrus miraculosè liberatus à carcere*, venit ad domum Mariæ, etc. ubi erant multi congregati et orantes. *Ibid. v.* 12.

Et cùm constituissent illis (*Paulus et socii*) per singulas Ecclesias Presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. *Ib.* 14. 22.

*Cùm iret Paulus ad orationem, puellam quemdam à spiritu pythone liberavit. Ib.* 16. 16. 18.

*Recedens Paulus à fratribus de Miletò, post paucos sermo-*

*nes, et pia verba*, positis genibus suis, oravit cum omnibus illis. *Ib.* 20. 36.

Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usquè foras civitatem, et positis genibus in littore, oravimus. *Ib.* 21. 5.

*Cùm orasset in templo Paulus, factus est in stupore mentis, et vidit Dominum Jesum dicentem:* Festina, et exi velociter ex Jerusalem. *Ib.* 22. 17.

*Patre Publii febribus et dysenteriâ laborante*, cùm orasset (*Paulus*), et imposuisset ei manus, salvavit eum. *Ib.* 28. 8.

Sine intermissione memoriam vestrî facio semper in orationibus meis, etc. *Rom.* 1. 9. 10.

*Adeò grande et arduum opus est orare, ut ipse Paulus ad id agendum dicat, se sufficientem non esse. Ib.* 8. 26.

Gratias ago Deo meo in omni memoriâ vestrî, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, etc. *Philipp.* 1. 3. 4. Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet, etc. *v.* 9. *Vide et* 2. *Tim.* 1. 3.

Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, etc. *Coloss.* 1. 9.

In quo etiam oramus semper pro vobis, etc. 2. *Thess.* 1. 11.

*Orationes piis necessariæ.*

Obsecro ergò vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer, etc. *Rom.* 15. 30. 31.

Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Orationi instate, vigilantes in eâ, etc. *Coloss.* 4. 2.

Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, etc. *Jacob.* 1. 5.

Tristatur aliquis vestrûm? oret, etc. *Ib.* 5. 13.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

*Orationis vis et efficacia.*

*Moyses levando manus in oratione, vicit Amalecitas. Ergò oratio valet ad quævis mala avertenda. Exod.* 17. 11.

*Anna sterilis cùm orasset, facta est fœcunda.* 1. *Reg.* 1. 19.

*Samuël clamando ad Dominum, vicit Philisthæos. Ibid.* 7. 9.

*Elias Propheta post trium annorum et sex mensium sterilitatem, pluviam rursùs et fertilitatem à Deo oratione obtinuit.* 3. *Reg.* 17. 1. *et* 18. 45.

*Ezechias orationis suffragio è gravi morbo convalescit.* 4. *Reg.* 20. 2.

*Manasses coangustatus orans*

*Dominum, et intentè obsecrans*, egit pœnitentiam valdè coram Deo, etc. 2. *Paral.* 33. 12.

Bona est oratio, etc. *Tob.* 12. 8. *Vide totum caput, imò Historiam.*

*Job in sterquilinio nudus et ulceribus plenus, triumphat. Job.* 2. 8.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit — et non discedet, donec Altissimus aspiciat. *Ergò cœlos penetrat. Eccli.* 35. 21.

*Tres pueri in fornace* ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, et benedicentes Domino. *Dan.* 3. 24.

*Daniel inter leones exultat, et à Domino miraculosè pascitur. Ibid.* 6. 22. *etc.* 14. 38.

*Susanna orans inter senes defenditur. Ibid.* 13. 44.

*Jonas clamavit de ventre piscis ad Dominum, et pervenit vox ejus ad aures Dei. Jonæ* 2. 2.

Clauso ostio, ora Patrem tuum, etc. Et Pater tuus, etc. reddet tibi. *Ergò valet ad meritum. Matth.* 6. 6.

Hoc autem genus (*Dæmonum*) non ejicitur, nisi per orationem. *Ergò repellit Dæmones eorumque tentationes. Ibid.* 17. 20.

*Publicanus oravit :* Deus, propitius esto mihi peccatori.— Descendit hic justificatus in domum suam. *Ergò impetrat remissionem peccatorum. Luc.* 18. 13. 14.

*Latro in cruce orans, Paradiso donatur. Ergò satisfacit propœnis peccatorum. Ibid.* 23. 42. 43.

*Stephanus orans, et pro se lapidantibus intercedens, in cœlum suscipitur. Actor.* 7. 58.

*Apostolus Jacobus orationem dicit valere pro obtinendâ corporali salute :* Oratio fidei salvavit infirmum. *Jacob.* 5. 15. *Item et pro æternâ, quæ est salus simpliciter vera :* Orate pro invicem, ut salvemini : multùm enim valet deprecatio justi assidua. *v.* 16.

*Ad orationem, ut sit infallibiliter efficax ad impetrandum, conditiones.*

*Primò requiritur fides.*

Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Matth.* 21. 22.

Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Marc.* 11. 24.

Postulet autem (*Christianus à Deo*) in fide nihil hæsitans, etc. *Jacob.* 1. 6.

*Secundò necessaria est spes et fiducia.*

Petite, et dabitur vobis. *Matth.* 7. 7.

Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis. *Marc.* 11. 24.

Omnis enim qui petit, accipit, etc. *Luc.* 11. 10.

Si quid petieritis Patrem in

nomine meo, dabit vobis. *Joan.* 16. 23.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum : quia quodcumque petierimus, etc. audit nos. 1. *Joan.* 5. 14.

*Porrò necessaria est caritas.*

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna, etc. *Tob.* 12. 8.

Beati misericordes : quoniàm ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5. 7.

Cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversùs aliquem : ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. *Marc.* 11. 25.

Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. *Joan.* 14. 21.

Orate pro invicem, ut salvemini. *Jacob.* 5. 16.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniàm mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. 1. *Joan.* 3. 21. 22.

*Orans, in Dei misericordiam, non in suâ justitiâ, fidat.*

Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu et trementem sermones meos? *Isa.* 66. 2.

Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi : aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, etc. neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces antè faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Dan.* 9. 18.

*Orans à potiori sit in statu gratiæ.*

Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, etc. *Psal.* 33. 16. (*Vide Isa.* 59. 2.) Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *v.* 18.

Multùm enim valet deprecatio justi assidua. *Jacob.* 5. 16.

*Requiritur porrò orantis devotio, quâ ardenter, seriò, attentè, sive de profundis oret.*

Antè orationem præpara animam tuam : et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. *Eccli.* 18. 23.

*Noli esse de illo populo, qui labiis duntaxat Deum honorat, et non corde. Matth.* 15. 8.

*Tandem requiritur humilitas corporis.*

*Moyses populi Israëlitici dux et imperator, pugnante populo, manus in altum ad lassitudinem usquè sustulit. Exod.* 17. 12.

*Salomon Rex ejusdem gentis inclytissimus, in dedicatione templi flexis genibus, extensisque ad cœlum manibus, orasse legitur.* 3. *Reg.* 8. 22. *Vide* 2. *Paral.* 6. 13.

Et posui faciem meam ( *ait Daniel* ) ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco et cinere. *Dan.* 9. 3.

*Sic Ninivitæ jejunarunt :* et vestiti sunt saccis à majore usquè ad minorem. *Jonæ.* 3. 5.

*Publicanus Evangelicus à longè stat, pectus tundit, nec ad cœlum oculos audet tollere. Luc.* 18. 13.

*Apostolus Paulus inquit :* Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Ephes.* 3. 14.

*Et quidem à potiori fiat oratio flexis genibus.* Vide *etiam*, *Genu omne flectendum Deo.*

Factum est autem cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini : utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum. 3. *Reg.* 8. 54.

Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, etc. *Ibid.* 18. 42.

Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata antè Baal. *Ibid.* 19. 18. *Vide Rom.* 11. 4.

*Salomon* flexis genibus contra universam multitudinem Israël, et palmis in cœlum levatis, *orabat.* 2. *Paral.* 6. 13.

*Omnes* incurvato genu adoraverunt *Dominum. Ibid.* 29. 30. *Vide et v.* 29.

*Dixit Esdras* : Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione meâ, et scisso pallio et tunicâ, curvavi genua mea et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et *oravi.* 1. *Esdr.* 9. 5.

*Denuò repetit aliâ vice :* Et consurgens à jejunio, conscissa habens vestimenta, et sacram tunicam, ingeniculans, et extendens manus ad Dominum, dicebam : Domine, etc. 3. *Esdr.* 8. 74. 75.

In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur : quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. *Isa.* 45. 23. 24. *Vide Rom.* 14. 11.

*Danièl* fenestris apertis in cœnaculo suo, etc. tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat. *Dan.* 6. 10.

*Daniel dicit:* Et audivi vocem sermonum ejus; et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. Et eccè manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum, etc. *Ibid.* 10. 9. 10.

Quid dignum offeram Domino ? curvabo genu Deo excelso, etc. *Mich.* 6. 6.

Et cùm venisset ( *Jesus* ) ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus antè eum,

dicens : Domine, miserere, etc. *Matth.* 17. 14.

Et venit ad eum (*Jesum*) leprosus, deprecans eum : et genu flexo dixit ei : Si vis, potes me mundare. *Marc.* 1. 40.

Et cùm egressus esset (*Jesus*) in viam, procurrens quidam genu flexo antè eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? *Ibid.* 10. 17.

Simon Petrus, procidit ad genua Jesu (*videns miraculum*), dicens : Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. *Luc.* 5. 8.

*Jesus*, positis genibus, orabat. *Ibid.* 22. 41.

*Stephanus*, positis — genibus, *orabat pro lapidantibus se, dicens :* Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Actor.* 7. 59.

Petrus ponens genua, oravit, *et à mortuis suscitavit discipulam Tabitham. Ibid.* 9. 40.

*Paulus*, positis genibus suis, oravit cum *suis auditoribus et discipulis, à quibus discedebat. Ibid.* 20. 36.

Deducentibus nos omnibus (*inquit Paulus*) cum uxoribus et filiis, usquè foràs civitatem : et positis genibus, in littore, oravimus. *Ibid.* 21. 5.

Flecto genua mea (*dicit Paulus*) ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Ephes.* 3. 14.

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. *Philipp.* 2. 10.

*Præter humilitatem corporis, requiritur etiam humilitas spiritûs.*

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde; et humiles spiritu salvabit. *Psal.* 33. 19.

Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies. *Psal.* 50. 19.

Respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum. *Psal.* 101. 18.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. *Eccli.* 35. 21.

Dicit Dominus : Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu? *Isa.* 66. 2.

*Orandi assiduitas.*

*Christum interdùm in oratione pernoctasse testatur Lucas. Luc.* 6. 12.

Oportet semper orare, et non deficere. *Ibid.* 18. 1. *Vide Eccli.* 18. 22.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione. *Col.* 4. 2.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 17.

ORDO.

*Sumitur pro disciplinâ Ecclesiasticâ.*

Omnia autem honestè et secundùm ordinem fiant 1. *Cor.* 14. 40.

Et si corpore absens sum (*ait Paulus*), sed spiritu vobiscum

sum : gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. *Coloss.* 2. 5.

Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, et non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. 2. *Thess.* 3. 6.

*Ordo policitus servandus et colendus,*

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. *Rom.* 13. 1. *Vide et Sap.* 6. 4.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse. *Tit.* 3. 1.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, etc. 1. *Petr.* 2. 13.

*Ordinis Sacramentum.*

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retineritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 21. *et seq. Vide Matth.* 16. 19. *et c.* 18. 18.

Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

Manus citò nemini imposueris. *Ibid.* 5. 22.

Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2. *Tim.* 1. 6.

Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

Oriens.

*Sic denominatur Christus.*

Eccè enim ego adducam servum meum Orientem (*scilicet Messiam*). *Zach.* 3. 8.

Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Eccè Vir (*Messias*), Oriens nomen ejus. *Ibid.* 6. 12.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. *Luc.* 1. 78. *Vide Malach.* 4. 2.

*Ornatus superfluus.* Vide *Mulierum ornatus superfluus.*

Os.

*Sumitur pro sermone et locutione.*

In ore duorum vel trium testium stet omne verbum, *Matth.* 18. 16. *Deut.* 17. 6. *et c.* 19. 15. *Item* 2. *Cor.* 13. 1.

*Os Domini interrogare, id est ejus consilium sciscitari.*

Os Domini non interrogaverunt. *Josue* 9. 14. *Vide Isa.* 30. 2.

*Os hominis sumitur pro vultu et specie ejus.*

Et immutavit *(David)* os suum coram eis. 1. *Reg.* 21. 13.

*Osculum.*

*Osculum pudicum, pacis et caritatis symbolum.*

Qui (*Laban*) cùm audisset, venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei : complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. *Gen.* 29. 13.

Cùmque (*Joseph*) amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit illo quoque similiter flente super collum ejus. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. *Ibid.* 45. 14. 15.

Oculi enim Israël (*scil. Jacob*) caligabant præ nimiâ senectute, et clarè videre non poterat. Applicitosque ad se (*Joseph, Manassem, et Ephraïm*), deosculatus et circumplexus (*est*) eos. *Ibid.* 48. 10.

Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum. *Exod.* 4. 27.

Et surgens venit ad patrem suum (*filius prodigus*). Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, et misericordiâ motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. *Luc.* 15. 20.

Magnus autem fletus factus est omnium : et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum. *Actor.* 20. 37.

Salutate invicem in osculo sancto. *Rom.* 16. 16. *Item* 1. *Cor.* 16. 20. *Idem habetur etiam* 2. *Cor.* 13. 12.

Salutate fratres omnes in osculo sancto. 1. *Thess.* 5. 26. *Item.* 1. *Petr.* 5. 14.

*Osculi sanctè et minimi fucati exempla.*

*Isaac dixit ad Jacob* : Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum, etc. *Gen.* 27. 26.

*Jacob, videns Rachel consobrinam suam*, osculatus est eam, etc. *Ibid.* 29. 11.

Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas, et benedixit illis : reversusque est in locum suum. *Ibid.* 31. 55.

Currens itaque Esaü obviam fratri suo (*Jacob*), amplexatus est eum : stringensque collum ejus, et osculans, flevit. *Ibid.* 33. 4.

Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. *Ibid.* 45. 15.

*Joseph cernens patrem suum Jacob morientem*, ruit super faciem *ejus*, flens et deosculans eum. *Ibid.* 50. 1.

Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum

Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum. *Exod.* 4. 27.

*Moyses* egressus in occursum cognati sui (*Jethro*), adoravit, et osculatus est eum. *Ibid.* 18. 7.

*Dicens Noëmi ad nurus suas Ruth et Orpha*, Ite in domum matris vestræ, etc. osculata est eas. *Ruth* 1. 8. 9. Orpha osculata est socrum, ac reversa est (*in patriam*). *v.* 14.

Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus (*Saülis*), et deosculatus est eum, *et unxit in regem.* 1. *Reg.* 10. 1.

Osculantes se alterutrum (*David et Jonathas*), fleverunt pariter, etc. *Ibid.* 20. 41.

*Vocatus Absalom ab exilio*, intravit ad regem (*David*), et adoravit super faciem terræ coram eo : osculatusque est rex Absalom. 2. *Reg.* 14. 33.

Cùmque transisset universus populus et rex (*David*) Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei. *Ibid.* 19. 39.

*Eliseus sequi volens Eliam, dixit* : osculer, oro, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. 3. *Reg.* 19. 20.

Tunc surgens Darius rex, osculatus est illum (*Zorobabel*), etc. 3. *Esdr.* 4. 47.

Et misit se Raguel, et cum lacrymis osculatus est eum (*Tobiam juniorem*), et plorans supra collum ejus, dixit : benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. *Tob.* 7. 6. 7.

Cùmque ingressus esset (*Gabelus*) domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem : et exiliens, osculati sunt se invicem, etc. *Ibid.* 9. 8.

Et apprehendentes (*Raguel et Anna*) parentes filiam suam (*Saram abeuntem*) : osculati sunt eam, et dimiserunt ire, etc. *Ibid.* 10. 12.

Et suscipiens (*Tobias senex filium suum reversum de itinere*), osculatus est eum cum uxore suâ, et cœperunt ambo flere præ gaudio. *Ibid.* 11. 11.

Cùmque illa (*Esther*) reticeret, tulit (*Assuerus*) auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait : cur mihi non loqueris? etc. *Esther* 15. 15.

*Magdalena* stans retrò, secùs pedes ejus (*Jesu*), lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat : et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Luc.* 7. 38.

*Filius prodigus resipiscens et pœnitens, surrexit, et* venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, et misericordiâ motus est, et accurens, cecidit super collum ejus, et osculatus est eum, etc. *Ibid.* 15. 20.

*Dum discederet Paulus à Mileto*, magnus — fletus factus est omnium : et procum-

bentes super collum Pauli, osculabantur eum, etc. *Actor.* 20. 37.

*Osculum fictum et proditorium.*

Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Prov.* 27. 6.

*Absalom ambiens regnum patris sui*, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis judicium, vocabat — ad se — et apprehendens, osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israël venienti ad judicium — et sollicitabat corda virorum Israël. 2. *Reg.* 15. 2. 5. *et* 6.

Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab : qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est. *Ibid.* 20. 9. 10.

*Judas* accedens ad Jesum, dixit : ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Jesus : amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum : *Judas enim* dedit illis signum, dicens : quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. *Matth.* 26. 48. *et seq. Vide Marc.* 14. 44. *et seq. Luc.* 22. 47.

OTIUM.

*Vide et* ACEDIA ET NEGLIGENTIA.

*Otium vitandum, quia vitia nutrit.*

*Adam jussus est à Deo operari in paradiso : sed quia otiosus fuit, peccavit ; non peccaturus, si sedulò laborasset. Gen.* 2. 15.

*Populus Israëliticus, quandiù fuit occupatus labore in Ægypto, nunquàm legitur aliquid mali egisse ; sed cùm cœpit* manducare et bibere, et surrexerunt ludere, *factus est idolatra. Exod.* 32. 6.

*Samson otio vacat per multos dies apud Dalilam ; sed perdit fortitudinem, libertatem, et vitam. Judic. c.* 16.

*Sexcenti viri ex tribu Dan venerunt in Lais* ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii : urbemque incendio tradiderunt. *Ibid.* 18. 27. *Vide et v.* 7.

*David eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, domi vacat otio, et labitur in adulterium, et subsequens homicidium.* 2. *Reg. c.* 11.

*Salomon, dùm fuit occupatus labore ædificationis templi, vitam duxit innocentem ; postquàm verò à labore cessavit, et vitam desidem ac mollem duxit, captus amore mulierum, in idololatriam est lapsus.* 3. *Reg. c.* 6. *et c.* 11.

Vade ad formicam, ô piger,

et considera vias ejus, etc. *Prov.* 6. 6. *et seq.*

Egestatem operata est manus remissa. *Ibid.* 10. 4. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. *v.* 26.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Ibid.* 12. 11. *Vide c.* 19. 15.

Ubi non sunt boves præsepe vacuum est ; ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. *Ibid.* 14. 4.

Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergò æstate, et non dabitur illi. *Ibid.* 20. 4.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ibid.* 28. 19.

Consideravit (*mulier fortis*) semitas domûs suæ, et panem otiosa non comedit. *Ibid.* 31. 27.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua etc. *Eccles.* 11. 6. *Vide Eccli.* 20. 30.

Multam enim malitiam docuit otiositas. *Eccli.* 33. 29.

Eccè hæc fuit iniquitas Sodomæ (*et origo excidii ejus*) — superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus. *Ezech.* 16. 49.

*Jonas, dùm omnes erant occupati in navi vel labore ad evitandum naufragium, vel oratione ad Deum, solus dormit ; hinc projicitur in mare et fit præda piscis. Jonæ c.* 1.

*Spiritus immundus veniens, invenit domum vacantem.* Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi. *Matth.* 12. 44. 45.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici. *Ibid.* 13. 25.

*Paterfamilias increpat otiosos in foro stantes, eosque ad laborem mittit. Ibid.* 20. 3. 6.

*Virgines fatuæ, quia oscitantes, et dormientes præ desidia, lampades suas reficere, et oleum emere neglexerunt, à superveniente sponso reprobatæ sunt. Ibid.* 25. 12.

*Servus piger et inutilis, qui cum commisso sibi talento noluit operari, ejicitur* in tenebras exteriores. *Ibid. v.* 30.

Nolite locum dare diabolo : qui furabatur, jàm non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est. *Ephes.* 4. 27. 28.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, etc. 1. *Thess.* 4. 10. 11.

Si quis non vult operari, nec manducet. 2. *Thess.* 3. 10, *Vide. et v.* 11.

*Paulus præcipit Timotheo vitare illas viduas, quæ* otiosæ

discunt circuire domos : *imò* non solùm otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. 1. *Tim.* 5. 13.

Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Tit.* 3. 14.

PACTUM. *Vide et* FŒDUS.

*Pactum cum quibus non sit ineundum.*

Non inibis cum eis (*Gentilibus*) fœdus, nec cum diis eorum. *Exod.* 23. 32.

Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum); ne, cùm fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis. *Ibid.* 34. 15.

Non inibis cum eis (*Gentilibus*) fœdus — neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. *Deut.* 7. 2. 3.

*Rex Achab à Prophetâ reprehenditur, quòd fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiserit.* 3. *Reg.* 20. 34. *et* 42.

*Pactum contra Dei voluntatem cum infidelibus initum, punitur.*

*Israël, dùm sociatur Gentibus à Domino derelictis, ad ipsius exercitationem, earum sceleribus contaminatur : idcò sæpiùs per extraneos reges affligitur. Judic. c.* 3. *Vide et c.* 2. 2.

*Rex Achab à Prophetâ reprehenditur, et punitur, quòd fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiserit.* 3. *Reg.* 2. 20. 34. *et* 42.

Cui (*regi Josaphat*) occurrit Jehu (*Propheta*) filius Hanani, Videns, et ait ad eum : Impio (*Achaz*) præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, et idcircò iram quidem Domini merebaris. 2. *Paral.* 19. 2.

*Pactum init Deus cum populo.*

Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis. *Gen.* 17. 2. Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. *v.* 7.

Si ergò audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. *Exod.* 19. 5.

Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. *Deut.* 5. 2.

Eccè dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israël, et domui Juda fœdus novum. *Jerem.* 31. 31. *Vide v.* 33. *Item Oseæ* 2. 18.

*Pactum init populus cum Deo.*

Percussit ergò Josuë in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta, atque judicia in Sichem. *Josue.* 24. 25.

Stetitque rex (*Josias*) super gradum : et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias in omni corde, et in totâ animâ, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo : acquievitque populus pacto. 4. *Reg.* 23. 3. *Vide* 2. *Paral.* 15. 12.

Pepigit autem Jojada fœdus inter se, universumque populum et regem, ut esset populus Domini. 2. *Paral.* 23. 16. *Vide* 2. *Esdr.* 10 29.

*Pacta sunt servanda. Exempla.*

Rahab verò meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josuë vivere, et habitaverunt in medio Israël usquè in præsentem diem ; eò quòd absconderit nuntios, quos miserat, ut explorarent Jericho. *Josue* 6. 25. *Vide. v.* 22. *et confer cap.* 2. 12. 14.

*Inquit Saül ad David* : jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, etc. Et juravit David Saüli. 1. *Reg.* 24. 22. *Confer* 2. *Reg.* 19. 23. *et* 3. *Reg.* 2. 8.

*Respondit Michæas Propheta nuntio Regis Achab* : vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 2. *Paral.* 18. 13. *Vide versus sequentes.*

PALMES SPIRITUALIS.

Extendit palmites suos usquè ad mare : et usquè ad flumen propagines ejus. *Psal.* 79. 12.

Facta est ergò (*Domus Dei*) vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. *Ezech.* 17. 6. *Vide v.* 7. 8. 9. 11.

Vidit (*domus Dei*) altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. *Ibid.* 19. 11.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum (*Pater meus*) : et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. *Joan.* 15. 2. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis, etc. *v.* 4. *Vide v.* 5. et 6.

PANIS.

*Sumitur pro quolibet cibi genere.*

In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de quâ sumptus es. *Gen.* 3. 19.

Ponamque buccellam panis (*ait Abraham ad hospites suos*), et confortate cor vestrum, posteà transibitis. *Ib.* 18. 5.

Surrexit itaque Abraham

manè, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus (*Agar*) tradiditque puerum (*Ismaëlem*) et dimisit eam. *Ibid.* 21. 14.

*Jacob* immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem. *Ib.* 31.54.

*Fratres Joseph postquàm miserunt hunc in cisternam, sedentes, comederunt panem. Ibid.* 37. 25.

*Fratres Joseph* parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie : audierant enim, quòd ibi comesturi essent panem. *Ibid.* 43. 25.

Quarè dimisistis hominem ? (*ait Raguel sacerdos Madian filiabus suis*) vocate eum, ut comedat panem. (*Hic homo erat Moyses.*) *Exod.* 2. 20.

Obtulit ergò Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo : veneruntque Aaron et omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo coram Deo. *Ibid.* 18. 12.

Afflixit te (*Israël, dicit Moyses, Deus*) penuriâ, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi, quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. *Confer Matth.* 15. 2. *Vide. Marc.* 7. 2.

Quarè discipuli tui (*dicunt Pharisæi ad Jesum*) transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant. *Matth.* 15. 2. *Vide Marc.* 7. 2.

Et cùm venissent discipuli ejus (*Christi*) trans fretum, obliti sunt panes accipere, etc. *Ibid* 16. 5. *Vide. v.* 7. *et seq. usq. ad.* 13.

Et convenit iterùm turba, ità ut non possent neque panem manducare. *Marc.* 3. 20.

Et cùm vidissent (*Pharisæi*) quosdam ex discipulis ejus (*Christi*) communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt. *Ibid.* 7. 2.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè, *Domine. Luc.* 11. 3. *Item Matth.* 6. 11.

Quotidiè quoque perdurantes unanimiter (*discipuli Christi*) in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis. *Actor.* 2. 46. *Vide v.* 42. *Item Luc.* 24. 35.

Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, etc. 2. *Thess.* 3. 8.

*Panis labore comparandus.*

*Vide etiam in Lit. O. in Tit. Opus, sub finem : operatio domestica.*

*Item Otium vitandum.*

In sudore vultûs tui vesceris pane. *Gen.* 3. 19.

Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. *Job* 5. 7.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus. *Prov.* 12. 11.

Manè semina semen tuum, et vesperè ne cesset manus tua. *Eccles.* 11. 6.

Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum. *Eccli.* 20. 30.

Nolite locum dare diabolo : qui furabatur, jàm non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat undè tribuat necessitatem patienti. *Ephes.* 4. 27. 28.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. 1. *Thess.* 4. 10. 11.

Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim, inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. 2. *Thess.* 3. 10. *et seq.*

Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Tit.* 3. 14.

*Papa est Judex Controversiarum. Vide Tit. Judex, sub finem.*

*Parabolæ.*

*Parabolarum Catalogus.*

*Parabola amici, petentis ab alio tres panes, Luc.* 11. 5. *Aquarum egredientium è domo, Ezech.* 47. *Aquilarum grandium, c.* 17. 3. *Arborum ungentium regem super se, Judic.* 9. 8.

*Duorum canistrorum ficuum, Jerem.* 24. 1. *Cardui et cedri, 4. Reg.* 14. 9. *Item 2. Paral.* 25. 18. *Cinguli linei, Jerem.* 13. 1. *Cœnæ magnæ, Matth.* 22. 2. *Item Luc.* 14. 16. *Vide Apoc.* 19. 9.

*Divitis et pauperis, habentis unam oviculam, 2 Reg.* 12. 1. *Divitis, cujus agri exuberant. Luc.* 12. 16. *Duorum debitorum. c.* 7. 41. *Dispensatoris seu villici iniqui delati ad dominum, c.* 16. 1. *Drachmæ amissæ, c.* 15. 8. *Erucæ, locustæ, bruchi, et rubiginis. Joel.* 1. 2. *et seq.*

*Fermenti, Matth.* 13. 33. *Item Luc.* 13. 21. *Ficus, Matth.* 24. 32. *Item. Marc.* 13. 28. *et Luc.* 13. 6. *Reg.* 14. 5. *Filiorum duorum, unius morigeri, immorigeri alterius, Matth.* 21 28. *Fratrum septem, c.* 22. 25. *Item Marc.* 12. 20. et *Luc.* 20. 29.

*Grani sinapis, Matth.* 13. 31. *Item Marc.* 4. 31. *et Luc.* 13. 19 *Invitatorum ad nuptias, Luc.* 14. 7. *Judicis iniqui. c.* 18. 2. *Lagenæ testaceæ. Jerem.* 19. 1. 10. *et* 11. *Lœnæ et leunculorum. Ezech.* 19. *Vers.* 2.

*Margaritæ, Matth.* 13. 45. *Mnarum servis distributa-*

*rum, Luc.* 19. 12. *Mulieris parturientis, Joan.* 16. 21. *Duarum mulierum filiarum ejusdem matris fornicantium. Ezech.* 23. 1.

*Negotiatoris, Matth.* 13. 45. *Novaculæ acutæ, Ezech.* 5. 1. *Œnophori, seu lagenæ testaceæ, Jerem.* 19. 1. 10. *et* 11. *Ollæ, Ezech.* 24. 3. *Operariorum in vineâ, Matth.* 20. 1. *Ostii et ovilis, Joan.* 10. 1. 2. *Oviculæ hominis pauperis,* 2. *Reg.* 12. 1. *Ovis perditæ, Matth.* 18. 12. *Item Luc.* 15. 4. *Ovium non habentium pastorem,* 3. *Reg.* 22. 17. *Item.* 2. *Paral.* 18. 16. *et Matth.* 9. 36.

*Patrisfamiliasplantantisvineam, Isa.* 5. 1. *Item Jerem.* 2. 21. *Matth.* 21. 33. *Marc* 12. 1. *Luc.* 20. 9. *Pharisæi et Publicani, Luc.* 18. 10. *Puerorum in foro sedentium,* 11. 16. *Item Luc.* 7. 32.

*Rechabitarum, Jerem.* 35. 1. *Regis rationem ponentis cum servis suis, Matth.* 18. 23. *Regis facientis nuptias filio suo, c.* 22. 2. *Item Luc.* 14. 16. *Regis ituri in bellum contra alterum regem, Luc.* 14. 31.

*Sagenæ jactæ in mare, Mat.* 13. 47. *Seminantis, c.* 13. 3. *Item Marc.* 4. 3. *et Luc.* 8. 5. *Servorum expectantium dominum suum. Luc.* 12. 36. *Sinapis, Matth.* 13. 31. *Item Marc.* 4. 31. *et Luc.* 13. 19.

*Talentorum, Matth.* 25. 14. *Item Luc.* 19. 12. *Thesauri absconditi in agro, Matth.* 13. 44. *Turrim ædificare volentis. Luc.* 21. 28.

*Villici, seu dispensatoris iniqui. Luc.* 16. 1. *Vineæ plantatæ, Isa.* 5. 1. *Item Jerem.* 2. 21. *Matth.* 21. 33. *Marc* 12. 1. *Luc.* 20. 9. *Virginum decem, Matth.* 25. 1. *Viri pauperis et sapientis. Eccles.* 9. 14. *Vitis et palmitum, Joan.* 15. 1. *Uncini pomorum. Amos* 8. 1.

*Zizaniorum, Matth.* 13. 26. *et* 36.

PARENS.

*Parentes sunt honorandi et timendi.*

*Sem et Japhet benedictionem patris meruerunt, quia ei nudato obsequium præbuerunt; Cham verò filius maledictus fuit, quia patris nuditatem derisit. Gen.* 9. 23. *et seq.*

*Magnæ existimationis erat apud antiquos benedictio patris, ut patet in Jacob et Esaü, qui ipsam sollicitè quæsierunt. Ibid. c.* 27. *per totum.*

*Licèt Esaü esset homo malus reprobatus à Deo, et odio haberet fratrem suum Jacob, nolebat tamen ipsum occidere, vivente patre suo Isaac. Undè dicebat:* Venient dies luctûs patris mei. *In hoc deferens patri honorem, et timens offensam ejus. Ibid. v.* 41.

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram. *Exod.* 20. 12.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur, etc. *Ibid.* 21. 15. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. *v.* 17.

Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. *Levit.* 19. 3.

Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur : patri, matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. *Ibid.* 20. 9.

Honora patrem tuum, et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et benè sit tibi, etc. *Deut* 5. 16.

Si genuerit homo filium contumacem, et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit — lapidibus eum obruet populus, etc. *Ibid.* 21. 18. 21.

Maledictus qui non honorat patrem suum, et matrem : et dicet omnis populus : Amen. *Idid.* 27. 16.

Reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. *Judic.* 9. 56.

*Non audierunt filii Heli patrem ipsos corripientem, et ideò divinam ultionem experti sunt.* 1. *Reg.* 2. 23. *Vide c.* 4. *Vers.* 11.

*David à facie Saül fugiens, et in magnâ necessitate existens, habuit curam parentum suorum, et commendavit illos diligenter regi Moab. Ibid.* 22. 3.

*Absalom David patrem suum de regno expellere laborabat, sed pessimè ei successit.* 2. *Reg. c.* 15. *et* 18.

*Veniente Bethsabeâ matre, surrexit Salomon rex*, adoravitque eam, *et positus est thronus matri ad dexteram filii regis.* 3. *Reg.* 2. 19.

*Duo filii Sennacherib occiderunt patrem; sed neuter eorum regnavit post eum.* 4. *Reg.* 19. 37. *Item Isa.* 37. 38.

*Tobias senior instruens filium suum, inter cætera dixit* : Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus, etc. *Tob.* 4. 3.

Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. *Prov.* 20. 20.

Audi patrem tuum, qui genuit te : et ne contemnas, cùm senuerit mater tua. *Ib.* 23. 22.

Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ *Ibid.* 30. *Vers.* 17.

Judicium patris audite filii, et sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis, et judicium matris exquirens, firmavit in filios. *Eccli.* 3. *v.* 2. 3. Et sicut qui thesaurizat, ità et qui honorificat matrem suam. Qui honorat

patrem suum, jucundabitur in filiis, in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore : et qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. In opere et sermone et omni patientiâ honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat, etc. *v* 5, *et seq.* Ne glorieris in contumeliâ patris tui : non enim est tibi gloria ejus confusio, etc. *v.* 12. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vitâ illius : et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tuâ. *v.* 14. *et* 15. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem ! et est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. *v.* 18.

In toto corde tuo honora patrem tuum ; et gemitus matris tuæ ne obliviscaris : memento, quoniàm nisi per illos natus non fuisses ; et retribue illis, quomodò et illi tibi. *Ib.* 7. 28. *et seq.*

Honora patrem et matrem, etc. *Matth.* 15. 4. *usquè ad v.* 7. *Vide c.* 19. 19. *Item Marc.* 7. 10. *et c.* 10. 19. *Luc.* 18. 20.

*De puero Jesu dicitur :* Et descendit cum eis (*scilicet Mariâ et Joseph*), et venit Nazareth, et erat subditus illis. *Luc.* 2. 51.

*Sic etiam pendens in cruce Jesus, matrem suam dilecto discipulo commendavit. Joan.* 19. 27.

Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : ut benè sit tibi, et sis longævus super terram. *Ephes.* 6. 2. 3. *Vide et v.* 1.

Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino. *Coloss.* 3. 20.

*Parentum amor, Dei et Christi amori cedere debet.*

*Cùm Abraham à Deo jussus fuit filium suum immolare, promptè obedivit. Gen. c.* 22.

Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus, etc. *Matth.* 10. 37.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem — non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26.

*Parentum erga liberos officia.*
Vide et *Filii instituendi.*

*Pietatem eos docere debent.*

Scio enim (*ait Dominus*), quod præcepturus sit (*Abraham*) filiis suis et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam : ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. *Gen.* 18. 19.

*Sara adeò fuit sollicita pro filio suo Isaac benè educando, ut cùm vidisset Ismaëlem fi-*

*lium Agar ancillæ suæ, ludere cum filio suo (utique indecenter) dixerit ad Abraham maritum suum :* Ejice ancillam hanc, et filium ejus. *Ibid.* 21. 10. *Vide Gal.* 4. 30.

*Jacob singulis suis filiis benedicens, et quorumdam defectus arguens, futura illis prædicit; tandemque declarato sepulturæ suæ loco, moritur. Ibid. c.* 49.

*Occurrit Dominus Moysi in itinere, et voluit occidere eum, eò quòd filium suum non circumcidisset juxta legem Domini. Exod.* 4. 24.

Et narres (*Moysi et Aaron ait Deus*) in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quotiès contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis; et sciatis, quia ego Dominus. *Ibid.* 10. 2. *Vide c.* 12. 26. 27.

Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes. Cùmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens, Quid est hoc ? respondebis ei : In manu forti eduxit nos Dominus de terrâ Ægypti, de domo servitutis. *Ibid.* 13. 13. 14.

Et factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii illius non perirent : *nam peccante patre, ipsi non peccaverunt, quod inter miracula hìc numeratur. Num.* 26. 10.

Custodi igitur temeptipsum, et animam tuam sollicitè : ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos, à die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, etc. *Deut.* 4. 9. 10.

Audi, Israël : Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. *Ibid.* 6. 4. *et seq.* Cùmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens : quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis ? Dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti, etc. *v.* 20. 21.

Docete filios vestros, ut illa (*Dei verba*) meditentur, quandò sederis in domo tuâ, et ambulaveris in viâ, et accubueris, atque surrexeris, etc. *Ibid.* 11. 19.

Si genuerit homo filium contumacem, et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit : apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire

contemnit ; comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestrî, et universus Israël audiens pertimescat. *Ibid.* 21. 18. *et seq.*

Et dixit *(Moyses)* ad eos : Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodiè : ut mandetis ea filiis vestris custodire, et facere, et implere universa, quæ scripta sunt *(in volumine)* legis hujus. *Ibid.* 32. 46.

Quandò interrogaverint filii vestri — docebitis eos, etc. *Jos.* 4. 21. *Vide et v.* 6. 7. *Item c.* 22. 24.

*Israëlitæ narravcrunt filiis suis beneficia toti populo à Deo præstita, teste Gedeone, qui ait :* ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt : de Ægypto eduxit nos Dominus ? *Judic.* 6. 13.

*Magna fuit Elcanæ et Annæ circa filii sui educationem pietas, dùm eum totum Deo consecrarunt, ut cunctis diebus vitæ suæ ei inserviret.* 1. *Reg.* 1. 22. *et seq. usq. ad. fin.*

*Dixit Heli ad filios suos :* Nolite, filii mei *(facere mala hæc)* : non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. *Ibid.* 2. 24.

Prædixi enim ei *(ait Dominus Samueli)*, quòd judicaturus essem domum ejus in æternum *(scil. Heli.)* propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, et non corripuerit eos. *Ibid.* 3. 13. *Ergò prædicta correctio Heli ad filios suos, pro nihilo fuit à Deo reputata ; imò supplicio digna visa est.*

*Cùm audisset David incestum, quem patravit filius ejus Amnon, eum non corripuit :* et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniàm diligebat eum : quia primogenitus erat ei. *Sed in hoc malè egit.* 2. *Reg.* 13. 21.

*Optimè egit David parens, cùm filium suum Salomonem magnâ sollicitudine Nathan Prophetæ tradidit instituendum, eique moriturus bonam regni administrationem, et cultûs divini curam commendavit.* 2. *Reh.* 12. 25. *et seq.*

Appropinquaverunt autem dies David, ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens, etc. 3. *Reg.* 2. 1. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi *(Deut.* 17. 19. *)*, ut intelligas universa, quæ facis, et quocumquè te verteris. *v.* 3.

*Dixit David ad Salomonem filium suum :* Tu autem Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, et servitò ei corde

perfecto, et animo voluntario, etc. 1. *Parap.* 28. 9.

*Tobias senior genuit filium,* quem ab infantiâ timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. *Tob.* 1. 10.

*Tobias senior optimè educatus à suis parentibus, quippè qui adhuc puerulus, omnia secundùm legem Dei observabat, optimèquoque filium suum educavit, et saluberrima præcepta ad vitam piè instituendam illi dedit. Confer c.* 4. *Tob. cum c.* 1. *v.* 9. *Vide totum hoc cap.* 4.

*Raguel et Anna filiam suam Saram piè et pudicè educatam dimittunt,* monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Ibid.* 10. 15.

Audite ergò, filii mei, patrem vestrum ( *inquit Tobias moriens* ) : Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis, quæ placita sunt illi : et filiis vestris mandate, ut faciant justitias, et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in totâ virtute suâ. *Ibid.* 14, 10. 11.

*Quantam pro filiorum suorum salute curam gesserit sanctus Job, ex eo patet, quòd quotidiè pro illis Deum sit deprecatus, et sacrificia obtulerit. Job* 1. 5.

Quanta audivimus et cognovimus ea : et patres nostri narraverunt nobis. *Psal.* 77. 3. *Vide usquè ad v.* 7.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimitas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* 1 8. 9.

Audite, filii, disciplinam patris, et attendite, ut sciatis prudentiam. *Ibid.* 4. 1. *Vide c.* 5. 7. *et c.* 7. 24.

Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. *Ibid.* 13. 24.

Erudi filium tuum, ne desperes : ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. *Ibid.* 19. 18.

Justus, qui ambulat in simplicitate suâ, beatos post se filios derelinquet. *Ibid.* 20. 7.

Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. *Ibid.* 22. 15.

Noli subtrahere à puero disciplinam : si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. *Ibid.* 23. 13. 14.

Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. *Ibid.* 29. 17. *Vide et v.* 15.

Verba Lamuelis regis. Visio, quâ erudivit eum mater sua. *Ibid.* 31. 1.

Fili, conserva tempus, et devita à malo. *Eccli.* 4. 23.

Filii tibi sunt ? erudi illos, et curva illos à pueritiâ illorum,

etc. *Ibid.* 7. 25. *Vide et v.* 26. *Item c.* 8. 11.

In filiâ non avertente se, firma custodiam, ne inventâ occasione, utatur se. *Ibid* 26. 13. *Vide et c.* 42. 11.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. *Et sic per totum caput docemur, filios in disciplinâ educare, et quam sit perniciosum illis indulgere. Ibid.* 30. 1. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius, etc. *v.* 11. *et seq.*

Pater filiis notam faciet veritatem tuam (*scil. dei*) *Isa.* 38. 19. *Vide et Joel.* 1. 3.

Parentes enim illius (*Susannæ*), cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi. *Dan.* 13. 3.

Vos ergò, filii, confortamini (*dixit Mathathias moriturus*), et viriliter agite in lege : quia in ipsâ gloriosi eritis (*scilicet cum feceritis, quæ vobis præcepta sunt in lege à Domino Deo vestro*). 1. *Mach.* 2. 64. *Vide et v.* 50.

Adolescentibus autem (*dixit Eleazarus moriturus*) exemplum fortè relinquam, si prompto animo ac fortiter, pro gravissimis ac sanctissimis legibus honestâ morte perfungar. His dictis confestim ad supplicium trahebatur. 2. *Mach.* 6. 28. *Vide v.* 24.

Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat : singulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter, repleta sapientiâ : et femineæ cogitationi masculinum animum inserens, etc. *Ibid.* 7. 20. *et seq.* Itaque inclinata ad illum (*scil. filium suum*), irridens crudelem tyrannum, ait patriâ voce : Fili mi, miserere meî, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. *v.* 27. *et seq.*

Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. *Matth.* 10. 57. *Vide Luc.* 14. 26.

Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplinâ et correctione Domini. *Ephes.* 64. *Item Coloss.* 3. 21. *verbatim fere. Vide* 2. *Tim.* 3. 15. *Tit.* 2. 4.

*Parentes debent diligere liberos tanquàm dona Dei.*

*Dixit Jacob ad Esau de liberis suis :* Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo. *Gen.* 33. 5.

Videntes autem fratres ejus (*Joseph*), quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, etc. *Ibid.* 37. 4.

*Jacobo interroganti respondit Joseph :* Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. *Ibid.* 48. 9.

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo ( *ægrotante* ), et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsùm, jacuit super terram. Venerunt autem seniores domûs ejus, cogentes eum ut surgeret de terrâ; qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 2. *Reg.* 12. 16. *et* 17. *Vide et v.* 22.

Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem ( *Salomonem* ) (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo ): Obsecro, domine : date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. 3. *Reg.* 3. 26.

*Cùm profectus esset Tobias junior*, cœpit mater ejus flere, et dicere *viro suo :* Baculum senectutis nostræ tulisti, et transmisisti à nobis, etc. *Tob.* 5. 23. *Vide c.* 10. 4.

Cœpit autem contristari nimis ipse ( *Tobias* ), et Anna uxor ejus cum eo : et cœperunt ambo simul flere : eò quòd die statuto minimè reverteretur filius eorum ad eos. *Ibid.* 10. 3.

Eccè hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris. *Psal.* 126. 3.

*Parentes debent liberos suos corrigere, et peccata eorum arguere.*

*Si, vovente filiâ,* contradixerit pater : et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni; eò quòd contradixerit pater. *Num.* 30. 6.

Prædixi enim ei ( *inquit Deus Samueli* ), quod judicaturus essem domum ejus ( *scil. Heli* ) in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, et non corripuerit eos. 1, *Reg.* 3. 13.

Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. *Prov.* 13. 24.

Noli subtrahere à puero disciplinam : si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis. *Ib.* 23. 13. 14. *Vide c.* 29. 15.

Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. *Ibid.* 29. 17.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo : et in medio domesticorum in illo gloriabitur, etc. *Eccli.* 30. 1. *et seq. usq. ad v.* 14.

Quis enim filius, quem non corripit pater? *Hebr.* 12. 7.

*Sed in corrigendis liberis et arguendis moderatione opus est.*

Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplinâ et correptione Domini. *Ephes.* 6. 4.

Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut

non pusillo animo fiant. *Coloss.* 3. 21.

*Parentes debent orare pro liberorum felicitate, et peccatis amovendis.*

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo *(suo ægrotante)*. 2. *Reg.* 12. 16.

*Oravit David pro filio suo Salomone.* 1. *Paral.* 29. 19.

Consurgensque *(Job)* diluculò, offerebat holocausta pro singulis *liberis; et sic faciebat cunctis diebus. Job* 1. 5.

*Parentes debent liberis tradere facultates, et prospicere de matrimonio.*

Habitavitque (*Ismaël*) in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terrâ Ægypti. *Gen.* 21. 21.

Dixit *(Abraham)* ad servum seniorem domûs suæ, qui præcerat omnibus, quæ habebat : Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cæli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito : sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et indè accipias uxorem filio meo Isaac, etc. *Ibid.* 24. 2. *et seq.*

*Dixit servus Abraham ad Laban:* Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute suâ, etc. *Ib. v.* 36.

Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac : filiis autem concubinarum largitus est munera, etc. *Ibid.* 25. 5. 6.

Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei, dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan : sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam, etc. et accipe tibi indè uxorem de filiabus Laban avunculi tui. *Ibid.* 28. 1. 2.

Et pergens (*Sichem*) ad Hemor patrem suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem, (*scil. Dinam*). *Ibid.* 34. 4.

Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. *Ibid.* 38. 6.

Sin autem (*dominus*) filio suo desponderit eam (*famulam*), juxta morem filiarum faciet illi. Quòd si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit. *Exod.* 21. 9. 10.

Descendit ergò Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philistiim, ascendit et nuntiavit patri suo et matri suæ, dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum : quam quæso, ut mihi accipiatis uxorem. Cui dixerunt pater et mater sua : Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt ? Dixit Samson ad patrem suum : Hanc

mihi accipe: quia placuit oculis meis, etc. *Judic.* 14. 1. *per totum Caput. Vide et* 1. *Cor.* 7. 38. *Et Titulum Matrimonium.*

*Parentes sunt honorandi ex corde.*

Audi, fili mi, (*dixit senex Tobias filio suo*), verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Cùm autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. *Tob.* 4. 2. *et seq.*

Audi patrem tuum, qui genuit te, et ne contemnas, cùm senuerit, mater tua. *Prov.* 23. 22.

Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vitâ illius : et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tuâ : eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, et in justitiâ ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tuî : et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua, etc. *Eccli.* 3. 14. *et seq.*

*Diligenter.*

Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt, etc. *Eccli.* 3. 8. *Vide et versus sequentes.*

Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniàm nisi per illos natus non fuisses : et retribue illis, quomodò et illi tibi. *Ibid.* 7. 29. 30.

Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino. *Coloss.* 3. 20. *Item Ephes.* 6. 1.

*Propter Dei jussionem.*

Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat. *Levit.* 19. 3.

Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et benè sit tibi in terrâ, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. *Deut.* 5. 16. *Item Exod.* 20. 12.

Quarè et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem : etc, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. *Matth.* 15. 3.

*Ob boni consecutionem.*

Corona senum filii filiorum : et gloria filiorum, patres eorum. *Prov.* 17. 6.

Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis : et judicium matris exquirens,

firmavit in filios. *Eccli.* 3. 2. 3. Et sicut qui thesaurizat, ità et qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore; et qui obedit patri, refrigerabit matrem. *v.* 5. *et seq.* In opere et sermone, et omni sapientiâ honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Ibid. v.* 9. *et seq.*

Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : ut benè sit tibi, et sis longævus super terram. *Ephes.* 6. 1. *et seq.*

*Ob mali evasionem.*

Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur. *Exod.* 21. 15. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. *v.* 17. *Vide Lev.* 20. 9. *Prov.* 20. 20. *Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10.

Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem. *Deut.* 27. 16.

Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est et infelix. *Prov.* 19. 26.

Qui maledicit patri suo, et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. *Ibid.* 20. 20.

Qui subtrahit aliquid à patre suo, et à matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. *Ibid.* 28. 24.

Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. *Ibid.* 30. 17.

Ne glorieris in contumeliâ patris tui : non enim est tibi gloria, ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii, pater sine honore. *Eccli.* 3. 12. 13. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem! et est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. *v.* 18.

*Pascha. Vide in Lit. F. Festum Pascha.*

PASTOR.

*Pastor summus Christus Deus, affectuosè revocans errantes.*

Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illùc : et convertam eos ad rura sua : et crescent, et multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos. *Jerem.* 23. 3. 4.

Eccè ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. *Ezech.* 34. 11. Et educam eas—et inducam eas in terram suam : et pascam eas in montibus Israël, *v.* 13. *Vide totum caput per singulos versus.*

Ego sum pastor bonus. *Joan.*

10. 11. *Vide et v.* 14. *Item Isa.* 40. 11.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem : faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum. *Hebr.* 13. 20. 21.

Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum. 1. *Petr.* 2. 25.

*Copiosè remunerans obsequentes.*

Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. *Isa.* 40. 11.

In pascuis uberrimis pascam eas, etc. *Ezech.* 34. 14. Quod perierat, requiram : et quod abjectum erat, reducam : et quod confractum fuerat, alligabo : et quod infirmum fuerat, consolidabo : et quod pingue et forte, custodiam, et pascam illas in judicio. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus. *v.* 16. *et* 17. *Vide et tot. cap.*

Ego sum pastor bonus : et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem : et animam meam pono pro ovibus meis. etc. *Joan.* 10. 14. 15. Ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ. *v.* 28.

*Pastores, præceptores, et alii præfecti, quâ debeant sollicitudine, et curâ esse erga sibi commissos.*

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera : non enim habebis jugiter potestatem, sed corona tribuetur (*tibi*) in generationem, et generationem. *Prov.* 27. 23. 24.

Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis. *Sap.* 6. 23. *Vide et v.* 26.

Quod infirmum fuit (*ô pastores*), non consolidastis ; et quod ægrotum, non sanastis ; quod confractum est, non alligastis ; et quod abjectum est, non reduxistis ; et quod perierat, non quæsistis : sed cùm austeritate imperabatis eis, et cum potentiâ, etc. *Ezech.* 34. 4. *per totum caput.*

Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis : nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam, quæ erravit? etc. *Matth.* 18. 12. *Item Luc.* 15. 4.

Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? *Ibid.* 24. 45. *Item Luc.* 12. 42.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercena-

rius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves, etc. *Joan.* 10. 11. *per totum caput.*

Antè diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, etc. *Ibid.* 13. 1. *per totum caput.*

Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt. *Ibid.* 17. 9. Et jàm non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. *v.* 11. *Vide et v.* 12.

Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergò me quæritis, sinite hos abire. *Ibid.* 18. 8.

Nos verò orationi et ministerio verbi instantes erimus. *Actor.* 6. 4.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, etc. *Ibid.* 20. 28. Propter quod vigilate, memoriâ retinentes: quoniàm per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm. *v.* 31.

Agrippa autem (*dicebat*) ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri. Et Paulus: Opto apud Deum, et in modico, et in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodiè fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. *Ibid.* 26. 28.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem. *Rom.* 9. 3.

Qui exhortatur in exhortando (*donum habet secundùm gratiam*), qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. *Ibid.* 12. 8.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquàm parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, etc. 1. *Cor.* 3. 1. 2.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jàm quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, *Ibid.* 4. 1. 2. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. *v.* 14.

Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterùm in tristitiâ venirem ad vos. Si enim ego contristo vos: et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? etc. 2. *Cor.* 2. 1. 2. *per totum.*

Et posuit (*Deus*) in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Chris-

to, reconciliamini Deo. *Ibid.* 5. 19. 20.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Ibid.* 6. 1. *Vide totum caput* 7. *Item c.* 10. 14.

Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *Ibid.* 11. 2. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? *v.* 29.

Eccè, tertio hoc paratus sum venire ad vos : et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. *Ibid.* 12. 14. *Vide et v.* 15.

Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis—Non enim possumus aliquid adversùs veritatem : sed pro veritate. Gaudemus enim, quoniàm nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus, vestram consummationem. Ideò hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. *Ibid.* 13. 7. *et seq.*

Timeo vos, ne fortè sine causâ laboraverim in vobis. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos, etc. *Galat.* 4. 11. 12. Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. *v.* 19.

Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi—ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, etc. *Ephes.* 3. 14. 16.

Et ipse (*Deus*) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, etc. *Ibid.* 4. 11. 12. *Vide* 1. *Cor.* 1. 12. 28.

*Paulus inquit :* Orantes (*sitis*) omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus Sanctis, et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Evangelii : pro quo legatione fungor in catenâ, ità ut in ipso audeam, prout oportet me loqui, etc. *Ibid.* 6. 18. *et seq.*

De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. *Philipp.* 3. 1.

Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum), ut manifestem illud, ità ut oportet me loqui. *Coloss.* 4. 3. 4.

Neque enim aliquandò fuimus in sermone adulationis, sicut scitis : neque in occasione avaritiæ : Deus testis est : nec quæ-

rentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Cùm possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquàm si nutrix foveat filios suos. 1. *Thess.* 2. 5. *et seq.*

Positus sum ego (*Paulus*) Prædicator et Apostolus—Doctor gentium in fide et veritate. 1. *Tim.* 2. 7.

Oportet — Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, etc. *Ibid.* 3. 2. *Item Tit.* 1. 7. *et seq.*

Præcipe hæc et doce, etc. *Ibid.* 4. 11. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate — attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ — profectus tuus manifestus sit omnibus, etc. *v.* 12. *et seq.*

Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. *Ibid.* 6. 12. *Vide et v.* 11.

Sollicitè cura, te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 2. *Tim.* 2. 15. Servum autem Domini non oportet litigare : sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem, etc. *v.* 24. *et* 25. *Vide et v.* 22.

Prædica verbum, insta opportunè, importunè : argue, obsecra, increpa in omni patientiâ et doctrinâ. *Ibid.* 4. 2. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. *Ibid. v.* 5. *Vide Tit.* 1. 11.

Ut potens sit (*Episcopus*) exhortari in doctrinâ sanâ, et eos, qui contradicunt, arguere. *Tit.* 1. 9.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensible : ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Ibid.* 2. 7. 8. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. *v.* 15. *Vide et totum caput* 3.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum : neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. *Petr.* 5. 2. 3.

### *Pastorum dignitas ac præstantia.*

Et dixit Dominus ad me (*Jeremiam*) : Eccè dedi verba mea in ore tuo : eccè constitui te hodiè super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. *Jerem.* 1. 9. 10.

Eccè super montes pedes

evangelizantis et annuntiantis pacem. *Nahum* 1. 15. *Vide et Isa.* 52, 7. *Rom.* 10. 15.

Intrantes autem in domum : salutate eam, dicentes ; Pax huic domui. *Matth.* 10. 12. *Vide Luc.* 10. 5.

Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes indè, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. *Marc.* 6. 11. *Vide Matth.* 10. 14. *Luc.* 9. 5. *Actor.* 13. 51. *et c.* 18. 6.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. *Galat.* 6. 6.

Excipite itaque illum (*Epaphroditum fratrem et cooperatorem*) cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote. Quoniàm propter opus Christi usquè ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium. *Philipp.* 2. 29. 30. *Vide* 1. *Cor. c.* 9. *per totum Caput.*

Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantiùs in caritate propter opus illorum. *Thess.* 5. 12. 13.

Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maximè qui laborant in verbo et doctrinâ. 1. *Tim.* 5. 17.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. *Hebr.* 13. 7. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim non expedit vobis. *v.* 17.

Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos. 1. *Joan.* 4. 6.

*Pastor bonus Deum attendit.*

Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium—Et cùm proprias oves emiserit, antè eas vadit : et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. *Joan.* 10. 2. 4.

Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos, etc. *Ibid.* 21. 15. *Vide v.* 16. *et* 17.

Hìc jàm quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 1. *Cor.* 4. 2.

*Ovibus intendit.*

Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ. *Jerem.* 3. 15.

Scitis, quia principes gentium dominantur eorum — Non ità erit inter vos : sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. — Sicut Fi-

lius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. *Matth.* 20. 25. *et seq. Vide Luc.* 22. 25.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, etc. *Joan.* 10. 11.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Actor.* 20. 28.

Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, etc. 1. *Tim.* 3. 2.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, etc. *Tit.* 1. 7.

Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Ibid.* 3. 14.

*Præmium acquirit.*

Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniàm super omnia bona sua constituet eum. *Matth.* 24. 45. *et seq. Item Luc.* 12. 42.

Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Seniores ergò, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator : Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum : neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. *Petr.* 5. 1. *et seq.*

*Pastor malus bonum gregem dissipat.*

Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. *Isa.* 56. 10. *Vide et v.* 11.

Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus ? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me. *Jerem.* 2. 8.

Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis: et populus meus dilexit talia : quid igitur fiet in novissimo ejus? *Ib.* 5. 31.

A prophetâ usquè ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes : Pax, pax : et non erat pax. *Ibid.* 6. 13. 14. *Item. c.* 8. 10.

Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt

partem meam : dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, etc. *Ibid.* 12. 10.

Et populi, quibus prophetant (*falsi Prophetæ*), erunt projecti in viis Jerusalem præ fame et gladio, etc. *Ibid* 14. 16. *Vide. c.* 23. 14. *per totum et c.* 27. 15. *Item Thren.* 2. 14. *Ezech.* 13. 10. *et c.* 34. 2. *Zach.* 10. 3.

Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, etc. *Ibid.* 50. 6.

Fili hominis, propheta de pastoribus Israël — Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos : nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cùm austeritate imperabatis eis, et cum potentiâ. Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor. *Ezech.* 34. 2. *et seq.* Nonne satis vobis erat pascua bona depæsci? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, et cùm purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis — Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos : Eccè ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum : Pro eo, quòd lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foràs : salvabo gregem meum, et non erit ultrà in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus, *v.* 18. *et seq.*

Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. 14. *Item Luc.* 6. 39.

Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ : quia clauditis regnum cælorum antè homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. *Ibid.* 23. 13. *Vide et versus sequentes.*

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est et latro. *Joan.* 10. 1. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves. *v.* 12.

*Commodum proprium spectat.*

Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam à summo usquè ad novissimum. *Isa.* 56. 11. *Vide Jerem.* 6. 13. *et c.* 8. 10.

Propterea, pastores, audite verbum Domini : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quòd facti sunt greges mei in rapinam : et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quòd non esset pastor : neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant, *Ezech.* 34. 7. 8. Hæc dicit Dominus Deus : Eccè ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultrà eis in escam. *v.* 10.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. *Joan.* 10. 13.

Sunt enim multi — qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. *Tit.* 1. 10. 11.

*Malum contra se provocat.*

Væ pastoribus, qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideò hæc dicit Dominus, etc. Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos : eccè ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. *Jerem.* 23. 1. 2.

Ululate, pastores, et clamate : et aspergite vos cinere, optimates gregis : quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini ; et dissipationes vestræ, et cadetis quasi vasa pretiosa — Vox clamoris pastorum, et ululatus optimatum gregis : quia vastavit Dominus pascua eorum. Et conticuerunt arva pacis à facie iræ furoris Domini. *Ibid.* 25. 34. 36. 37.

Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo. *Zach.* 10. 3.

Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum — Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus : et pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam ultrà super habitantes terram, dicit Dominus. *Ibid.* 11. 3. *et seq.* Adhuc sume tibi — super oculum dextrum ejus, etc. *v.* 15. *et* 17.

PATIENTIA.

*Patiens et longanimis est Deus.*

Dixitque Deus (*videns hominum peccata crescere*) : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est : eruntque dies illius centum viginti annorum. *Gen.* 6. 3.

Quo (*Deo*) transeunte coram eo (*Moyse*), ait : Dominator Domine Deus, misericors et

clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax. *Exod.* 34. 6. *Vide et v.* 7.

Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. *Num.* 14 18.

Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies? *Psal.* 7. 12.

Quoniàm tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. *Psal.* 85. 4.

Et tu, Domine, Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax. *v.* 14.

Miserator et misericors Dominus; longanimis, et multùm misericors. *Psal.* 102. 8. *Item. Psal.* 144. 8. 9.

Attamen peccator ex eo, quòd centies facit malum, et per patientiam sustentatur. *Eccles.* 8. 12.

Sed misereris omnium (*Domine*), quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24. *Vide et v.* 27.

Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordiâ disponens omnia. *Ibid.* 15. 1. *Vide et v.* 2.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestrî : et ideò exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus : beati omnes qui expectant eum. *Isa.* 30. 18.

*Dicit Deus* : Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. *Ibid.* 42. 14.

Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitiâ. *Joel.* 2. 13. *Vide Mich.* 7. 18. 19.

*Jonas in afflictione suâ oravit Dominum, dicens* : Scio enim, quia tu Deus clemens, et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitiâ. *Jonæ* 4. 2.

Dominus patiens et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. *Nahum* 1. 3. *Vide et v.* 7.

Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. *Matth.* 18. 27.

Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? *Luc.* 18. 7.

An divitias bonitatis ejus (*Dei*), et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniàm benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Rom.* 2. 4.

Quòd si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in

multâ patientiâ vasa iræ ; apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *Ibid.* 9. 22. 23.

Deus autem patientiæ et solatii. *Ibid.* 15. 5.

Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei, et patientiâ Christi. 2. *Thess.* 3. 5. *Vide Apoc.* 1. 9. *et c.* 3. 10.

Sed ideò misericordiam consecutus sum; ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi, in vitam æternam. 1. *Tim.* 1. 16.

Non tardat Dominus promissionem suam, sicùt quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9. *Vide et* 1. *Petr.* 3. 20.

*Patientia, et longanimitas fidelium in omni genere tribulationum : exempla, dicta, et commendatio.*

*Abraham Dei mandato parens, promissaque accipiens, patriâ relictâ, comitante Lot, Domino in Sichem sacrificat : indè propter famem Ægyptum ingressus, uxorem suam vocat sororem, quam in domum regis sublatam, posteà ditatus recipit. Gen. c.* 12.

*Mansuetè ferebat Isaac, cùm pater suus eum immolare vellet. Gen* 22. 9.

*Joseph facinus, quod in eum commiserunt fratres sui, et patienter tulit, et clementer indulsit. Ibid.* 45. 4.

*Citò oravit Moyses pro Mariâ, quæ contra eum tàm iniquè locuta fuerat, et per orationem ejus sanata fuit. Num.* 12. 13. *Vide v.* 3.

*Murmurabat populus* contra Moysen et Aaron, dicens : Vos interfecistis populum Domini. *Ibid.* 16. 41. *Et cùm iratus esset Dominus, ut percuterit populum*, dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, etc. pergens citò ad populum, ut roges pro eis : *et sequitur, quòd plaga cessaverit. v.* 46. *Vide Sap.* 18. 21.

*Viri Eprhaim jurgantes fortiter contra Gedeonem, sedati fuerunt propter ejus mansuetam responsionem :* Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? *Judic.* 8. 2. *Vide et v.* 3.

*Noluit sustinere Saül, ut occiderentur viri, qui detraxerant ei.* 1. *Reg.* 11. 13.

*Potuit David pluries, et noluit occidere Saül, ipsum acriter persequentem; sed tantùm abscidit oram chlamydis ejus, quandò ingressus est speluncam, in quâ latitabat. Ibid.* 24. 5. *Vide et v.* 12.

*Aliud insigne mansuetudinis exemplum præbuit David, cùm facillimè posset occidere Saül dormientem in tentorio, et tamen satis habuit auferre illi hastam, et scyphum. Ib.* 26. 12.

*Fugiens David à facie Absalom, patienter dixit ad Sadoc :* Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. 2. *Reg.* 15. 25.

*Sibæ cibaria afferenti ac detractori confert David bona Miphiboseth, et Semei maledicentem occidi vetat.* 2. *Reg. c.* 16. Et ait rex (*iis, qui voluerunt amputare caput Semei*) : Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David : et quis est, qui audeat dicere, quarè sic fecerit? *v.* 10.

*Miphiboseth patienter sustinuit iniquam sententiam contra se latam. Ibid.* 19. 28.

*Homines, qui venerant ad capiendum Eliseum, non permisit ipse illos aliquid mali habere, sed præcepit eis mensam apponi, et refectos abire permisit.* 4. *Reg.* 6. 22. 23.

*Dixerunt seniores dantes consilium Roboam :* Si placueris populo huic, et leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. 2. *Paral.* 10. 7. *Vide* 3. *Reg.* 12. 7.

Nunc ergò retine apud temetipsam dolorem tuum, et fortiter fer, qui tibi contigerunt, casus. 4. *Esdr.* 10. 15.

*Tobias* cùm ab infantiâ suâ semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, *et irrisionem uxoris et amicorum sicut Job patienter sustinuit. Tob.* 2. 13. 14.

*Filia Raguelis Sara, gravem contumeliam ab ancillâ prolatam patienter tulit, nihil respondens, sed ad orationem se statim convertens. Ibid.* 3. 10. *et seq.*

Humiliemus illi (*Deo*) animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, *serviamus ei. Judith* 8. 16. *et seq.*

*Job sanctus et dives, pro filiis vicissim convivia celebrantibus Domino sacrificat, cujus possessiones Dominus petenti Satanæ diripiendas exponit, per quem perditâ omni illius substantiâ, interemptisque filiis, ipse cum signis mœstitiæ, patiens in Dei laudes prorumpit. Job c.* 1.

Dixit autem illi (*Job*) uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ? benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es : si bona suscepimus de manu Dei, mala quarè non suscipiamus? *Ibid.* 2. 9.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : nec deficias, cùm ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit : et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* 3. 11. 12. *Vide Hebr.* 12. 5. 6.

Qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Ibid.* 14. 29.

Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. *Ibid.* 15. 1. Vir iracundus provocat rixas, qui patiens est, mitigat suscitatas. *v.* 18.

Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Ibid.* 16. 32.

Doctrina viri per patientiam nascitur ; et gloria ejus est iniqua prætergredi. *Ibid.* 19. 11.

Ne dicas : Reddam malum ; expecta Dominum, et liberabit te. *Ibid.* 20. 22. *Vide et caput* 17. 13.

Patientiâ lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. *Ibid.* 25. 15.

Melior est patiens arrogante. *Eccles.* 7. 9.

Usquè in tempus sustinebit patiens, et posteà redditio jucunditatis. *Eccli.* 1. 29.

Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tuâ patientiam habe: quoniàm in igne probatur aurum et argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Ibid.* 2. 4. 5.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. *Thren.* 3. 26. *Vide et Mich.* 7. 9.

Intuens autem, quemadmodùm oportet accedere, patienter sustinens destinavit (*Eleazarus*) non admittere illicita propter vitæ amorem, etc. 2. *Mach.* 6. 20.

*Septem fratrum, matrisque eorum ingentia fortissimèque tolerata supplicia, quod porcinis nollent vesci carnibus ; et quàm constanter regi ob suam crudelitatem ostenderint damnationem esse paratam, et quomodò mater suos filios sit exhortata. Ibid. c.* 7.

Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram, etc. *Matth.* 5. 39. *Item Luc.* 6. 29.

Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde. *Ibid.* 11. 29.

*Boni Christiani* fructum afferunt in patientiâ. *Luc.* 8. 15.

*Dixerunt discipuli quidam :* Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos (*scil. Samaritanos*)*? At Jesus increpavit eos,* dicens : Nescitis cujus spiritûs estis, etc. *Ibid.* 9. 54.

In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. *Ibid.* 21. 19.

*Apostoli cæsi* ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniàm digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Actor.* 5. 41.

*Deus reddet secundùm patientiam operis boni, vitam æternam. Rom.* 2. 7.

Non solùm autem (*gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*), sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia

autem probationem, probatio verò spem. *Ibid.* 5. 3. 4.

Si autem quod non videmus, speramus : per patientiam exspectamus. *Ibid.* 8. 25.

Spe gaudentes : in tribulatione patientes. *Ibid.* 12. 12. Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ, etc. *v.* 19.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Ibid.* 15. 4.

Quarè non magis injuriam accipitis ? quarè non magis fraudem patimini ? 1. *Cor.* 6. 7.

Caritas patiens est, benigna est, etc. — Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. *Ibid.* 13. 4. *et seq.*

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, etc. 2. *Cor.* 6. 4. *Vide et c.* 12. 12.

Fructus autem Spiritûs est : caritas, gaudium, pax patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Galat.* 5. 22. 23.

Obsecro itaque vos, etc. ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in caritate. *Ephes.* 4. 1. 2.

Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. *Philipp.* 1. 29.

In omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis ejus, in omni patientiâ et longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, etc. *Coloss.* 1. 11. 12.

Induite vos ergò sicut electi Dei sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, etc. *Ibid.* 3. 12. 13.

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. 1. *Thess.* 5. 14. 15. *Vide Rom.* 12. 17. *Item* 1. *Petr.* 3. 9.

Ità ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientiâ vestrâ, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem (*aliqui legum retributionem*) iis, qui vos tribulant : et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus. 2. *Thess.* 1. 4. *et seq.*

Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge (*scil. cupiditatem etc.*) : sectare verò justitiam, pietatem,

fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. 1. *Tim.* 6. 11.

Labora, sicut bonus miles Christi Jesu, 2. *Tim.* 2. 3. Si sustinebimus et conregnabimus: si negaverimus, et ille (*Christus*) negabit nos. *v.* 12.

*Servum Domini oportet*, mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. 2. *Tim.* 2. 24. *Vide Tit.* 2. 2.

Ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones. *Hebr.* 6. 12.

Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Ibid.* 10. 36.

Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem. *Ibid.* 11. 24. 25.

Ideòque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. *Ib.* 12. 1. *Vide et versus sequentes.*

Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, etc. *Jacob.* 1. 3. 4.

Patientes igitur estote, fratres, usquè ad adventum Domini. Eccè agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum ac serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra. *Ibid.* 5. 7. 8. *Vide v.* 10. *et* 11.

In quo (*Deo*) exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 6. 7.

Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Quæ enim est gloria si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si benè facientes, patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. *Ibid.* 2. 19. 20.

Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. *Ibid.* 3. 14. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo. *v.* 17. *et* 18.

Christo igitur passo in carne, et vos eâdem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: ut jàm non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. *Ibid.* 4. 1. 2. *Vide et n,* 19. *Item* 2. *Petr.* 1. 6.

Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. *Apoc.* 14. 12.

*Patientia Deum placat.*

Patientia pauperum non peribit in finem. *Psal.* 9. 19.

Ne dicas : Reddam malum (*pro malo*) : expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* 20. 22.

Quoniàm servâsti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab horâ tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terrâ. *Ap.* 3. 10.

*Præmium parat.*

Quod autem in bonam terram : hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum, retinent, et fructum afferunt in patientiâ. *Luc.* 8. 15.

Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* 15. 4.

*Hominem commendat.*

*Longanimis forti præstat : et qui animo suo imperat, ei, qui expugnat urbes. Prov.* 16. 32.

Doctrina viri per patientiam noscitur. *Ib.* 19. 11.

Melior est patiens arrogante. *Eccles.* 7. 9.

In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. *Luc.* 21. 19.

Caritas patiens est, benigna est, etc. 1. *Cor.* 13. 4.

Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Hebr.* 10. 36.

*Impatientia et ejus punitio.*

Et dixerunt ad Moysen (*filii Israël*) : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideò tulisti nos, ut moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? *Exod.* 14. 11.

Et murmuravit populus contra Moysen, dicens : Quid bibemus? *Ib.* 15. 24.

Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen et Aaron in solitudine. Dixeruntque filii Israël ad eos : Utinam mortui essemus per manum Domini in terrâ Ægypti, etc. *Ib.* 16. 2. 3. *Dixeruntque eis Moyses et Aaron :* Manè videbitis gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? *v.* 7.

Qui (*populus Israël*) jurgatus contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ib.* 17. 2. *Vide Num.* 20. 4. *et* 5.

Intereà ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cùm audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. *Num.* 11. 1. 2. Audivit ergò Moyses flentem

populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valdè : sed et Moysi intoleranda res visa est. *v.* 10.

Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illâ, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israël, dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto, et in hâc vastâ solitudine utinam pereamus, etc. *Ib.* 14. 1. *et seq. Ait Dominus :* Usquequò multitudo hæc pessima murmurat contra me ? querelas filiorum Israël audivi. Dic ergò eis : Vivo ego, ait Dominus : sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis, In solitudine hâc jacebunt cadavera vestra, etc. *v.* 27. *et seq.*

Locutusque (*populus Israël*) contra Deum, et Moysen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine ? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jàm nauseat super cibo levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, et dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te : ora, ut tollat à nobis serpentes. *Ib.* 21. 5. *et seq.*

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et locutus est : Pereat dies, in quâ natus sum, et nox in quâ dictum est : Conceptus est homo, etc. *Job* 3. 1. *et seq. Vide et Jerem.* 20. 14. *et seq.*

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

PAUPERTAS ET PAUPERES. *Vide et* ELEEMOSYNA, *et* MISERICORDIA.

*Paupertas à Deo est, et laudatur.*

Melior est pauper et sufficiens sibi, quàm gloriòsus et indigens pane. *Prov.* 12. 9. *Vide Eccli.* 10. 30.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis. *Ib.* 14. 31. *Item c.* 17. 5.

Melius est parùm cum timore Domini, quàm thesauri magni et insatiabiles. *Ib.* 15. 16. *Vide et c.* 16. 8. *et c.* 17. 1.

Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus. *Ib.* 22. 2.

Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas à Deo sunt. *Eccli.* 11. 14. *Vide Job* 1. 21. *et c.* 2. 10.

Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei. *Luc.* 6. 20. *Item Matth.* 5. 3.

*Paupertatis exempla.*

*Patriarcha Jacob recedens à parentibus suis, et pergens ad Laban fratrem suæ matris, nec animal, nec famulum legitur habuisse, sed in baculo suo transiit Jordanem : et quâdam vice volens requiescere post solis occasum, tulit de lapidibus, et*

*supponens capiti, dormivit in eodem loco. Gen.* 28. 11. *Confer c.* 22. 10.

Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian. *Exod.* 3. 1.

*Ruth Moabitis non magnis divitiis abundabat, quandò ibat ad colligendum spicas, quæ metentium manus fugerant, quæque ad manus pauperum pertinebant. Ruth* 2. 2.

*Uno puero contentus Saül, ivit satis longè ad quærendum asinas patris sui. Et ipse Saül dixit posteà Samueli, quòd cognatio sua esset minima inter omnes familias tribûs Benjamin.* 1. *Reg.* 9. 3. 21.

*Minimus erat David inter filios patris sui, ità ut, quandò Samuel venit ad ungendum unum ex filiis Isaï, David erat in pascuis, nec in principio vocatus fuit, quasi nullius esset reputationis. Deindè cùm fratres ejus essent in castris, misit eum pater suus onustum victuariis, ut deferret illis. Ibid.* 16. 11. *et c.* 17. 17.

*Magnam penuriam patiebatur Elias, quandò petiit à viduâ Sarephtanâ, ut daret ei paululùm aquæ, et buccellam panis.* 3. *Reg.* 17. 10. 11.

*Filii Prophetarum sub Eliseo in magnâ paupertate vivebant, qui parùm panis, et insipidum pulmentum habebant.* 4. *Reg.* 4. 38. *Vide et versus sequentes. Insuper in loco valdè angusto habitabant, et ligna quoque propriis manibus sibi cædebant. Ibid.* 6. 1. 4.

Anna verò uxor ejus (*Tobiæ*) ibat ad opus textrinum quotidiè, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. *Tob.* 2. 19.

Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, etc. *Ibid.* 4. 23.

*Rechabitæ domos non ædificabant, semen non serebant; vineas non habebant, vinum non bibebant, sed in tabernaculis habitabant. Jerem.* 35. 6. *et seq.*

De plebe pauperum, qui nihil penitùs habebant, dimisit Nabuzardan — in terrâ Judâ. *Ib.* 39. 10.

*Discipuli majore ex parte de statu paupertatis fuerunt assumpti à Christo: nam Petrus, et Andreas mittebant rete in mare: erant enim piscatores: Jacobus autem et Joannes reficiebant retia sua. Matth.* 4. 18. 21. *Item Marc.* 1. 16. 19.

*In sermone Domini in monte primùm ponitur commendatio paupertatis, quasi ipsa esset totius spiritualis ædificii fundamentum. Ibid.* 5. 3. *Item Luc.* 6. 20.

*Circumiens Jesus civitates et castella, non habebat, ubi caput reclinaret; undè ait:* Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. *Matth.* 8. 20. *Item Luc.* 9. 58.

*Adolescenti de ingressu ad vitam æternam quærenti, dixit Dominus*: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus. *Et in sequentibus magnam promittit Dominus remunerationem omnia derelinquentibus propter nomen ipsius. Ibid.* 19. 21. *et sequens usquè ad finem. Vide Marc.* 10. 21. *et sequentes. Luc.* 18. 22. *et sequentes.*

Peperit (*Maria*) filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. *Luc.* 2. 7.

*In purificatione Virginis gloriosæ oblationem pauperum parentes Jesu in templo obtulerunt. Ib. v.* 24. *Confer Levit.* 5. 7. *et c.* 12. 8.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus (*divitis*), ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ divitis, etc. *Ib.* 16. 20. 21.

Vidit autem (*Jesus*) et quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit : Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit, etc. *Ib.* 21. 2. 3. *Vide et v.* 4. *Item Marc.* 12. 42. *et seq.*

Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniàm propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. 2. *Corinth.* 8. 9.

*Pauper frater quomodò tractandus.*

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, etc. ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris, etc. *Deut.* 15. 7. 8. *Vide et versus sequentes. Item Tob.* 4. 7. 17. *Matth.* 5. 42. *Luc* 6. 20. *et c.* 14. 13.

*Pauperes semper in mundo.*

*Christus ait :* Semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis. *Matth.* 26. 11.

Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cùm volueritis, potestis illis benefacere. *Marc.* 14. 7. 8. *Item Joannes* 12. 8.

*Pauperes boni in se ipsis humiliantur.*

Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate suâ, quàm dives torquens labia sua, et insipiens. *Prov.* 19. 1. Melior est pauper (*justus*), quàm vir mendax. *v.* 22.

Melior est pauper, ambulans in simplicitate suâ, quàm dives in pravis itineribus. *Ib.* 28. 6.

*Pauper propter scientiam et religionem gloriam adipiscitur; dives ob divitias suas in honore est. Eccli.* 10. 33.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessita-

tum paupertatis in die divitiarum. *Ib.* 18. 25. *Vide c.* 11. 27.

Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam, sed dives es. *Apoc.* 2. 9.

*Necessariis contenti sunt.*

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus ; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus benè. *Tob.* 4. 23.

Edent pauperes, et saturabuntur. *Psal.* 21. 27.

Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. *Psal.* 36. 16.

*Pauper, qui sibi laborat, præstat glorioso, qui pane indiget. Prov.* 12. 9. *Vide Eccli.* 10. 30.

*Est, qui sese divitem simulat, cùm tamen omninò nihil habeat ; est rursùs, qui fingit se pauperem, cùm opibus abundet. Ibid.* 13. 7.

Melius est parùm cum timore Domini, quàm thesauri magni et insatiabiles. *Ibid.* 15. 16.

Melius est parùm cum justitiâ, quàm multi fructus cum iniquitate. *Ibid.* 16. 8. *Vide Eccles.* 4. 6.

Duo rogavi te, ne deneges mihi, etc. Vanitatem, et verba mendacia longè fac à me. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantùm victui meo necessaria : ne fortè satiatus illiciar ad negandum, et dicam : quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Ib.* 30. 7. *et seq.*

Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum. *Eccles.* 4. 13. *Vide et v.* 14.

*Summa vitæ humanæ est* aqua, et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem. *Eccli.* 29. 28.

Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. *Ib.* 39. 31.

Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in eâ invenies thesaurum. *Ib.* 40. 18.

Discipuli autem, pro ut quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæâ fratribus, etc. *Actor.* 11. 29.

Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium, quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. 1. *Tim.* 6. 7. *Vide Job* 1. 21. *Prov.* 27. 27. *Eccles.* 5. 14.

*A bonis sustentatur.*

Et omninò indigens, et mendicus non erit inter vos. *Deut.* 15. 4. Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ : idcircò ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terrâ. *v.* 11.

Et adjuvit (*Deus*) pauperem de inopiâ. *Psal.* 106. 41. *Vide et v.* 9.

Novit justus causam pauperum. *Prov.* 29. 7.

Congregationi pauperum affabilem te facito. *Eccli.* 4. 7.

De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ità et vos facite. 1. *Cor.* 16. 1.

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: quòd in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit: et altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum. 2. *Cor.* 8. 1. 2. Si enim voluntas prompta est: secundùm id, quod habet, accepta est; non secundùm id, quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. *v.* 12. *et seq.*

Tantùm ut pauperum memores essemus. *Galat.* 2. 10.

*A Deo remuneratur.*

Exultate in conspectu ejus (*Dei*) — patris orphanorum, et judicis viduarum. *Psal.* 67. 5. 6. Parasti in dulcedine tuâ pauperi, Deus. *v.* 11.

Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate: et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. *Eccli.* 11. 12. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem. *v.* 22. 23. *Vide Job* 42. 10.

Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiduciali ter requiescent, etc. *Isa.* 14. 30. Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. *v.* 32.

Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israël exultabunt. *Ib.* 29. 19.

Beati pauperes spiritu: quoniàm ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5. 3. *Item Luc.* 6. 20.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me. *Ibid.* 19. 21. *Item Marc.* 10. 21. *Luc.* 18. 22.

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Ibid. v.* 29.

Amen dico vobis: nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter

Evangelium, qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc, domos etc. et in sæculo futuro vitam æternam. *Marc.* 10. 29. 30.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc* 16. 22.

Amen dico vobis: nemo est, qui reliquit domum, aut parentes etc. propter regnum Dei, et non recipiat multò plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam. *Ibid.* 18. 29. 30.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? *Jacob.* 2. 5.

*De malis illatis vindicantur.*

Advenam non contristabis, etc. Viduæ et pupillo non nocebitis, etc. *Exod.* 22. 21. 22. *Vide et versus sequentes.*

Et populum pauperem salvum facies. 2. *Reg.* 22. 28. *Item Psal.* 17. 28.

Porrò salvum faciet egenum à gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. *Job* 5. 15.

Eripiet de angustiâ suâ pauperem, etc. *Ibid.* 36. 15.

Quoniàm non in finem oblivio erit pauperis, etc. *Psal.* 9. 19. Tibi derelictus est pauper. H. 10. 14. *Vide et v.* 41.

Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. *Psal.* 11. 6.

Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego. *Psal.* 24. 16.

Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum. *Psal.* 139. 13.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus, etc. *Prov.* 14. 31.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus, etc. *Ib.* 17. 5.

Dives et pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. *Ibid.* 22. 2. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in portâ: quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. *v.* 22. 23. *Vide et versus* 16. *Item caput* 23. 10. *et* 11.

Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. *Ib.* 28. 27.

Deprecatio pauperis ex ore usquè ad aures ejus (*Dei*) perveniet, et judicium festinatò adveniet illi. *Eccli.* 21. 6.

Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. *Ibid.* 34. 25. 26. *Vide et v.* 24.

Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam

gemitûs. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxillâ enim ascendunt usquè ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. *Ibid.* 35. 16. *et seq.*

Quia factus est (*Deus*) fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione suâ. *Isa.* 25. 4.

Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos; Deus Israël non derelinquam eos. *Ibid.* 41. 17.

Super tribus sceleribus Israël, et super quatuor non convertam eum: pro eo quòd vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis. *Amos* 2. 6.

Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris: Afferte, et bibemus. Juravit Dominus Deus in sancto suo: quia eccè dies venient super vos, etc. *Ibid.* 4. 1. *per tot. Vide caput* 5. 11. *et c.* 8. 4.

*A malis hominibus abominantur.*

Etiam proximo suo pauper odiosus erit. *Prov.* 14. 20.

Cum obsecrationibus loquetur pauper: et dives effabitur rigidè. *Ibid.* 18. 23.

Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procùl recesserunt ab eo. *Ib.* 19. 7.

Sapiens sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum. *Ibid.* 28. 11.

Sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita. *Eccles.* 9. 16.

Dives injustè egit, et fremet: pauper autem læsus tacebit. *Eccli.* 13. 4.

Si introierit in conventum vestrum vir, aureum annulum habens in veste candidâ; introierit autem et pauper in sordido habitu; et intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ, et dixeritis ei: Tu sede hîc benè: pauperi autem dicatis: Tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum, etc. *Jacob.* 2. 2. *et seq.*

*A Deo commendantur.*

Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: idcircò ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terrâ. *Deut.* 15. 11.

Quandò messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non revertèris ut tollas illum: sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, etc. *Ibid.* 24. 19. *et seq. Item Levit.* 19. 9. 10. *et c.* 23. 22.

Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo. *Prov.* 21. 10. Qui obturat aurem suam ad clamorem pau-

peris : et ipse clamabit, et non exaudietur. *v.* 13.

Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem. *Ibid.* 31. 9.

Discite benefacere : quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. *Isa.* 1. 17. *Vide Zach.* 7. 10.

*Respondebit Jesus in judicio extremo de pauperibus :* Amen dico vobis, quandiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 40. *Vide et v.* 45.

Sed cùm facis convivium (*inquit Christus*), voca pauperes, debiles, claudos et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14. 13. 14.

Neque enim quisquam egens erat inter illos (*in Ecclesiâ primitivâ Christianâ*). *Sed omnes ab Apostolis sublevabantur. Actor.* 4. 34.

Necessitatibus Sanctorum communicantes. *Rom.* 12. 13.

De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ità et vos facite. 1. *Cor.* 16. 1. *Vide* 2. *Cor.* 8. 4.

Tantùm ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. *Gal.* 2. 10.

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem (*cælestem*), hæc est ; Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum. *Jacob.* 1. 27.

*Pauperes mali, impatientiâ agitantur.*

Omnes dies pauperis, mali. *Prov.* 15. 15.

Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. *Ib.* 28. 3.

Nequissima paupertas in ore impii. *Eccli.* 13. 30.

Tres species odivit anima mea, etc. Pauperem superbum : divitem mendacem ; senem fatuum et insensatum. *Ib.* 25. 3. 4.

PAX.

*Pax quædam æterna, quædam temporalis.*

Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul (*Lot et Abraham*) : erat quippè substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter. *Gen.* 13. 6. Dixit ergò Abraham ad Lot : Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. *v.* 8. *Vide c.* 26. 22. *et c.* 45. 24.

Dabo pacem in finibus vestris : dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias : et gladius non transibit terminos vestros, etc. *Lev.* 26. 6. *Vide et versus sequentes.*

Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.

Invocabuntque nomen meum super Israël, et ego benedicam eis. *Num.* 6. 26. 27.

Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier benè sibi consentientes (*placent Deo et hominibus*). *Eccli.* 25. 2.

Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes. *Ib.* 28. 15.

Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci. et orate pro eâ ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis. *Jerem.* 29. 7.

Beati pacifici : quoniàm filii Dei vocabuntur. *Matth.* 5. 9.

Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. *Marc.* 9. 49. *Vide Luc.* 14. 32.

*Pacem annuntiaverunt Angeli in nativitate Domini. Luc.* 2. 14.

*Christus pacem discipulis suis antè passionem reliquit. Joan.* 14. 27. *Et post resurrectionem eis pacem obtulit. Luc.* 24. 36. *Item Joan.* 20. 19. 21. *et* 26.

Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritûs replebatur. *Act.* 9. 31.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.* 12. 18.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut et in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. 1. *Cor.* 14. 33.

Pacem habete : et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum. 2. *Cor.* 13. 11.

Supportantes invicem in caritate; solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. *Ephes.* 4. 2. 3.

Juvenilia autem desideria fuge; sectare verò justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. 2. *Tim.* 2. 22.

Pacem sequimini cum omnibus. *Hebr.* 12. 14.

Declinet à malo, et faciat bonum : inquirat pacem, et sequatur eam. 1. *Petr.* 3. 11. *Item Psal.* 33. 15.

Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem. *Jacob.* 3. 18. *Vide Apoc.* 6. 4.

*Pax interna, qualis est inter Deum et amicos ejus.*

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Isa.* 9. 6.

Quia hæc dicit Dominus : Eccè ego declinabo super eam (*Jerusalem*) quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam

sugetis : ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. *Ib.* 66. 12.

Dicit Dominus : Propter hoc, eccè ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus, etc. *Oseæ* 2. 14. Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitiâ, et judicio, et in misericordiâ, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide : et scies, quia ego Dominus. *v.* 19. *et* 20. *Vide Michæ* 4. 3.

Eccè Rex tuus veniet tibi justus, etc. *Zach.* 9. 9. Et dispèrgam quadrigam ex Ephraïm, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli : et loquetur (*Rex tuus*) pacem Gentibus, et potestas ejus à mari usquè ad mare, et à fluminibus usquè ad fines terræ. *v.* 10.

Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc.* 2. 14.

Dùm autem hæc loquuntur (*scilicet quòd surrexit Dominus verè, et apparuit Simoni*), stetit Jesus in medio eorum (*discipulorum*), et dicit eis : Pax vobis : Ego sum, nolite timere. *Ib.* 24. 36. *Vide Joan.* 20. 19. 21. *et* 26.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Joan.* 14. 26. 27.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Ib.* 16. 33.

Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum: (hic est omnium Dominus). *Actor.* 10. 36.

Justificati ergò ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Rom.* 5. 1.

Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ : legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. *Eph.* 2. 14. 15. *Vide et v.* 17.

Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. *Philipp.* 4. 7. *Vide Coloss.* 3. 15.

*Pax sumitur pro incolumitate, felicitate, omnique prosperitatis genere, et felici rerum successu.*

Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat, etc. *Lev.* 26. 6. *usquè ad v.* 13. *Vide* 1 *Paral.* 12. 18.

Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, etc. *Psal.* 72. 3.

Fiat pax in virtute tuâ, et

abundantia in turribus tuis. *Ps.* 121. 7.

Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usquè in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulentâ. *Isa.* 32. 17. 18.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes : Pax, pax, et non erat pax. *Jerem.* 6. 14.

Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: et orate pro eâ ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis. *Ib.* 29. 7. Ego cogito — cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. *v.* 11.

Cùm enim dixerint (*falsi prophetæ*) pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. 1. *Thess.* 5. 3.

*Pax spiritualis, seu effectus illius pacis, quam habemus reconciliati Deo per Christum.*

Benefac, Domine, bonis et rectis corde—pax super Israël. *Psal.* 124. 4. 5.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël. *Ps.* 127. 5. 6.

Multiplicabitur ejus (*Messiæ*) imperium, et pacis non erit finis. *Isa.* 9. 7.

Utinam attendisses mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua, etc. *Ib.* 48. 18.

*Ecclesiæ Christianorum promittitur, quòd perpetuâ Dei protectione sit in securitate victura, veteris oblita calamitatis; omnesque in eâ docti erunt à Deo, et multitudine pacis fruituri. Ib.* 54. 10. 13.

*Messias* stabit, et pascet in fortitudine Domini—et erit iste pax, etc. *Mich.* 5. 4. 5. *Vide et c.* 4. 3. *Item Isa.* 2. 4. *et c.* 26. 12. *et c.* 66. 12. *et Zach.* 9. 10.

Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc.* 2. 14.

*Dicit Jesus* : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodò mundus dat, ego do vobis. *Joan.* 14. 27.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Ib.* 16. 33. *Vide et c.* 20. 19. 21. *et* 26.

Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum ; (hic est omnium Dominus.) *Actor.* 10. 36.

Gratia vobis, et pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. *Rom.* 1. 7. *Item* 1. *Cor.* 1. 3. 2. *Cor.* 1. 2. *Gal.* 1. 3. *Ephes.* 1. 2. *et c.* 6. 23. *Philipp.* 1. 2. *Coloss* 1. 3. 1 *Thess.* 1. 2. 2. *Thess.* 1. 2. 1. *Tim.* 1. 2. 2. *Tim.* 1. 2. *Tit.*

1. 4. *Philem.* 1. 3. 1. *Petr.* 1. 2. 2. *Petr.* 1. 2. 2. *Joan.* 2. *Judæ* 2. *Apoc.* 1. 4.

Justificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid.* 5. 1. *Vide.* 14. 19.

Ipse enim (*Christus*) est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ — faciens pacem, etc. *Ephes.* 2. 14. 15. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, et pacem iis, qui propè. *v.* 17.

Solliciti (*estote*) servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. *Ib.* 4. 3.

Induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. *Ib.* 6. 14. 15.

Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. *Philipp.* 4. 7.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in quâ et vocati estis in uno corpore; et grati estote. *Coloss* 3. 15.

Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco, etc. 2. *Thess.* 3. 16.

*Pacem dat Deus.*

Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. *Num.* 6. 26.

Ædificavit quoque (*Asa*) urbes munitas in Judâ, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. 2. *Paral.* 14. 6. *Vide* 3. *Reg.* 5. 4. *etc.* 8. 56. *Item.* 1. *Paral.* 12. 18. *et* 22. 18.

Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis. *Isa.* 26. 12.

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. *Ibid.* 45. 6. 7.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. *Rom.* 15. 33.

Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. *Ibid.* 16. 20.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, etc. 1. *Thess.* 5. 23.

*Pax amanda et quærenda.*

Diverte à malo et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam. *Psal.* 33. 15.

Veritatem tantùm et pacem diligite. *Zach.* 8. 19.

In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui. *Luc.* 10. 5. *Item. Matth.* 10. 12.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes (*stitis*). *Rom.* 12. 18.

Itaque quæ pacis sunt, sectemur. *Ibid.* 14. 19.

In pace autem vocavit nos Deus. 1. *Cor.* 7. 15.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut et in om-

nibus Ecclesiis sanctorum doceo, *inquit Paulus. Ib.* 14. 33.

Fructus autem Spiritûs est : caritas, gaudium, pax, patientia, etc. *Gal.* 5. 22.

Solliciti (*estote*) servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. *Ephes.* 4. 3.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris. *Coloss.* 3. 15. *Vide Philipp.* 4. 7.

Pacem habete cum eis, *qui præsunt vobis in Domino.* 1. *Thess.* 5. 13.

Sectare verò justitiam — et pacem cum iis, qui invocant Dominum. 2. *Tim.* 2. 22.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum. *Hebr.* 12. 14.

Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos — inquirat pacem, et sequatur eam. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

*Pax piis promissa.*

Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël, juxta omnia quæ locutus est — per Moysen servum suum. 3. *Reg.* 8. 56.

Pax multa diligentibus legem tuam (*Domine*). *Psal.* 118. 165.

*Multitudinem pacis dabit filiis tuis, doctis à Domino. Isa.* 54. 13.

*Pax sceleratis et impiis nulla.*

Non est pax impiis, dicit Dominus. *Isa.* 48. 22. *Idem verbatim habetur c.* 57. 21. *Vide et c.* 59. 8.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes : Pax ; pax, et non erat pax, etc. *Jerem.* 6. 14. *Item. repetitur verbatim c.* 8. 11.

Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, etc. *Ibid.* 8. 12. *Vide et v.* 15.

*Pacem et misericordiam promittunt mendaces Prophetæ.*

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes : Pax; pax: et non erat pax. *Jerem.* 6. 14.

Quomodò dicitis : Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes — quia abominationem fecerunt : quinimò confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt : idcircò cadent inter corruentes : in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. *Ibid.* 8. 8. *et seq.*

Et dixi: A, a, a, Domine Deus, Prophetæ dicunt eis : Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. *Ibid.* 14. 13. *Vide et v.* 19.

Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. *Ibid.* 23. 16. *Vide et versum.* 17.

Eò quòd deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax: et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant cum luto absque paleis. *Ezech.* 13. 10. *Vide et v.* 26.

Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. *Michæ.* 3. 5.

Cùm enim dixerint, pax et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. 1. *Thess.* 5. 3.

PECCATOR ET PECCATUM.

*Peccatorum misera conditio.*

Non sic impii, non sic; sed tanquàm pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Ideò non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum. Quoniàm novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit. *Psal.* 1. 4. *et seq.*

Quoniàm tu (*Deus*) percussisti omnes adversantes — dentes peccatorum contrivisti. *Psal.* 3. 8.

Consumetur nequitia peccatorum. *Psal.* 7. 10.

In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum. *Psal.* 9. 17. 18.

Quia peccatores peribunt. *Psal.* 36. 19. Cùm perierint peccatores, videbis. *v.* 34.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit. *Joan.* 9. 31. *Vide Isa.* 59. 2.

*Peccatores quomodò tractandi.*

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 1. *Thess.* 5. 14.

Quòd si quis non obedit verbo nostro — hunc notate; et ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2. *Thess.* 3. 14. 15.

Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5. 20. *Vide et Tit.* 1. 13.

Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita; sciens, etc. *Tit.* 3. 10. 11.

Et hos quidem arguite judicatos, illos verò salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore. *Judæ v.* 22. 23.

*Peccati origo.*

De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Gen.* 2. 17.

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, as-

pectuque delectabile : tulit de fructu illius, et comedit. *Ibid.* 3. 6.

A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. *Eccli.* 25. 33. *Vide* 1. *Tim.* 2. 14.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12. *Vide reliquum capitis. Item.* 1. *Cor.* 15. 21.

*Peccatum originale omnibus hominibus ingenitum.*

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? *Job* 14. 4.

Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere? *Ibid.* 15. 14.

Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. *Psal.* 50. 7.

Quid ergò? præcellimus eos? Nequaquàm. Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, etc. *Rom.* 3. 9. Omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei. *v.* 23.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Ibid.* 5. 12. *Vide reliq. cap.*

Eramus naturâ filii iræ, sicut et cæteri. *Ephes.* 2. 3. *Vide v.* 5.

*Effectus peccati originalis.*

Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ : non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem, sicut feci. *Gen.* 8. 21. *Vide c.* 6. 5.

Post concupiscentias tuas non eas, et à voluntate tuâ avertere. *Eccli.* 18. 30. *Vide Rom.* 6. 12.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ità et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12. Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multò magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. *v.* 17.

Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 6. 23.

Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. *Rom.* 7. 8. Nam peccatum, occasione acceptâ per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. *v.* 11. Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans pec-

catum per mandatum. *v.* 13. Nunc autem jàm non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. *v.* 17.

Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. *Ibid.* 8. 13.

Stimulus autem mortis peccatum est. 1. *Cor.* 15. 56.

Caro enim concupiscit adversùs spiritum. *Galat.* 5. 17.

Nos omnes aliquandò conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et æteri. *Ephes.* 2. 3.

*Peccatum originale tollitur per Baptismum omninò quoàd reatum et culpam.*

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, etc. *Isa.* 43. 25.

Eccè Agnus Dei — qui tollit peccatum mundi. *Joan.* 1, 29.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ità et per unius obeditionem, justi constituentur multi. *Rom.* 5. 19.

Nihil ergò nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu. *Ibid.* 8. 1.

Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11.

Deus autem, qui dives est in misericordiâ, propter nimiam caritatem suam, quâ dilexit nos, et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratiâ estis salvati), et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. *Ephes.* 2. 4. *et seq.*

*Deus* secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 5. *et seq.*

*Peccatum actuale multipliciter committitur. Infirmitate.*

Quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tineâ? *Job* 4. 19.

Ipse autem (*Deus*) est misericors, et propitius fiet peccatis eorum — Et recordatus est, quia caro sunt. *Psal.* 77. 38. 39.

Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniàm ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniàm pulvis sumus, etc. *Psal.* 102. 13. 14.

Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum. *Sap.* 9. 15.

*Ignorantiâ.*

Anima, si peccaverit per ignorantiam, etc. offeret arietem, etc. *Lev.* 5. 17. *et seq.*

Quòd si per ignorantiam præ-

terieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus, etc. *offeretis* vitulum de armento, etc. *Num.* 15. 22. 24. Quòd si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam, etc. *v.* 27.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13. 14.

Pater, dimitte illis (*dicebat Jesus in cruce*): non enim sciunt quid faciunt. *Luc.* 23. 34.

Qui priùs blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 1. *Tim.* 1. 13.

*Malitiâ.*

Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniàm adversùs Dominum rebellis fuit), peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum, etc. *Num.* 15. 30. 31.

Concepit dolorem, et peperit iniquitatem. *Job* 15. 35.

Eccè parturiit injustitiam: concepit dolorem, et peperit iniquitatem. *Psal.* 7. 15.

Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cùm malefecerint, et exultant in rebus pessimis: quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum. *Prov.* 2. 13. *et seq.*

Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. *Eccli.* 11. 16.

Est qui vetatur peccare præ inopiâ. *Ib.* 20. 23.

Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniàm reddita sunt eis mala. *Isa.* 3. 9.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri, peccatum. *Ib.* 5. 18. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum. *v.* 20.

Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur. *Ib.* 59, 4. 5.

Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut iniquè agerent, laboraverunt. *Jer.* 9. 5. *Vide v.* 3.

*Peccatum malum operatur, affectum deflectendo.*

Non est sanitas (*Domine*) in carne meâ, à facie iræ tuæ, etc. *Psal.* 37. 4. Quoniàm iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, etc. *v.* 5. *Vide et Ps.* 39. 13.

*Vir* peccator adjiciet ad peccandum. *Eccli.* 3. 29.

Non est enim ei benè, qui assiduus est in malis, etc. *Ib.* 12. 3.

Duo genera abundant in peccatis, etc. Anima calida, quasi ignis ardens, non extinguetur,

donec aliquid glutiat : et homo *scortator, qui in corpore carnis suæ non conquiescit*, donec incendat ignem. *Ib.* 23. 21. *et seq.*

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, etc. *Rom.* 1. 24.

*Meritum impediendo.*

Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. *Eccles.* 9. 18.

Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit : sic quis effugatur à Domino, portans mercedes iniquitatis : videns oculis, et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans. *Eccli.* 30. 19. *et seq.*

Eccè non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat — Sed iniquitates — et peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. *Isa.* 59. 1. 2.

Si autem averterit se justus à justitiâ suâ — omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, etc. *Ezech.* 18. 24.

Justitia justi non liberabit eum in quâcunque die peccaverit — et justus non poterit vivere in justitiâ suâ, in quâcunque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vitâ vivat, et confisus in justitiâ suâ, fecerit iniquitatem : omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate suâ, quam operatus est, in ipsâ morietur. *Ib.* 33. 12. 13. Cùm enim recesserit justus à justitiâ suâ, feceritque iniquitates, morietur in eis. *v.* 18.

Et omnis, qui peccat, non vidit eum (*Deum*), nec cognovit eum. 1. *Joan.* 3. 6.

*Salubriter, etsi difficulter, plenè vitatur.*

Nonne si benè egeris, recipies : sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? *Gen.* 4. 7.

Non est enim homo, qui non peccet. 3. *Reg.* 8. 46. *Item* 2. *Paral.* 6. 36.

Qui fodit foveam, incidet in eam. *Prov.* 26. 27.

Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet. *Eccles.* 7. 21. *Vide et Prov.* 20. 9.

Qui amat periculum, in illo peribit. *Eccli.* 3. 27.

Quis miserebitur incantatori à serpente percusso? *Ibid.* 12. 13.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ. *Ib.* 13. 1.

Fili, peccasti? non adjicias iterùm : sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas; plagæ illius non est sanitas. *Ib.* 21. 1. *et seq.*

In vanitate suâ apprehenditur peccator. *Ib.* 23. 8.

Spiritus quidem promptus

est, caro autem infirma. *Matth.* 26. 41. *Item Marc.* 14. 38.

Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6. 12. Peccatum enim vobis non dominabitur. *v.* 14.

Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem. *Ib.* 7. 22. *Vide totum Caput.*

Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. *Ib.* 8. 1.

Nondùm enim usquè ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes. *Hebr.* 12. 4.

Si dixerimus, quoniàm peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. *Vide v.* 10.

Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, etc. *Ib.* 3. 9. *Vide v.* 6.

*Graviter punitur.*

Dominus patiens, et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. *Num.* 14. 18. *Vide Exod.* 20. 5. *c.* 34. 7. *Deut.* 5. 9. *Jerem.* 32. 18.

Vultus autem Domini super facientes mala : ut perdat de terrâ memoriam eorum. *Psal.* 33. 17.

Et adhuc pusillum, et non erit peccator, etc. *Psal.* 36. 10. Peccatores peribunt. Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati : deficientes quemadmodùm fumus deficient. *v.* 20.

Justitia elevat gentem : miseros autem facit populos peccatum. *Prov.* 14. 34.

Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. *Sap.* 11. 17.

Bona nobis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona et mala. *Eccli.* 39. 30. *Vide versus* 33.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis ; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsùm. Super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem ? omne caput languidum, et omne cor mœrens. *Isa.* 1. 4. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni : regionem vestram coram vobis alieni devorant, etc. *v.* 7. *Vide c.* 5. 5.

Secundùm magnitudinem operis, et visitatio eorum. *Ib.* 15. 7.

Quis dedit in direptionem Jacob, et Israël vastantibus ? nonne Dominus ipse, cui peccavimus ? Et noluerunt in viis ejus ambulare — Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, etc. *Ib.* 42. 24. 25. *Vide v.* 13. *et seq.*

Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum : et peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudi-

ret, etc. *Ib.* 59. 2. *Vide et versus sequentes.*

Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit : frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. *Jerem.* 3. 3.

Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans : recesserunt, et abierunt. Et non dixerunt in corde suo : Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc : et peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis. *Ib.* 5. 23. *et seq.*

Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulneâ, folium defluxit : et dedi eis, quæ prætergressa sunt — Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi : quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis : peccavimus enim Domino. Expectavimus pacem, et non erat bonum : tempus medelæ, et eccè formido. *Ib.* 8. 13. *et seq. Vide c.* 9. 15. *c.* 14. 19. *c.* 23. 15, 19.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. *Ib.* 13. 22.

Quem ergò fructum habuistis tunc in illis (*peccatis vestris*), in quibus nunc erubescitis ? Nam finis illorum mors est — Stipendia enim peccati, mors. *Rom.* 6. 21. 23.

*Æternaliter.*

Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Psal.* 10. 7.

Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. *Pr.* 5. 22.

Clementia præparat vitam : et sectatio malorum, mortem. *Ib.* 11. 19. Si justus in terrâ recipit, quantò magis impius et peccator ? *v.* 31. *Vide* 1. *Petr.* 4. 18.

Peccantem virum iniquum involvet laqueus. *Ib.* 29. 6. *Vide v.* 16. *et c.* 1. 24. *et seq.*

Malorum amatores, digni sunt *morte. Sap.* 15. 6.

Leo venationi insidiatur semper : sic peccata operantibus iniquitates. *Eccli.* 27. 11.

Væ impio in malum ; retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11.

Et vos, qui dereliquistis Dominum, etc. *Ib.* 65. 11. *et seq.*

Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. *Ib.* 66. 24. *Vide Marc.* 9. 45.

Dormiemus in confusione nostrâ, etc. *Jerem.* 3. 25.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, etc. *Matth.* 25. 41.

*Peccati gravitas et pœna, in dictis et exemplis.*

*Quod peccatum causet in ho-*

*mine erubescentiam, patet ex hoc, quòd in statu innocentiæ erant primi parentes nudi*, et non erubescebant; *post peccatum verò sibi statim operimenta fecerunt. Gen.* 2. 25. *et c.* 3. 7.

*Peccatum peccatorem terret; undè Adam postquàm peccavit, volebat se abscondere à facie Domini. Ibid.* 3. 8.

*Peccatum etiam facit hominem timidum: undè Adam post peccatum dixit :* Timui, eò quòd nudus essem, et abscondi me. *Ibid. v.* 10.

*Enormitas sceleris clamat pro vindictâ ad aures Dei :* Vox sanguinis fratris tui (*inquit Deus ad Caïn*) clamat ad me de terrâ. *Ibid.* 4. 10.

Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint : an non est ità, ut sciam. *Ibid.* 18. 20. 21.

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo : et subvertit civitates has, et omnem circà regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. *Ibid.* 19. 24. 25. *Sic pœnâ temporali graviter punit Deus peccatum quandoquè, ut etiam patet in Adam et Hevâ, Gen.* 3. *In Caïn, Gen.* 4. *In diluvio, Gen.* 7. *In filiis Israël multoties, et alibi passim.*

*Pharao propter peccatum recognoscebat se à Domino flagellatum, dicens :* Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. *Exod.* 10. 16. *Item c.* 9. 27.

Feceruntque filii Israël malum in conspectu Domini — iratusque Dominus contra Israël tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, etc. *Judic.* 2. 11. 14.

*Peccatum, ipsum peccantem quiescere non permittit; undè* percussit — cor David eum postquàm numeratus est populus : et dixit David ad Dominum : Peccavi valdè in hoc facto, etc. 2. *Reg.* 24. 10. *Nihilominùs iratus Deus, immisit* pestilentiam in Israël — et mortui sunt ex populo — septuaginta millia virorum. *v.* 15.

*Salomonem sapientissimum, peccatum infatuavit.* 3. *Reg.* 11. 1. *Ipsius etiam famam maculavit; undè Eccli.* 47. 22. *extat de Salomone :* Dedisti maculam in glorià tuâ, etc.

*Postquàm Joram rex Juda cœpit ambulare per vias regum Israël pessimas, recessit Edom ab eo, et noluit ei tributum solvere consuetum.* 4. *Reg.* 8. 18. 20.

*Post multa filiorum Israël, quæ commemorantur, facinora, sequitur :* Translatusque est Israël de terrâ suâ, etc. *Ibid.* 17. 23.

Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit, et propter sanguinem innoxium, quem effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium : et ob hanc rem noluit Dominus propitiari. *Ib.* 24. 3. 4.

*Deus castigat* nos, propter iniquitates nostras. *Tob.* 13. 5.

Peccavimus in conspectu tuo, et idcircò tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. *Esther* 14. 6. *Vide Judith.* 7. 17. *et c.* 8. 26. 27. *Baruch* 1. 17. *et seq. Dan.* 9. 5. *et seq.*

Audite, cœli, et auribus percipe terra, quoniàm Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israël autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, etc. *Is.* 1. 2. *et seq.*

Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Jerem.* 2. 12. 13. Scito, et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem meî apud te, dicit Dominus Deus exercituum, etc. *v.* 19.

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem, et super omnes urbes Juda : et eccè desertæ sunt hodiè : et non est in eis habitator : propter malitiam, quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent, etc. *Ib.* 44. 2. 3. Et non poterat Dominus ultrà portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis : et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, etc. *v.* 22. *Vide Isa.* 3. 8. *et c.* 5. 24.

Propter multitudinem iniquitatum *Jerusalem, deplorat Jeremias miserrimum ipsius statum. Thren.* 1. 5. *Vide totum caput.*

Profundè peccaverunt — recordabitur iniquitatis eorum (*Deus*), et visitabit peccata eorum. — Abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles. *Oseæ* 9. 9. 10. *Vide totum caput ; imò omnia capita et versus hujus Prophetiæ.*

Si nolueritis (*me*) audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, etc. *Malach.* 2. 2. *Vide Levit.* 26. 14. *et seq. Deut.* 28. 15. *et seq. per totum Caput.*

*Cùm sanasset Dominus Jesus hominem languidum, in grabato jacentem, invenit eum*

*postcà in templo*, et dixit illi : Eccè sanus factus es : jàm noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 14.

*Mulieri in adulterio deprehensæ, et à Judæis coram Domino accusatæ, dixit Christus:* Vade, et jàm ampliùs noli peccare. *Ibid.* 8. 11.

Quem ergò fructum habuistis tunc in illis (*peccatis vestris*), in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. *Rom.* 6. 21. Stipendia enim peccati, mors. *v.* 23.

Et prolapsi sunt — rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 6.

*Peccata castigat Deus etiam in Sanctis.*

Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. *Num.* 20. 12. *Vide et c.* 27. 12. *Item Deut.* 32. 49.

*Dixit Moyses* : Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos, dixerit : Nec tu ingredieris illùc, etc. *Deut.* 1. 37.

Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ usquè in sempiternum, eò quòd despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua, etc. 2. *Reg.* 12. 10. *Vide* 3. *Reg.* 11. 11.

Cùmque vidisset Dominus, quòd humiliati essent (*principes et rex Israël*), factus est sermo Domini ad Semeiam dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. 2. *Par.* 12. 7. 8.

Ipse (*Deus*) castigavit nos propter iniquitates nostras : et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. *Tob.* 13. 5.

Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini, et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis : et dedit naulum ejus, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri, etc. *Jonæ* 1. 3. *per totum Caput.*

*Peccata non sunt æqualia nec paria.*

Hæc dicit Dominus Deus : Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quàm Gentes : et præcepta mea ultrà quàm terræ, quæ in circuitu ejus sunt, etc. *Ezech.* 5. 5. *per totum Caput.*

Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundùm scelera

earum fecisti pauxillùm minùs : penè sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis. *Ib.* 16. 47. *Vide v.* 51. 52.

Quod cùm vidisset soror ejus Ooliba, plus quàm illa insanivit libidine : et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ (*fecit*), etc. *Ib.* 23. 11.

Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati. *Matth.* 10. 15. *Vide Similia verba c.* 11. *v.* 22. *et* 24. *Luc.* 10. *v.* 12. *et* 14.

Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui— et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luc.* 12. 47. 48.

Respondit Jesus (*Pilato*) : Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccâtum habet. *Joan.* 19. 11.

*Nec pares peccatorum pœnæ.*

Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit — gehennæ ignis. *Matth.* 5. 22.

Dico vobis, quia Sodomis in die illâ remissiùs erit, quàm illi civitati. *Luc.* 10. 12. *Vide et v.* 14. *Item Matth.* 10. 15. *et c.* 11. 22. 24.

*Peccati mortalis et venialis discrimen.*

Quoniàm si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiquè — Tu verò, homo unanimis, dux meus, et notus meus, etc. *Psal.* 54. 13. 14.

Septies enim (*in die*) cadet justus, et resurget. *Ergò dantur peccata, cum quibus stat justitia. Prov.* 24. 16.

*Affert Christus triplex peccatum iracundiæ, et tertium duntaxàt dignum gehennâ pronunciat. Matth.* 5. 22.

*Comparat Christus peccata trabi et festucæ. Ibid.* 7. 3.

*Comparatur peccatum camelo et culici. Ibid.* 23. 24.

*De Zachariâ et Elisabeth dicitur :* Erant autem justi ambo antè Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ. *Luc.* 1. 6. *Hos autem non caruisse peccatis venialibus, testis est Joannes, de se et similibus sibi, dicens :* Si dixerimus, quoniàm peccatum non habemus : ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. *Ergò peccata venialia non solvunt amicitiam cum Deo.*

In multis enim offendimus omnes. *Jac.* 3, 2. *Vide* 3. *Reg.* 8. 46. 2. *Par.* 6. 36. *Prov.* 20. 9. *Eccles.* 7. 21.

Quiscit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad

mortem : non pro illo dico, ut roget quis. 1. *Joan.* 5. 16.

*Peccatum in Spiritum Sanctum.*

Ideò dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur. *Matth.* 12. 31.

Amen dico vobis, quoniàm omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ, quibus blasphemaverint, qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habèbit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. *Marc.* 3. 28. 29.

Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. *Luc.* 12. 10.

Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritûs Sancti—et prolapsi sunt : rursùs renovari ad pœnitentiam. *Hebr.* 6. 4. 6.

Voluntariè enim peccántibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jàm non relinquitur pro peccatis hostia ; terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulátio, quæ consumptura est adversarios. *Ibid.* 10. 26. 27.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis. 1. *Joan.* 5. 16.

*Peccatum in cælum vindictam clamans.*

Dixitque (*Deus*) ad eum (*Caïn*) : Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. *Gen.* 4. 10.

Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint : an non est ità, ut sciam. *Ibid.* 18. 20. 21.

Si læseritis eos (*pupillos et viduas*), vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem illorum. *Exod.* 22. 23. *Vide et v.* 27.

Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducéntem eas? A maxillâ enim ascendunt usquè ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. *Eccli.* 35. 18. 19.

Eccè merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat : et clamor eórum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jac.* 5. 4.

*Peccatum contra naturam.*

*Lot, Angelis hospitio susceptis, à Sodomitis vim patitur ; cum uxore et utrâque filiâ à Sodomitico ereptus incen-*

*dio, uxorem in viâ amisit; tandemque inebriatus, cum utrâque filiâ incestum ignorans commisit; undè ortum habuerunt Moabitæ, et Ammonitæ. Gen. c.* 19.

Qui dormierit cum masculo coïtu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos, etc. *Lev.* 20. 13. *Vide versus sequentes.*

*Cùm Levita uxorem suam à parentum domo reduceret, ipsâ à Gabaonitis ( qui tribûs erant Benjamin ) prodigiosâ libidine extinctâ, maritus in duodecim partes corpore secto, ad singulas tribus singulas portiones misit. Judic. c.* 19.

Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. *Rom.* 1. 26. 27. *Vide* 1. *Tim.* 1. 10.

Neque fornicarii — neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, etc. regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10.

*Peccatum ex ignorantiâ.*

Loquere filiis Israël (*ait Dominus ad Moysen*) : anima, quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quippiam fecerit — offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. *Lev.* 4. 2. 3. *Vide v.* 13. *et* 14. *Item v.* 27. *et* 28.

Anima, si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii. *Ibid.* 5. 15. *Vide v.* 17. 18. *et* 19.

Quòd si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo : et deprecabitur pro eâ sacerdos, quòd inscia peccaverit coram Domino : impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi. *Num.* 15. 27. 28. *Vide v.* 22.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt, quid faciunt. *Luc.* 23. 34.

Dixit eis Jesus (*Pharisæis*) : Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet. *Joan.* 9. 41.

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. *Ibid.* 15. 24. *Vide v.* 22.

*Inquit Petrus :* Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. *Act.* 3. 17.

Qui priùs blasphemus fui (*ait*

*Paulus*), et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 1. *Tim.* 1. 13.

*Peccatum ex malitiâ, et datâ operâ.*

Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniàm adversùs Dominum rebellis fuit), peribit de populo suo, etc. *Num.* 15. 30.

Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo: quoniàm ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniàm initium omnis peccati est superbia. *Eccli.* 10. 14. 15.

*Seniores Judæorum dederunt militibus custodientibus sepulcrum Domini copiosam pecuniam, dicentes:* Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. *Matth.* 28. 13.

Unus autem ex ipsis Caïphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, etc. *Joan.* 11. 49.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi; et prolapsi sunt: rursùs renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 4. *et seq.*

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jàm non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *Ibid.* 10. 26. 27.

*Peccata aliena.*

*Pharao legem tulit, ut Hebræorum infantes, statim ac nati essent, occiderentur. Mors ergò omnium infantium illi imputatur, licèt eos propriis manibus non occiderit. Exod.* 1. 16.

*David dedit litteras Uriæ ferendas ad Joab militiæ supremum ducem, quibus imperabat ipsi: ut Uriam poneret ex adverso belli, ubi fortissimum esset prælium, et ibi percussus interiret, quod etiam factum est.* 2. *Reg.* 11. 15. 17. *Hinc*

*Reprehenditur David, quòd Uriam occiderit, licèt ipse manus ejus neci non admoverit. Ibid.* 12. 9.

*Herodes alienis manibus infantes à bimatu et infrà occidi præcepit, quod idem est, ac si eos propriis manibus interfecisset. Matth.* 2. 16.

*Herodias rea est necis Joannis Baptistæ; nam illius consilio saltatrix filia innocentissimi viri caput petiit, et nefariè impetravit. Marc.* 6. 24. 25. *Item Matth.* 14. 8.

*Caïphas consilio suo senatum Judaïcum permovit, ut necem Christi decerneret. Joan.* 11. 49. 50.

*Pilatus propriis manibus Christum non interfecit; reus tamen est ejus mortis, quia illam non impedivit, cùm ratione officii, et auctoritate suâ eam impedire potuisset, et debuisset. Ibid.* 19. 10. *et* 16.

*Judæi rei sunt mortis Christi, licèt propriis manibus eum non crucifixerint, quia ejus mortem postularunt, et consenserunt ejus neci. Ibid. v.* 15. *Hinc*

*Meritò sanctus Petrus Judæis exprobrat :* Auctorem verò vitæ interfecistis. *Actor.* 3. 15.

*Cùm lapidaretur Stephanus, Paulus* erat consentiens neci ejus; *et ideò reus hujus necis, licèt propriis manibus eum non lapidaverit. Ibid.* 7. 59.

*Peccatis alienis non communicandum.*

*Peccavit uxor Tobiæ, viro objiciens, quòd propter eleemosynas suas, et alia pia opera ad paupertatem et angustias magnas essent redacti. Tob.* 2. 22.

*Peccavit similiter uxor Job, patientissimo viro petulanter insultans ; nam quantùm in se erat, eum provocavit, ut in impatientiam erumperet, et Deo malediceret, quoniàm in miseriis suis ab eo derelictus esset. Job* 2. 9.

Qui cum fure participat, odit animam suam. *Prov.* 29. 24.

Nolite ergò effici participes eorum (*peccatorum*). *Ephes.* 5. 7.

Neque communicaveris peccatis alienis. 1. *Tim.* 5. 22.

*Propter peccatum unius aut paucorum, puniuntur multi.*

Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait : Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repentè disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissimè Deus spirituum universæ carnis, nùm uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? etc. *Num.* 16. 20.

*Exploratâ urbe Haï, percussus est populus Israël ab hostibus propter furtum Achan. Josue* 7. 5.

*Propter scelus horrendum Gabaonitarum contra uxorem Levitæ, pugnantes reliquæ tribus adversùs tribum Benjamin, istam, exceptis sexcentis, qui in solitudinem fugerant, penitùs deleverunt. Judic. c.* 19. *et* 20.

*Ob peccatum regis David, pestis septuaginta millia virorum ex populo interemit.* 2. *Reg.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

*Peccato renuntiandum est.*

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

*Invenit Jesus in templo languidum illum, quem sanaverat ad porticus Probaticæ piscinæ*, et dixit illi : Eccè sanus factus es : jàm noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 14.

*Dixit quoque Jesus ad adulteram :* Vade, et jam ampliùs noli peccare. *Ibid.* 8. 11.

Ut quomodò Christus surrexit à mortuis — ità et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6. 4. Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, etc. *v.* 12. *et sequentes, usquè ad finem.*

Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, et sanctitateveritatis. Propterquod deponentes mendacium, loquimini veritatem — irascimini, et nolite peccare — Nolite locum dare diabolo : qui furabatur, jàm non furetur, etc. *Ephes.* 4. 23. *et seq. Vide et v.* 22.

Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem — expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, et *Coloss.* 3. 8. 9.

Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, etc. *Hebr.* 12. 1.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, etc. 1. *Petr.* 2. 1.

Qui passus est in carne, desiit à peccatis, ut jàm non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis, etc. *Ibid.* 4. 1. 2.

### *Peccati deletio.*

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* 6. 7.

Delictum meum ( *Domine* ) cognitum tibi feci ; et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hàc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. *Psal.* 31. 5. 6.

Quarè tristis es, anima mea, et quarè conturbas me? Spera in Deo, quoniàm adhuc confitebor illi : salutare vultûs mei, et Deus meus. *Psal.* 41. 12.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. *Psal.* 50 19.

Confige timore tuo carnes meas : à judiciis enim tuis timui : *Psal.* 118. 120.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Pr.* 28. 13.

Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore

est, non poterit justificari. *Ecclesiastici.* 1. 27. 28.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Ib.* 7. 40.

Remittuntur ei (*Magdalenæ*) peccata multa, quoniam dilexit multùm. *Luc.* 7. 47.

*Peccatum tollitur per Christum.*

*Ait Joannes :* Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccatum mundi. *Joann.* 1. 29.

Omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, etc. *Rom.* 3. 23. *et seq.*

Multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius (*Christi*), salvi erimus ab irâ, per ipsum. *Ibid.* 5. 9. (*Vide et versus sequentes.*) Si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. *v.* 15. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ità et per unius obeditionem, justi constituentur multi. *v.* 17 *et seq.*

An ignoratis (*fratres*), quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? *Ibid.* 6. 3.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. *Ibid.* 7. 24. 25.

Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant. Lex enim spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati et mortis *Ib.* 8. 1. 2.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. *Galat.* 3. 22.

Deus autem, qui dives est in misericordiâ, propter nimiam caritatem suam, quâ dilexit nos, et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu: ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. *Eph.* 2. 4. *et seq.*

*Peccatum solus Deus propriâ auctoritate remittere potest.*

Qui custodis misericordiam

in millia : qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. *Exod.* 34. 7. *Vide Deut.* 5. 10. *Jerem.* 32. 18.

Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13. 14.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal* 31. 5.

Quantùm distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. *Psal.* 102. 12.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. *Isa.* 43. 25.

Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua : revertere ad me, quoniàm redemi te. *Ibid.* 44. 22.

Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usquè ad maximum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. *Jer.* 31. 34.

Et emundabo illos ab omni iniquitate suâ, in quâ peccaverunt mihi : et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me. *Ibid.* 33. 8.

Quis Deus similis tuî qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ ? non immittet ultrà furorem suum, quoniàm volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostrî : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Mich.* 7. 18. 19.

Dimitte ( *Domine* ) nobis debita nostra. *Matth.* 6. 12. *Item Luc.* 11. 4.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ibid.* 9. 2. *Item Marc.* 2. 5. *Luc.* 5. 20.

Dixit autem (*Jesus*) ad illam (*Magdalenam*) : Remittuntur tibi peccata. *Luc.* 7. 48.

*Peccatum Sacerdos dimittit divinâ auctoritate.*

Amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth.* 18. 18. *Vide et c.* 16. 19.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 23.

*Peccatum remittitur per Christum.*

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. *Isa.* 53. 5. *Vide tot. cap.*

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum

tuum — ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum, *Dan.* 9. 24.

Pariet autem (*Maria*) filium (*dixit Angelus ad Joseph*) : et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. *Matth.* 1. 21. *Item Luc.* 1. 31.

Et eccè offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ib.* 9. 2. *Item Marc.* 2. 5. *Luc.* 5. 20.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. *Ibid.* 11. 28.

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. *Ibid.* 20. 28.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. *Luc.* 1. 77.

Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. *Ibid.* 5. 24. *Item Matth.* 9. 6. *Luc.* 2. 10. 11.

Et dixit eis (*Jesus*) : Quoniàm sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die : et prædicari in nomine ejus pœnitentiam ? et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. *Ibid.* 24. 46. 47.

Alterâ die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccatum mundi. *Joan.* 1. 29.

Petrus verò ad illos (*Judæos*) : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritûs Sancti. *Actor.* 2. 38.

Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum, etc. *Ibid.* 4. 12.

Huic (*Jesu*) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. *Ibid.* 10. 43.

Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc (*Jesum*) vobis remissio peccatorum annuntiatur : et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, etc. *Ibid.* 13. 38.

Qui (*Christus*) traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. *Rom.* 4. 25.

Christus pro nobis mortuus est : multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, sed justificati estis. *Ib.* 5. 9. *Vid. tot. C.*

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri, Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11.

Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniàm Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas. *Ibid.* 15. 3.

Eum ( *Christum* ) , qui non noverat peccatum , ( *Deus* ) pro nobis peccatum fecit , ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2. *Cor* 5. 21.

Gratia vobis et pax à Deo Patre , et Domino nostro Jesu Christo , qui dedit semetipsum pro peccatis nostris , ut eriperet nos de præsenti seculo nequam , etc. *Galat.* 1. 3. 4.

In quo ( *Christo* ) habemus redemptionem per sanguinem ejus , remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus , quæ superabundavit in nobis in omni sapientiâ et prudentiâ. *Ephes.* 1. 7. 8.

*Deus ostendit* abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. *Ibid.* 2. 7. *Vide et v.* 5. *Item* 1. *Petr.* 3. 18.

In quo ( *Christo* ) habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. *Coloss.* 1. 14. 15.

Et vos , cùm mortui essetis in delictis , et præputio carnis vestræ , convivificavit ( *Deus* ) cum illo ( *Christo* ) , donans vobis omnia delicta, etc. *Ib.* 2. 13.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quòd Christus Jesus venit in hunc mundum , peccatores salvos facere , quorum primus ego sum. 1. *Tim.* 1. 15. *Vide Hebr.* 9. 28.

Qui dedit semetipsum pro nobis , ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem , sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

Scientes , quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis : sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi , et incontaminati, etc. 1. *Petr.* 1. 18. 19. *Vide Hebr.* 9. 14.

Qui ( *Christus* ) peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui , justitiæ vivamus : cujus livore sanati estis. *Ibid.* 2. 24. *Vide Hebr.* 1. 3.

Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est , justus pro injustis , ut nos offerret Deo , mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. *Ibid.* 3. 18. *Vide Rom.* 5. 6. *per totum.*

Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse ( *Deus* ) est in luce ; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.* 1. 7.

Scribo vobis , filioli , quoniàm remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. *Ibid.* 2. 12. *Vide c.* 3. 5.

Gratia vobis et pax — à Jesu Christo , qui est testis fidelis ,

primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ; qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, etc. *Apoc.* 1. 4. 5.

*Peccatum non solùm non imputatur, sed etiam verè remittitur, et anima abluitur et mundatur.*

Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psal.* 50. 12.

Petrus verò ad illos (*Judæos*): Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritûs Sancti. *Actor.* 2. 38.

Et hæc quidam fuistis : sed ablutiestis, sed sanctificatiestis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11. *Vide* 2. *Petr.* 1. 9.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus (*Deus*), ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1. *Joan.* 1. 9.

*Peccata an sint remissa, certò scire non possumus.*

Cùmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et totâ tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. *Job.* 9. 20. 21. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. *v.* 28.

Quid enim faciam, cùm surrexerit ad judicandum Deus? et cùm quæsierit, quid respondebo illi? *Ibid.* 31. 14.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13. 14.

Quis potest dicere : Mundum est cor meum? purus sum à peccato? *Prov.* 20. 9.

Qui abscondit scelera sua : non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Beatus homo, qui semper est pavidus. *Ibid.* 28. 13. 14.

Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta. *Eccles.* 9. 1. 2.

De propitiato peccato noli esse sine metu, etc. *Eccli.* 5. 5.

Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est. 1. *Cor.* 4. 3. 4.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

In timore incolatûs vestri

tempore conversamini. 1. *Petr.* 1. 17.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

*Relapsus in peccatum cavendus.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. *Prov.* 26. 11.

Neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius. *Eccli.* 5. 5. *et seq.*

Fili, peccasti? non adjicias iterùm : sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur, etc. *Ibid.* 21. 1.

Quàm vilis facta es nimis ( *anima* ), iterans vias tuas! *Jerem.* 2. 36.

Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine — dicit: Revertar in domum meam, undè exivi. — Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *Matth.* 12. 43. *et seq. Item Luc.* 11. 24. *et seq.*

*Dixit Jesus illi infirmo, quem ad Probaticam piscinam sanaverat :* Eccè sanus factus es : jàm noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 14. *Item dixit ad adulteram :* Vade, et jàm ampliùs noli peccare. *Ibid.* 8. 11.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, etc. et prolapsi sunt; rursùs renovari ad pœnitentiam, etc. *Hebr.* 6. 4.

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jàm non relinquitur pro peccatis hostia. *Ibid.* 10. 26.

Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursùs implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus : melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum; et Sus lota in volutabro luti. 2. *Petr.* 2. 20. *et seq.*

*Peccanti in nos fratri condonandum.* Vide *Remittendum proximo etc.*

*Peccatorum confessio.* Vide *Confessio, et Pœnitentia.*

PECULIUM.

*Peculium Dei vocatur ejus populus.*

Si ergò audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est

enim omnis terra, etc. *Exod.* 19. 5.

*Nulla sit tibi cum gentibus societas, sed simulacra earum dele, etc.* Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. *Deut.* 7. 6. *Item c.* 14. 2. *Item c.* 26. 18.

Erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quâ ego facio, in peculium : et parcam eis, sicut parcit vir filio suo, servienti sibi. *Malach.* 3. 17.

*Christus* in propria venit, et sui eum non receperunt. *Joan.* 1. 11.

Qui ( *Christus* ) est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1. 14.

*Christus* dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. *Petr.* 2. 9. *Vide Exod.* 19. 6.

*Pedum lotio.*
Vide *Lotio Pedum.*

PEREGRINUS ET PEREGRINATIO.

*Peregrinis benefaciendum est.*

Cùmque elevasset ( *Abraham* ) oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. Et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed afferam paùxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore, etc. *Gen.* 18. 2. *et seq.*

Advenam non contristabis, neque affliges eum : advenæ enim et ipsi fuistis in terrâ Ægypti. *Exod.* 22. 21.

Peregrino molestus non eris : scitis enim advenarum animas : quia et ipsi peregrini fuistis in terrâ Ægypti. *Ibid.* 23. 9.

Si habitaverit advena in terrâ vestrâ, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei : sed sit inter vos quasi indigena : et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terrâ Ægypti : ego Dominus Deus vester. *Lev.* 19. 33. 34.

Postquàm autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usquè ad solum : nec remanentes spicas colligetis; sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. *Ibid.* 23. 22. *Item c.* 19. 9. *et* 10. *Deut.* 24. 19. *et seq.*

(*Deus*) facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. Et vos ergò amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terrâ Ægypti. *Deut.* 10. 18. 19.

Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. *Ibid.* 14. 21. *Vide c.* 26. 11.

Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terrâ, et intra portas tuas est; sed eâdem die reddes ei pretium laboris sui antè solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, etc. *Ibid.* 24. 14. 15. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. *v.* 17. *Vide versus sequentes usq. ad fin.*

Populi terræ (*Judææ*) calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter : egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumniâ, absque judicio. *Ezech.* 22. 29. *Vide c.* 47. 22. *et* 23.

Hæc ait Dominus : Judicium verum judicate — Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari : et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* 7. 9. 10. *Vide Malach.* 3. 5.

*Peregrini sumus et advenæ in hoc sæculo.*

Dictumque est ad eum (*Abrahamum*) : Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. *Gen.* 15. 13. *Vide Actor.* 7. 6.

Advena sum et peregrinus apud vos (*ait Abraham ad filios Heth cùm planxisset Saram uxorem suam mortuam*) : date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. *Ibid.* 23. 4.

Quot sunt dies annorum vitæ tuæ (*ait Pharao ad Jacob*) ? Respondit (*Jacob*) : Dies peregrinationis meæ vitæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usquè ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt. *Ibid.* 47. 8. 9.

Peregrini enim sumus (*Domine*) coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Par.* 29. 15.

Incola ego sum in terrâ : non abscondas à me mandata tua. *Psal.* 118. 19.

Audentes igitur semper, scientes, quoniàm dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino. 2. *Cor.* 5. 6.

Nostra autem conversatio in cœlis est : undè etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. *Philipp.* 3. 20.

Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram, etc. *Hebr.* 11. 13.

Carissimi, obsecro vos, tanquàm advenas et peregrinos,

abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam. 1. *Petr.* 2. 11.

*Peregrinationes religionis gratiâ susceptæ, sunt utiles.*

*Jussit Deus, ut* tribus vicibus per annum *appareret* omne masculinum—in conspectu Domini Dei—in loco, quem elegerit. *Deut.* 16. 16. *Vide Exod.* 23. 17. *et* 34. 23. *Quod diligenter observavit Elcana et Anna uxor ejus.* 1. *Reg.* 1. 3. *Et ipse Christus cum Mariâ matre suâ et Joseph, venit adorare in Jerusalem. Luc.* 2. 42.

Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israël (*ait Salomon orans Dominum*), cùm venerit de terrâ longinquâ propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis et brachium tuum extentum, ubique); cùm venerit ergò et oraverit in hoc loco: tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israël, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 3. *Reg.* 8. 41. *et seq.*

Misitque ad eum (*Naaman*) Eliseus nuntium, dicens: Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. 4. *Reg.* 5. 10.



*Perfectio Caritatis.*

Qui autem servat verbum ejus (*Dei*), verè in hoc caritas Dei perfecta est. 1. *Joan.* 2. 5.

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. *Ibid.* 4. 12. In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. *v.* 17.

*Ut evadamus perfecti enitendum est.*

*Dixit Deus ad Abraham*: Ambula coram me, et esto perfectus. *Gen.* 17. 1.

Perfectus eris, et absque maculâ cum Domino Deo tuo. *Deut.* 18. 13.

Nunc ergò timete Dominum, et servite ei perfecto corde, atque verissimo. *Josue* 24. 14.

Sit—cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, etc. 3. *Reg.* 8. 61.

Estote ergò vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* 5. 48.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, etc. *Ibid.* 19. 21.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eâdem sententiâ. 1. *Cor.* 1. 10.

Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote: sensibus autem perfecti estote. *Ibid.* 14. 20. *Vide* 2. *Cor.* 13. 11.

Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. *Ephes.* 6. 13.

Non quòd jàm acceperim, aut jàm perfectus sim. *Philipp.* 3. 12. Quicunque ergò perfecti sumus, hoc sentiamus. *v.* 15.

Corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientiâ, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. *Coloss.* 1. 28.

Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2. *Tim.* 3. 16. 17.

Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. *Jac.* 1. 4.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 13.

PERJURIUM.

*Perjurium prohibetur.*

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Exod.* 20. 7. *Vide Deut.* 5. 11.

Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus. *Lev.* 19. 12.

Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. *Matth.* 5. 33.

*Perjurii et falsi crimen.*

*Secunda Ægypti plaga est Ranarum, pro quarum ablatione promittit Pharao populum dimittere, nec facit: quarè additur tertia Sciniphum, et quarta Muscarum, propter quas rursùs Pharao promittit se filios Israël dimissurum, quod non facit. Exod. c.* 8. *Sed nec ad quintam, sextam, septimam, octavam, et nonam plagam dimisit populum, ut toties, semper tamen mendaciter promiserat. c.* 9. *et* 10.

Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret vel benè, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque posteà intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, etc. *Lev.* 5. 4. 5.

Saül, placatus voce Jonathæ, juravit, *se nihil mali amplius Davidi illaturum; sed pejeravit, et statim David iterùm interficere tentavit.* 1. *Reg.* 19. 6.

Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum, quo teneatur

adstrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cœlo. 3. *Reg.* 8. 31. 32.

Eccè vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post Deos alienos, quos ignoratis. *Jerem.* 7. 8. 9.

Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi (*in libro legis*) scriptum est, judicabitur: et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur, etc. *Zach.* 5. 3. *Vide et v.* 4.

Et accedam (*ait Dominus*) ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos: et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 5.

Et intravit rex montem Sion, et vidit munitionem loci: et rupit citiùs juramentum, quod juravit: et mandavit destruere murum in gyro. 1. *Mach.* 6. 62.

*Alcimus* locutus est cum eis (*Judæis*) verba pacifica: et juravit illis, dicens, Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. Et crediderunt ei: *sed perjurus iste* comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in unâ die. *Ibid.* 7. 15. 16. Et incubuit timor et tremor in omnem populum (*Judæorum*): quia dixerunt: Non est veritas, et judicium in eis: transgressi sunt enim constitutum, et jusjurandum, quod juraverunt. *v.* 18.

*Simon misit petitam à Tryphone pecuniam, unà cum filiis Jonathæ, ad ejus redemptionem; Tryphon autem, acceptâ pecuniâ, patrem occidit cum filiis. Ibid. c.* 13. 19. 23. *Sic etiam Demetrius fœdus cum Jonathâ initum prævaricatus est. Suprà. c.* 11. 53.

Undè Menelaüs accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cùm venisset ad Oniam, et datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus), suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam. Ob quam causam non solùm Judæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti viri injustâ, etc. 2. *Mach.* 4. 34. 35. *Vide et caput.* 13. 3.

Et iterùm negavit (*Petrus*) cum juramento: Quia non novi hominem. *Matth.* 26. 72. *Vide et v.* 74. *Item. Mach.* 14. 71.

PERMISSIO CONTRA VOLUNTATEM.

*Jacob permisit abduci Benjamin filium suum, et tenerè dilectum, non sponte et libenter, sed propter necessitatem ciborum, et escarum, ad instantiam filiorum. Gen.* 43. 1.

*Moyses permisit dari libel-*

*lum repudii odiosis uxoribus Judæorum, quia timebat in eis uxoricidium. Deut.* 24. 1. *Vide Mach.* 5. 31. *et c.* 19. 7. 8. *Item Marc.* 10. 4. 5.

Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones. — Dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum. Et respondit populus : Non exibis, — quia tu unus pro decem millibus computaris : melius est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. 2. *Reg.* 18. 1. *et seq.*

*Cognovit Simon, quòd Tryphon cum dolo loqueretur, pètens filios Jonathæ, et centum talenta argenti;* jussit tamen dari argentum et pueros, *ne fortè adversùs se inimicitiam populi concitaret.* 1. *Mach.* 13. 17.

PERSECUTIO.

*Vide* CRUX ET TRIBULATIO.

*Persecutionis piorum exempla.*

Dixitque Caïn ad Abel fratrem suum : Egrediamur foràs. Cùmque essent in agro, consurrexit Caïn adversùs fratrem suum Abel, et interfecit eum. *Gen.* 4. 8.

*Lot nepotem Abrahami abduxerunt tyranni captivum in mancipium cum omnibus, quos et quæ habebat. Gen.* 14. 12.

*Persecutus est Ismaël alienigena Isaacum inquilinum. Ibid.* 21. 9. *Undè dicit Apostolus* (*Galat.* 4. 29.) : Sed quomodò tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum : ità et nunc, etc.

*Persequitur Esaü pium fratrem Jacob, qui, ne occidatur ab eo, fugam arripere cogitur. Ibid.* 27. 41. *et seq.*

*Persecutus est rex Pharao cum suis Ægyptiis filios Israël. Exod.* 14. 8. *Vide tot. Cap.*

Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt, imponentes opera gravissima. *Deut.* 26. 6.

*Pluries et variis modis persecutus est Saül innocentem et pium David.* 1. *Reg.* 18. 11. *et c.* 19. 10. 11. *et* 20. *Item c.* 20. 31. *c.* 23. 14. 25. *c.* 24. 3. *c.* 26. 2.

*Eumdem Davidem persequitur Absalom filius nequam,* 2. *Reg.* 15. 14. *Vide et caput.* 17. 12.

*Persequi jurat Jezabel Eliam prophetam.* 3. *Reg.* 19. 2.

Et ait rex Israël : Tollite Michæam (*Prophetam*) — et mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aquâ angustiæ, etc. *Ibid.* 22. 26. 27. *Item.* 2. *Paral.* 18. 26.

*Impius rex Sennacherib persequitur et occidere vult pium Tobiam. Tob.* 1. 22.

*Persequitur crudelissimè Aman gentem Judæam. Esther* 3. 8. 9.

*Principes militiæ regis Sedeciæ persequuntur Jeremiam,*

*et in carcerem mittunt. Jer.* 37. 14.

Et dixerunt principes regi (*de Jeremiâ Prophetâ*) : Rogamus, ut occidatur homo iste, — Et dixit rex Sedecias : Eccè ipse in manibus vestris est. — Tulerunt ergò Jeremiam, et projecerunt eum in lacum, etc. qui erat in vestibulo carceris : et submiserunt Jeremiâm funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, *Ibid.* 38. 4. *et seq.*

*Ananias, Misaël, Azarias nolentes adorare statuam, quam rex Nabuchodonosor erexerat : ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis. Dan.* 3. 21. 33.

*Mittitur pius Daniel bis in lacum leonum, sed illæsus evadit. Ibid.* 6. 16. 23. *Item. c.* 14. 30.

*Persecutio Ecclesiæ magna facta ab Antiocho.* 1. *Mach* 1. 23. *per totum Caput. Vide et* 2. *Mach.* 5. 13. *et seq.*

Tunc Herodes videns, quoniàm illusus esset à Magis, iratus est valdè, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infrà. *Matth.* 2. 16.

*Herodes persecutus est et interfecit Joannem Baptistam. Ib.* 14. 3. 10. *Item Marc.* 6. 17. 27. *Luc.* 3. 20.

*Persequuntur Pharisæi cæcum natum, propter recuperationem visûs à Christo. Joannes.* 9. 28. 34. *Vide totum Caput.*

Cogitaverunt autem principes Sacerdotum, ut et Lazarum interficerent : quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. *Ibid.* 12. 10. 11.

*Persequuntur Sadducæi Apostolos Christi, etc. Act.* 4. 3. *Vide et c.* 5. 18. 33. *persecutionem Apostolorum.*

*Seniores, Scribæ, falsi testes, et concilium totum persequuntur Stephanum. Ibid.* 6. 12. *Vide et c.* 7. 54. *et seq. usq. ad finem.*

Facta est autem in illâ die persecutio magna in Ecclesiâ, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones, etc. *Ibid.* 8. 1.

Cùm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent (*Paulum*). *Ibid.* 9. 23. *Vide et v.* 24.

Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem, quia placeret Judæis, opposuit ut apprehenderet et Petrum — Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, etc. *Ibid.* 12. 1. *et seq.*

Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam : et

ejecerunt eos de finibus suis. *Ibid.* 13. 50. *Vide c.* 14. 2. 5.

Lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. *Ibid.* 14. 18.

Et cucurrit plebs adversùs eos (*Paulum et Silam*) : et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. Et cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, etc. *Ibid.* 16. 22. 23.

*Demetrius argentarius gravem adversùs Paulum seditionem excitat. Ibid.* 19. 24. *Vide versus seq. usquè adfinem.*

Et omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2. *Tim.* 3. 12.

*Persecutorum Ecclesiæ Dei et piorum ejus civium pœnæ, exempla.*

*Pharaonem propter persecutionem, quâ persecutus est filios Israël, decem plagis afflixit Deus : et tandem submersit in mari rubro cum omni suo exercitu. Exod. c.* 7. 8. 9. 10. *et c.* 14. 28.

*Jehu in regem Israël uncto per prophetam mandat Deus, ut deleat domum Achab : occidit ergò Joram unà cum Ochoziâ rege Juda ; et corpus Jezabel à fenestrâ ipsius jussu præcipitatæ canes devorant, juxta Eliæ vaticinium. 4. Reg. c.* 9. *Et c.* 10. *idem Jehu septuaginta filios Achab, et quadraginta duos fratres Ochoziæ necari jubet, totamque delet progeniem Achab.*

*Propter Rabsacis blasphemias, percutit Angelus Domini* 185000 *Assyriorum : quarè fugiens Sennacherib, in templo idolorum suorum à filiis suis occiditur. Ibid.* 19. 35. 37. *Vide et Tob.* 1. 21. *Item.* 2. *Paral.* 32. 21. *Isa* 37. 36. 38. 1. *Mach.* 7. 41. 2. *Mach.* 8. 19. *et c.* 15. 22.

*Sic et Achab juxta Micheæ prophetiam in bello occiditur.* 2. *Par.* 18. 33. *Item* 3. *Reg.* 22. 34.

*Sic Holophernes persecutor Judæorum cecidit per manus Judith. Judith* 13. 10. *Sic et Aman. Eth.* 7. 10.

Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago (*in ignem*), interfecit flamma ignis. *Dan.* 3. 22.

*Daniel supra Satrapas regni constituitur ; et accusatus, quòd regis edictum non servasset, quia Deum cœli orabat, missus est in lacum leonum, sequentique die illæsus eductus, immissi, ac subitò dilaniati sunt ejus accusatores. Ibid. c.* 6. *Vide et c.* 14. 41.

*Nicanor cum toto suo exercitu à judæis occisus est, amputato ipsius capite, ac dexterâ, quam irrisis Judæorum sacrificiis superbè contra locum sanctum extenderat.* 1. *Mach.* 7. 47.

*Alcimus ob impia in locum sanctum facinora, percussus à*

*Deo paralysi, mortuus est. Ib.* 9. 55. 56. *Vide totam Historiam Machabæorum.*

*Herodes Jacobum fratrem Joannis gladio feriens, et Petrum in carcerem mittens, justo Dei judicio percussus ab Angelo, horribili morte periit;* et consumptus à vermibus, expiravit. *Act.* 12. 23.

PERSEVERANTIA ET CONSTANTIA IN PROPOSITIS. *Vide et* CONSTANTIA.

*Dicta et exempla.*

Eduxeruntque (*Angeli*) eum (*Lot*), et posuerunt extra civitatem : ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione : sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. *Gen.* 19. 17. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. *v.* 26. *Vide Sap.* 10. 6. 7.

*Singulis diebus molesta erat Joseph domina sua : ipse tamen perseveranter resistebat operi nefario. Ibi.* 39. 10.

*Perseverantia Moysis, tenentis manus elevatas in oratione, dùm pugnarent Israëlitæ contra Amalec, obtinuit plenam de hoste victoriam. Exod.* 17. 12.

*Durè reprehensus David à fratre suo majore, et etiam dissuasus à Saüle, non destitit à proposito, profligandi scilicet Philisthæum gigantem : et viriliter pugnavit, et Goliath vicit.* 1 *Reg.* 17. 28. 33. *et* 50.

*Perseveranter egit Joab in obsidione Rabbath, donec capta fuit civitas.* 2. *Reg.* 12. 26. *et seq.*

*Item in prælio contra Absalom. Ibid.* 18. 2.

*Et contra Sebam filium Bochri in obsidione civitatis Abelæ. Ibid.* 20. 13. *et seq.*

*Quamvis Nehemias in ædificandis muris Jerusalem multa passus fuerit impedimenta; non tamen cessavit ab opere, donec muri fuerunt totaliter constituti.* 2. *Esdr.* 4. 6. *et seq. per totum.*

*Eliachim sacerdos magnus allocutus est omnem Israël,* dicens : Scitote, quoniàm exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini, etc. *Judith* 4. 12. *Vide v.* 14. *et seq.*

*Mardochæus ità constanter perstitit in suo proposito, ut non solùm adorare noluerit Aman, sed nec ei assurgere transeunti. Esth.* 3. 2. *et c.* 5. 9.

Et dixit Dominus ad Satan : Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terrâ, vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens à malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversùs eum ut affligerem eum frustrà. *Job.* 2. 3.

Superbi iniquè agebant usquequaque : à lege autem tuâ (*Domine*) non declinavi. *Psal.* 118. 51.

Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus : quia abominatio Domini est omnis illusor. *Prov.* 3. 31. 32.

Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto totâ die : quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. *Ibid.* 23. 17. 18.

Deprime cor tuum, et sustine : inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectûs : et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua, etc. *Eccli.* 2. 2. 3. *per totum Caput.*

Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. *Ibid.* 35. 9.

Si autem averterit se justus à justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione, quâ prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. *Ezech.* 18. 24.

Etiam si dixero justo quòd vitâ vivat, et confisus in justitiâ suâ fecerit iniquitatem : omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate suâ, quam operatus est, in ipsâ morietur. *Ibid.* 33. 13.

*Socii Danielis constanter dixerunt regi Babylonis :* Notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. *Dan.* 3. 18.

*Non intermisit Daniel propter crudele decretum Darii, quin oraret ter in die, sicut antè consueverat, et adoraret Dominum Deum suum. Ibid.* 6. 10.

*Constanter restitit Susanna duobus impudicis senibus, qui eam tàm vehementi sollicitatione tentabant. Ibid.* 13. 20.

Et multi de populo Israël definierunt apud se, ut non manducarent immunda : et elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis. 1 *Mach.* 1. 65.

*Miram constantiam et perseverantiam habuit Eleazarus in tormentis, et magis elegit crudelissimâ morte puniri, quàm contra legem carnes edere porcinas, vel simulare se comedisse.* 2. *Mach.* 6. 18. *Vide et versus sequentes.*

*Septem fratres cum piâ matre benè perseveraverunt usquè in finem, nec potuerunt ad prævaricationem legis adduci blanditiis, vel tormentis. Ibid. c.* 7. *per totum.*

Et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usquè in finem,

hic salvus erit. *Matth.* 10. 22. *Idem verbatim habetur c.* 24. 13. *Item Marc.* 13. 13.

*Vide præclarum exemplum perseverantiæ in muliere Chananæâ, quæ non intermisit Christum rogare, et ad misericordiam movere, licet ter repulsa. Matth.* 15. 22. *et seq. Item Marc.* 7. 25. *et seq.*

Ex hoc (*scilicet quia dixerat Jesus discipulis :* Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo), — multi discipulorum ejus abierunt retrò : et jàm non cum illo ambulabant. *Joan.* 6. 66.

*Cæcus natus à Domino illuminatus constanter perseveravit, contra Pharisæos veritatem confitens atque defendens, Ibid. c.* 9. *per totum.*

Hi omnes (*scil. discipuli, et Apostoli Domini*) erant perseverantes unanimiter in oratione cùm mulieribus, et Mariâ matre Jesu, etc. *Act.* 1. 14.

Erant autem perseverantes (*scil. tria millia nuper baptizatorum*) in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Ibid.* 2. 42.

*Principes Judæorum* videntes — Petri constantiam et Joannis, comperto quòd homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur, etc *Ib.* 4. 13. *Vide et c.* 5. 42.

Qui (*Barnabas*) cùm pervenisset (*Antiochiæ*), et vidisset gratiam Dei, gavisus est : et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino : quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide. *Ib.* 11. 23. 24.

Cùmque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam : qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratiâ Dei. *Ib.* 13. 43.

Cùmque evangelizassent (*Paulus et Barnabas*) civitati illi (*Derben*), et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide : et quoniàm per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Ib.* 14. 20. 21.

Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi (*Paulo*), protestatur dicens : quoniàm vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum, etc. *Ib.* 20. 23. 24.

Vide ergò bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate ; alioquin et tu excidêris. *Rom.* 11. 22.

Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles : abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor

vester non est inanis in Domino. 1. *Cor.* 15. 58.

Ut jàm non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris, etc. *Ephes.* 4. 14. *Vide Coloss.* 1. 23.

Orantes omni tempore — in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ib.* 6. 18. *Vide Philipp.* 3. 14. *et c.* 4. 1.

Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. 2. *Thess.* 3. 13. *Vide et Galat.* 6. 9. *Item* 1. *Thess.* 1. 3. 10. *c.* 3. 8. *c.* 4. 1.

Nàm et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit. 2. *Tim.* 2. 5.

Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usquè ad finem firmum retineamus. *Hebr.* 3. 14.

Cupimus autem, unumquemque vestrûm eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usquè in finem: ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones. *Ib.* 6. 11. 12. *Vide et v.* 15. *et c.* 10 23. *et c.* 12. 7.

Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. *Jacob.* 1. 4.

Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. 1. *Joan.* 2. 24. *Vide Apoc.* 2. 26.

Esto fidelis usquè ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2. 10.

### *Perseverantia in precibus commendatur.*

### *Dicta et exempla.*

*Elias repetitis precibus impetrat tandem pluviam à Deo.* 3. *Reg.* 18. 42. 45.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: et non sum deceptus. *Psal.* 76. 3.

Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. *Psal.* 87. 1.

Eccè mulier Chananæa — clamavit, dicens ei (*Christo*) Miserere meî, Domine, fili David, etc. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israël. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier! magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.

*Matth.* 15. 22. *et seq. Vide Marc.* 7. 23. *et seq.*

Et si ille (*amicus*) perseveraverit pulsans (*et orans*), dico vobis, et si non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit; propter improbitatem (*scil. importunitatem*) tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios (*panes*). Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis, etc. *Luc.* 11. 8. 9. *Vide Matth.* 7. 7.

Dicebat autem (*Christus*) et parabolam ad illos (*discipulos suos*), quoniàm oportet semper orare, et non deficere. *Ib.* 18. 1. *Vide exemplum judicis et viduæ, v.* 2. *et seq. Vide pariter exemplum cæci v.*39. *qui non sinebat sibi prohiberi, ne clamaret* : Jesu, fili David miserere meî.

Omnes (*discipuli, et Apostoli*) erant perseverantes unanimiter in oratione. *Actor.* 1. 14. *Vide et c.* 2. 42. *similia verba.*

Orationi (*sitis*) instantes. *Rom.* 12. 12.

Orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantiâ, et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ephes.* 6. 18. *Vide Coloss.* 4. 2. *Item* 1. *Thess.* 5. 17.

Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

*Perseverantia est Dei donum.*

Qui (*Deus*) et confirmabit vos usquè in finem sine crimine in die adventûs Domini nostri Jesus Christi. 1. *Cor.* 1. 8.

Propter quod peto, ne deficiatis, etc. *Ephes.* 3. 13.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentiâ virtutis ejus. *Ib.* 6. 10.

Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usquè in diem Christi Jesu. *Philipp.* 1. 6.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bonâ voluntate (*suâ*). *Ib.* 2. 13. *Vide* 1. *Thess.* 5. 24.

Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione suâ Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute, etc. 2. *Thess.* 1. 11.

Deus autem pacis — aptet vos in omni bono, etc, *Hebr.* 13. 20. 21.

Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 1. *Petr.* 5. 10.

PERSONA.

*Personarum acceptio illicita, nec Deus personam respicit, Vide et Acceptio personarum.*

Non facies quod iniquum est nec injustè judicabis, Non considéres personam pauperis, nec honores vultum potentis : justè judica proximo tuo. *Lev.* 19. 15.

Nulla erit distantia personarum : ità parvum audietis, ut magnum ; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. *Deut* 1. 17.

Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. *Ib.* 10. 17.

Non accipies personam, nec munera. *Deut.* 16. 19.

Et dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus (*Eliab*) ; quoniàm abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 1. *Reg.* 16. 7.

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentiâ cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Paral.* 19. 7.

Qui non accipit personas principum : nec cognovit tyrannum, cùm disceptaret contra pauperem : opus enim manuum ejus sunt universi. *Job* 34. 19.

Accipere personam impii (*in judicio*), non est bonum, ut declines à veritate judicii. *Prov.* 18. 5.

Hæc quoque sapientibus (*dico*) : Cognoscere personam in judicio, non est bonum. *Ib.* 24. 22. 23.

Qui cognoscit in judicio faciem, non benè facit : iste pro buccellâ panis deserit veritatem. *Ib.* 28. 21.

Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniàm pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus, *Sap.* 6. 8.

Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti personâ perdet eam : personæ autem acceptione perdet se. *Eccli.* 20. 24.

Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniàm Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. *Ib.* 35. 15. 16. *Vide Isa.* 11. 3.

Ne accipias personam, ut delinquas. *Ib.* 42. 1.

Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege, Nunquid non pater unus omnium nostrûm ? nunquid non Deus unus creavit nos ? quarè ergò despicit unusquisque nostrûm fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum ? *Malach.* 2. 9. 10.

Magister (*aiunt Pharisæi tentantes Christum*), scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim

respicis personam hominum. *Mat.* 22. 16. *Item Marc.* 12. 14. *Luc.* 20. 21.

Aperiens autem Petrus os suum, dixit : In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *Actor.* 10. 34. 35.

Non enim est acceptio personarum apud Deum. *Rom.* 2. 11. *Vide Ephes.* 6. 9.

Deus personam hominis non accipit; mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. *Galat.* 2. 6. *Vide* 1. *Petr.* 1. 17.

Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit : et non est personarum acceptio apud Deum. *Coloss.* 3. 25.

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. *Jacob.* 2. 1. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quasi transgressores. *v.* 9.

*Persuasiones malæ.* Vide *Consilia mala.*

PES.

*Pedes, affectus, cogitationes, consilia, opera, et progressus hominum tùm piorum tùm impiorum in hâc vitâ significant.*

*Deus* pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent. 1. *Reg.* 2. 9.

Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. *Job* 13. 27.

Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt : in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. *Ps.* 9. 16.

Oculi mei semper ad Dominum : quoniàm ipse evellet de laqueo pedes meos. *Psal.* 24. 15.

Qui (*Deus*) posuit animam meam ad vitam; et non dedit in commotionem pedes meos. *Psal.* 65. 9.

Lucerna (*Deus*) pedibus meis verbum tuum; et lumen semitis meis. *Psal.* 118. 105.

Non det (*Deus*) in commotionem pedem tuum. *Psal.* 120. 3.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc.* 1. 79.

Et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12. 13.

PETITIO. *Vide et* ORATIO.

*Petitiones et orationes fidelium non vanæ.*

Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israël, etc. *Exod.* 17. 11.

Et clamavit Samuel ad Dominum pro Israël, et exaudivit eum Dominus. 1. *Reg.* 7. 9.

*Dixit Elias :* Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et plu-

via, nisi juxta oris mei verba. 3. *Reg.* 17. 1. *Vide Jacob.* 5. 17.

Respondensque Elias, dixit quinquagenario : Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo. 4. *Reg.* 1. 10. *Vide et v.* 12. *ubi idem repetitur.*

*Oratione et petitione suâ suscitavit Eliseus filium Sunamitidis mortuum. Ib.* 4. 32. *et seq.*

*Ezechias conversus ad Dominum, pro liberatione urbis Jerusalem precatur, et exauditur. Ibid.* 19. 1. *per totum Caput. Vide Isa.* 37. 1. *pariter per totum.*

*Job autem servus meus* (*Dixit Deus amicis Job*) orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. *Job* 42. 8.

Voce meâ ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo. *Psal.* 3. 5.

Cùm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ. *Psal.* 4. 2. Et scitote, quoniàm mirificavit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet me cùm clamavero ad eum. *v.* 4.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. *Psal. h.* 10. 17.

In tribulatione meâ invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi : et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. *Psal.* 17. 7. *Item* 2. *Reg* 22. 7.

Non sprevit, neque despexit (*Dominus*) deprecationem pauperis : nec avertit faciem suam à me : et cùm clamarem ad eum, exaudivit me. *Psal.* 21. 25.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. *Psal* 29. 3.

Exaudisti (*Domine*) vocem orationis meæ, dùm clamarem ad te. *Psal.* 30. 23.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. *Ps.* 33. 5. Clamavèrunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *v.* 18.

Quoniàm in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus. *Psal.* 37. 16.

Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi : et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. *Psal.* 39. 2. 3.

Ego autem ad Deum clamavi : et Dominus salvabit me. Vespere, et mane : et meridie narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam. *Psal.* 54. 17. 18.

Quoniàm exaudivit pauperes Dominus : et vinctos suos non despexit. *Psal.* 68. 34.

Voce meâ ad Dominum clamavi : voce meâ ad Deum, et intendit mihi. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra

eum : et non sum deceptus. *Psal.* 76. 2. 3.

In die tribulationis meæ clamavi ad te *( Domine )* ; quia exaudisti me. *Psal.* 85. 6.

Quoniàm in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniàm cognovit nomen meum. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum , et glorificabo eum, etc. *Ps.* 90. 14. 15.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus : invocabant Dominum , et ipse exaudiebat eos : in columnâ nubis loquebatur ad eos. *Psal.* 98. 6. 7.

*Deus* respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum. *Psal.* 101. 18.

De tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine Dominus. *Ps.* 117. 5.

Ad Dominum cùm tribularer clamavi, et exaudivit me. *Psal.* 119. 1.

Propè est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet , et deprecationem eorum exaudiet : et salvos faciet eos. *Psal.* 144. 18. 19.

Longè est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudiet. *Prov.* 15. 29.

Populus enim Sion habitabit in Jerusalem : plorans nequaquàm plorabis , miserans miserebitur tuî : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. *Isa.* 30. 19.

Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam , dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israël : pro quibus rogasti me , *exaudivi te. Ibid.* 37. 21. *Vide* 4. *Reg.* 19. 20.

Et factum est verbum Domini ad Isaiam , dicens : Vade , et dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam ; et vidi lacrymas tuas : eccè ego adjiciam super dies tuos quindecim annos : et de manu regis Assyriorum eruam te , et civitatem istam , et protegam eam. *Ibid.* 38. 4. *et seq. Vide* 4. *Reg.* 20. 5. 6.

Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te , et in die salutis auxiliatus sum tuî. *Ibid.* 49. 8. *Vide* 2. *Cor.* 6. 2.

Tunc invocabis , et Dominus exaudiet : — Eccè adsum : si abstuleris de medio tuî catenam (*peccatorum*), et desieris extendere digitum , et loqui quod non prodest. *Ibid* 58. 9.

Electi mei non laborabunt frustra , neque generabunt in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est , et nepotes eorum cum eis. Eritque , antequàm clament , ego exaudiam : adhuc illis loquentibus , ego audiam. *Ibid.* 65. 23. 24.

Et invocabitis me , et ibitis : et orabitis me , et ego exaudiam vos , etc. *Jerem.* 29. 12.

Clama ad me , et exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia,

et firma, quæ nescis. *Ibid.* 33. 3.

Omnis enim, qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur, etc. *Matth.* 7. 8. *Vide Marc.* 11. 24. *Item Luc.* 11. 10. *Joan.* 16. 23. 24.

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. *Ibid.* 18. 19.

Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Ibid.* 21. 22.

Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. *Joan.* 14. 13. 14.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis. *Ibid.* 15. 7.

Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiduciâ. *Actor.* 4. 31.

Mediâ autem nocte, Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et audiebant eos, qui in custodiâ erant, subitò verò terræ motus factus est magnus, ità ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia : et universorum vincula soluta sunt, *Ibid.* 16. 25. 26.

Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, etc. *Jacob.* 1. 5. 6.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. 1. *Petr.* 3. 12. *Vide Psal.* 33. 16.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniàm mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. 1. *Joan.* 3. 21. 22.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum (*Deum*) : quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos, etc. *Ibid.* 5. 14. *Vide et v.* 15.

### *Petitiones justæ esse debent. Exempla.*

Sitiensque valdè (*Samson*) clamavit ad Dominum, et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam : en siti morior : incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxillâ asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. *Judic.* 15. 18. 19.

Cùm esset Anna amaro animo : oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ

tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ : dederisque servæ tuæ sexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus : *et exaudivit Dominus petitionem ejus.* 1. *Reg.* 1. 10. 11. *Vid. Tot. C. Vid. simile de Zach. Luc.* 1. 13.

Placuit ergò sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem (*scil. sapientiam*), *et dedit illi hanc, et divitias, etc.* 3. *Reg.* 3. 10. *Vide et versus sequentes. Item* 2. *Par.* 1. 10. *et seq. Sap.* 9. 4. *et* 10.

*Petiit Eliseus duplicem spiritum Eliæ, et accepit.* 4. *Reg.* 2. 9. 15.

*Petitionum injustarum exempla.*

Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas : Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israël. 1. *Reg.* 11. 1. 2.

*Dixit Adonias ad Bethsabee*: Precor, ut dicas Salomoni regi — ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem, etc. 3. *Reg.* 2. 17.

*Dixit mater filiorum Zebedæi ad Jesum :* Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. *Mat.* 20. 21. *Vide Marc.* 10. 37.

*Herodiadis filia petivit à rege*, dicens : Volo, ut protinùs des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. *Marc.* 6. 25. *Item Mat.* 14. 8.

*Pietas.* Vide *Adoratio. Bona opera. Invocatio. Opera etc. etc.*

*Pietas mulierum.* Vide *Mulierum pietas.*

PIGNUS.

*Pignus salutis nostræ est Spiritus Sanctus.*

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. *Rom.* 8. 16.

Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris. 2. *Cor.* 1. 21. 22.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritûs. *Ibid.* 5. 5.

In quo et vos, cùm audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1. 13. 14.

Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis. *Ib.* 4. 30.

PIGRITIA. *Vide et* ACEDIA, *et* NEGLIGENTIA.

*Pigritia damnatur.*

Vult et non vult piger :

anima autem operantium impinguabitur. *Prov.* 13. 4.

Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. *Ib.* 19. 15. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. *v.* 24. *It. c.* 26. 15.

Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. *Ib.* 20. 13.

Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quidquam manus ejus operari, etc. *Ibid.* 21. 25.

Dicit piger : Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. *Ibid.* 22. 13. *Item c.* 26. 13.

*Pigritiæ mala.*

Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergò æstate, et non dabitur illi. *Prov.* 20. 4.

Cogitationes robusti semper in abundantiâ : omnis autem piger semper in egestate est. *Ibid.* 21. 5.

Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et eccè totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. *Ibid.* 24. 30. 31. Parùm, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillùm manus conseres, ut quiescas : et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus. *v.* 33. 34.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ibid.* 28. 19. *Item. c.* 12. 11.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. *Matth.* 13. 25.

PLAGA DEI, SEU VINDICTA.

*Hominis peccata fuêre Diluvii causa. Gen. c.* 6. *Vide et cap.* 18. *Sodomorum eversionem.*

*Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virgâ percussam in sanguinem, quæ etiam faciunt magi Pharaonis suis incantationibus; quam ob causam Pharao magis induratur. Exod. c.* 7. *Item Psal.* 77. 44. *et Psal.* 104. 29.

*Secunda Ægypti plaga est Ranarum, pro quarum ablatione promittit Pharao populum dimittere, nec facit; quarè additur tertia Sciniphum, et quarta Muscarum; propter quas rursùm promittit Pharao se filios Israël dimissurum, quod non facit. Ibid. c.* 8. *Item Psal.* 77. 43. *et Psal.* 104. 30. 31. *Item. Sap.* 16. 9.

*Quinta plaga est Pestis in jumentis, sexta Ulcerum, septima Grandinis, ob quam promittit Pharao se dimissurum populum, si cesset; verùm nec id complet, imò amplius se obdurat. Nullus autem filiorum Israël in his malis aliquid pa-*

*titur damni. Ibid. c. 9. Item Psal. 77.47. 48. et 104.32.33.*

*Octava plaga est Locustarum, quibus ablatis, obduratus Pharao ne sic quidem juxta condictum dimittit populum : quapropter nona additur, nempè Tenebrarum densissimarum. Ibid. c. 10. Item Psal. 77. 46. et Psal. 104. 34. 35. Item Sap. 16. 9. et c. 17. 17.*

Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usquè ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum — et ortus est clamor magnus in Ægypto : neque enim erat domus, in quâ non jaceret mortuus. *Exod.* 12. 29. 30. *Item Psal.* 77. 51. *et Psal.* 104. 36.

*Pharao filios Israël persequens et mare per siccum post illos ingrediens, cum universo equitatu et curribus submergitur. Ibid. c. 14. et 15. Item Psal.* 77. 53. *et Psal.* 105. 11. *Item Sap.* 10. 19.

*Fames in terrâ, et pestilentia, ærugo et aurugo, locusta et bruchus, bellum, hostes, vastatio regionum, et portarum civitatis obsessio, omnisque plaga et infirmitas. 2. Par.* 6. 28. *Item* 3. *Reg.* 8. 37.

Quòd si dixerint ad te (*Jeremia*) : Quò egrediemur ? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem, etc. *Jerem.* 15. 2. *Vide et versus sequentes.*

*Planctus.* Vide *Lacrymæ.*

### PŒNA.

*Pœna peccati non statim universa remittitur, remissâ culpâ.*

Dixitque Dominus (*Moysi petenti à Domino veniam peccatorum populi Israël*) : Dimisi juxta verbum tuum — *Sed qui peccaverunt* non videbunt terram, pro quâ juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. *Num.* 14. 20. 23. *Vide Deut.* 1. 35.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris. *Attamen filius ejus mortuus est, et David variè punitus fuit. 2. Reg.* 12. 13. 18.

*David ob numeratum populum, Gad Prophetâ correptus, ex tribus oblatis flagellis pestem triduanam elegit, quâ in populum sæviente, ac* 70000. *interemptis, orat David Dominum, et à Gad Prophetâ admonitus in areâ Areunâ, dato pretio, altare erigit, cessatque*

*pestis. Ibid. c.* 24. *Vide et* 1. *Paral. c.* 21.

*Pœnæ divinæ exempla.*

*Graviter punivit Deus peccatum primorum parentum, quod ipsi credebant leve, nec ità durè puniendum fore. Gen. c.* 3.

*Universo mundo Deus non pepercit, sed ipsum penè totum diluvii inundatione delevit. Ibid. c.* 7.

*Quinque civitates propter peccatum Sodomiticum fœtentes: ignis conflăgratione consumptæ sunt per Angelos à Deo missos. Ibid. c.* 19.

*Pharao cum omni exercitu persequens filios Israël, in mari rubro submergitur. Ex. c.* 14. *et* 15. *Vide Psal.* 77. 53. *et Psal.* 105. 11. *Item Sap.* 10. 19.

*Quia populus Amalec voluit impedire filios Israël euntes in terram promissionis, dixit Dominus ad Moysen:* Delebo — memoriam Amalec sub cœlo. *Ibid.* 17. 8. 14.

*Propter vitulum, quem adoraverunt Israëlitæ, ceciderunt unâ die* 23000 *hominum. Ibid.* 32. 28.

*Egressus est ignis à Domino, et devoravit Nadab et Abiu filios Aaron, quia arreptis thuribulis ignem alienum et incensum desuper posuerunt, et coram Domino obtulerunt. Lev.* 10. 1.

*Jussit Dominus, puerum blasphemum extra castra educi, et ab universo populo lapidari. Ib.* 23. *v.* 11. 14. *et* 23.

*Carnibus, quas miserat Dominus voracibus filiis Israël, adhuc existentibus in dentibus eorum,* percussit *Dominus populum* plagâ magnâ nimis. *Num.* 11. 33. *Vide Ps.* 77. 30. 31.

*Percussit Dominus Mariam leprâ, quia locuta est contrà Moysen fratrem suum. Ibid.* 12. 10.

*De sexcentis millibus virorum, qui numerati sunt, nullus intravit terram promissionis propter eorum peccata, præter Caleb et Josue, sicut minatus est Dominus. Ibid.* 14. 23. 24. *Vide c.* 11. 21.

*Ligna colligens in Sabbato fuit præcepto Domini lapidatus. Ibid.* 15. *v.* 32. 35. *et* 36.

*Terribili morte punivit Dominus Core et complices ejus. Ib.* 16. 31. *Item Psal.* 105. 17.

*Hæsitantem ad aquas contradictionis Moysen Dominus durè punivit, cùm tamen usquè tunc sancte et fideliter se gessisset, tùm ad Deum, quàm erga populum. Ibid.* 20. 12. *Vide Psal.* 105. 32.

*Misit Dominus serpentes ignitos in populum, quia pertæduerat eum itineris et laboris; et dixerat:* Cur eduxisti nos de Ægypto ? etc. *Ib.* 21. 4. *et seq. Vide Sap.* 16. 6. *Item* 1. *Cor.* 10. 9.

*Achan filius Charmi cum*

*totâ cognatione et supellectili suâ miserè periit, quia abstulerat de anathemate Jericho. Josue 7. 24. et seq.*

*Pro peccato in uxore Levitæ commisso, tota tribus Benjamin, exceptis sexcentis hominibus, fuit, Domino jubente, deleta. Judic. c. 20. per totum.*

*Heli peccantes filios corripuit, sed leviter; propter quod ipse in eis et cum eis punitus est. 1. Reg. 2. 23. et seq. et c. 3. 17. 18.*

*Quia Saül obtulit holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus fuit. Et insuper quia Agag regem Amalec, et greges ovium reservavit. Ibid. 13. 13. 14. et c. 15. 9. Vide totum Caput.*

*Adducente David arcam Domini super plaustrum, Oza tenuit eam, ne caderet, quia boves calcitrantes inclinaverant eam; et percussit eum Dominus super temeritate istâ, et mortuus est ibi. 2. Reg. 6. 6. 7. Item 1. Paral. 13. 9. 10.*

*Propter peccatum Saül crucifixi sunt à Gabaonitis septem filii ejus post ejus mortem, quia fames magna prævaluerat in terrâ. Ibid. c. 21. per totum.*

*Septuaginta millia hominum mortui sunt propter elationem David, quandò fecit populum numerare. Ib. c. 24. Item 1. Paral. c. 21.*

*Vir Dei, qui venit de Judâ, et nuntiavit Jeroboam subversionem altaris, et nativitatem Josiæ, occisus fuit à leone, eò quòd contra præceptum Domini comedit panem in domo cujusdam Prophetæ. 3. Reg. 13. 1. per totum.*

*Quadraginta duo pueri à duobus ursis fuerunt lacerati, pro eo, quod illuserant Eliseo, dicentes:* ascende calve, ascende calve. *4. Reg. 2. 23. 24.*

*Si tàm graviter punitum fuit Giezi peccatum, qui accepit munera à Naaman, voluntariè ei data: quid erit de illis, qui accipiunt aliena vel fraudulenter exacta, vel violenter extorta? Ibid. 5. 20. et seq.*

*Quia Ezechias ostendit thesauros suos nuntiis regis Babylonis, amisit eos; cùm tamen illi de terrâ longinquâ venissent, et videretur, quod lætanter recipi debuissent. Ibid. 20. 13. et seq. Item Isa. 39. 2. et seq.*

*Populum peculiarem et dilectum tradidit Dominus in manus Nabuchodonosor: qui totam gentem crudeliter captivam fecit, sanctam civitatem combussit, et templum destruxit. Ibid. c. 25. per totum. Item Jerem. c. 52. pariter per totum.*

*Ozias rex Juda cepit thuribulum, et more sacerdotum voluit adolere incensum, statimque est orta lepra in fronte ejus. 2. Paral. 26. 16. 19.*

Pro eo, quòd elevatæ sunt filiæ Sion, etc. *Isa. 3. 16. et seq.* Erit pro suavi odore fœtor,

etc. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio, etc. *v.* 24. *et seq.*

*Reges Babylonis filios Israël crudeliter tractaverunt, postèà etiam ipsi cum inclytâ civitate suâ fuerunt destructi, sicut minatus est Dominus. Ib. c.* 14. 21. *et* 47. *per tot. Item Jerem. c.* 50. *et* 51. *pariter per tot.*

*Heliodorus fuit graviter flagellatus, eo quod viduarum et pupillorum deposita voluit asportare. 2. Mach.* 3. 23. *et seq. usq. ad fin.*

*Antiochus rex fuit tàm gravi plagâ percussus*, ità ut de corpore impii vermes scaturirent — odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur. *Ibid.* 9. 5. 9. *Vide et versus sequentes.*

*Servum nequam, qui noluit dimittere conservo centum denarios*, iratus Dominus trâdidit eum tortoribus, quoadusquè redderet universum debitum. *Matth.* 18. 28. 34.

*Inutilem servum, qui traditum sibi non curavit multiplicare talentum, præcepit Dominus illo, quod habuerat, spoliari, et in tenebras exteriores ejici. Ibid.* 25. 28. 30.

*Fraus illa, quam commisit Ananias, consciâ Saphirâ uxore suâ, gravi fuit ultione punita. Act.* 5. 1. *et seq. usq. ad v.* 11.

Herodes, vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, etc. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, et consumptus à vermibus, expiravit. *Ib.* 12. 21. *et seq.*

POENITENTIA.

*Pœnitentia et satisfactio pro peccatis.*

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* 6. 7.

Facite ergò fructum dignum pœnitentiæ. *Matth.* 3. 8.

Facite ergò fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Luc* 3. 8.

Pœnitentiam (inquit) (*Petrus*) agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritûs Sancti. *Actor.* 2. 38. *Vide et c.* 3. 19.

Pœnitentiam itaque age (*ait Petrus Simoni mago*) ab hâc nequitiâ tuâ : et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ib.* 8. 22.

Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10.

*Pœnitentiæ Sacramentum.*

Vade, ostende te Sacerdoti.

*Matth.* 8. 4. *Item Marc.* 1. 44. *Luc.* 5. 14.

Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Ib.* 18. 18. *Vide c.* 16. 18.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 22. 23.

Multique credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos. *Actor.* 19. 18.

Confitemini ergò alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem. *Jacob.* 5. 16.

Si dixerimus, quoniàm peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. *Vide* 3. *Reg.* 8. 46. 2. *Paral.* 6. 36. *Prov.* 20. 9. *Eccles.* 7. 20.

*Pœnitentia prædicatur.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Jer.* 7. 3. *Item c.* 26. 13.

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2. *Idem verbatim habetur c.* 4. 17. *Vide Marc.* 1. 4. *et* 15.

Et venit (*Joannes*) in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. *Luc.* 3. 3. Facite ergò fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham, etc. *v.* 8. *Vide Matth.* 3. 8.

Nisi pœnitentiam habueritis (*dixit Jesus*), omnes similiter peribitis. *Ibid.* 13. 3.

Quoniàm sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die : et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. *Ibid.* 24. 46. 47.

Pœnitentiam (*inquit Petrus*) agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum ; et accipietis donum Spiritûs Sancti. *Actor.* 2. 38.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, etc. *Ibid.* 3. 19.

Pœnitentiam itaque age (*ait Petrus Simoni mago*) ab hâc nequitiâ tuâ : et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22.

Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubiquè pœnitentiam agant. *Ibid.* 17. 30.

*Paulus erat* testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid.* 20. 21.

Sed his, qui sunt Damasci primùm, et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et

Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Ibid.* 26. 20.

*Pœnitentiæ veræ et non fictæ, promissa est venia.*

Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè, et id ipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque posteà intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, etc. *Lev.* 5. 4. 5. *Vide v.* 17.

Cùmque quæsieris, ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et totâ tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Cùm ergò venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodiè præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ: reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, et miserebitur tuî, etc. *Ibid.* 30. 1. *et seq.*

Ait autem Samuel ad universam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestrî, Baalim et Astaroth: et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. 1. *Reg.* 7. 3.

Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos (quia peccaturus est tibi), et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, et oraverint, etc. exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israël, etc. 3. *Reg.* 8. 33. *usquè ad v.* 54. *Item* 2. *Paral.* 6. 24. *usquè ad finem.*

Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero, et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum: conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum, etc. 2. *Paral.* 7. 13. 14. *Vide c.* 12. 7. 12.

Cùmque reversi fuerint (*filii Israël*) in angustiâ suâ ad Dominum Deum Israël, et quæsierint eum, reperient eum. *Ib.* 15. 4.

*Ait Olda prophetissa ad Helciam, aliosque nuntios regis Josiæ:* Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quoniàm audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in cons-

pectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me : ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. Jàm enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace : nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, et super habitatores ejus. *Ib.* 34. 26. *et seq. Item* 4. *Reg.* 22. 18. *et seq.*

Cùm transgressi fueritis (*ait Dominus*), ego dispergam vos in populos : et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea : etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, indè congregabo vos, et reducam in locum, quem elegi, ut habitaret nomen meum ibi. 2. *Esdr.* 1. 8. 9.

Etiam si filii tui (*dixit Baldad ad Job*) peccaverunt ei (*Deo*) et dimisit eos in manu iniquitatis suæ : tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus : si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et peccatum reddet habitaculum justitiæ tuæ, in tantùm, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis. *Job* 8. 4. *et seq.*

Si reversus fueris ad Omnipotentem (*ait Eliphaz ad Job*), ædificaberis, et longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo. *Ibid.* 22. 23.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversùm me injustitiam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* 31. 5.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Pro.* 28. 13.

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitiâ tuâ, et nimis odito execrationem, etc. *Eccli.* 17. 23. *Vide et versus sequentes. Item Isa.* 31. 6.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perversè, discite benefacere, etc. *Isa.* 1. 16. 17.

Propterea expectat Dominus ut misereatur vestrî : et ideò exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus : beati omnes, qui expectant eum. *Ibid.* 30. 18.

Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua : revertere ad me, quoniàm redemi te. *Ibid.* 44. 22. *Vide c.* 21. 12.

Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ : quia ego Deus, et non est alius. *Ibid.* 45. 22. *Vide c.* 46. 8. *Item Reg.* 17. 13. *Jerem.* 18. 11. *et c.* 35. 15.

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et

ad Deum nostrum, quoniàm multus est ad ignoscendum. *Ibid.* 55. 7. *Vide c.* 59. 20.

Spiritus Domini super me. eò quòd unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem — ut consolarer omnes lugentes : ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, etc, *Ibid.* 61. 1. *et seq. Vide. Luc.* 18. 19. 4.

Revertere ad me *(Jerusalem, scil. anima peccatrix)*, dicit Dominus, et ego suscipiam te. *Jer.* 3. 1. Revertere, aversatrix Israël, ait Dominus, et non avertam faciem meam à vobis : quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum, etc. *v.* 12. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem ; et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. *v.* 17. *Vide v.* 14. *et* 22.

Si reverteris Israël, ait Dominus, ad me convertere : si abstuleris offendicula tua à facie meâ, non commoveberis. *Ibid.* 4. 1. Lava à malitiâ cor tuum, Jerusalem, ut salva fias, etc. *v.* 14. *Vide Eccli.* 17. 21. 22.

Cùm evulsero eos (*inimicos meos*), convertar, et miserebor eorum, et reducam eos, virum ad hæreditatem suam, et virum in terram suam. Et erit : si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo : Vivit Dominus — ædificabuntur in medio populi mei. *Ibid.* 12. 15. 16. *Vide c.* 7. 3. *et c.* 26. 13. *Item Thren.* 3. 40.

Si pœnitentiam egerit gens illa (*Judæorum*) à malo suo, quod locutus sum adversùs eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Jerem* 18. 8. *Vide c.* 29. 12. *et seq. et c.* 36. 3.

Audiens audivi Ephraïm transmigrantem. Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus : converte me, et convertar : quia tu Dominus Deus meus. Postquàm enim convertisti me, egi pœnitentiam : et postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui, quoniàm sustinui opprobrium adolescentiæ meæ, etc. *Ibid.* 31. 18. 19.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vitâ vivet, et non morietur, etc. *Ezech.* 18. 21. Et cùm averterit se impius ab impietate suâ, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam : ipse animam suam vivificabit, etc. *v.* 27. *Vide v.* 30. *et seq. Item c.* 14. 6.

Si autem dixero impio :

Morte morieris, et egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit̂que judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, et in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vitâ vivet et non morietur, etc. *Ib.* 33. 14. 15. *Vide v.* 16. *et* 19.

Nunc ergò repellant procul (*filii Israël*) fornicationem suam, et ruinas regum suorum à me : et habitabo in medio eorum semper. *Ibid.* 43. 9. *Vide c.* 33. 11. *Item Dan.* 4. 24.

Convertere, Israël, ad Dominum Deum tuum ; quoniàm corruisti in iniquitate tuâ. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum : et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum — Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè : quia aversus est furor meus ab eis, etc. *Oseæ* 14. 2. *et seq. Vide Amos* 5. *v.* 4. 6. 14. *et* 15.

Nunc ergò dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ et præstabilis super malitiâ. *Joel.* 2. 12. 13. *Vide Ezech.* 18. 23. *Item* 2. *Petr.* 3. 9.

Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis : et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. *Zach.* 1. 4. *Vide v.* 3.

A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 7. Et convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium : et inter servientem Deo, et non servientem ei. *v.* 18.

Facite ergò fructum dignum pœnitentiæ. *Matth.* 3. 8. *Vide v.* 2. *et c.* 4. 17. *Item Marc.* 1. 15. *Luc.* 3. 8.

*Christus dicit* : Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Luc.* 5. 32. *Vide Matth.* 9. 13. *Marc.* 2. 17.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei (*dixit filius prodigus*) : Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jàm non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15. 18. 19. *et* 21.

Pœnitemini igitur, et convertîmini, ut deleantur peccata vestra. *Act.* 3. 19. *Vide c.* 2. 38. *et c.* 26. 18. 20.

*Pœnitentia agenda est dùm sani sumus.*

Revertere ad Dominum, et

avertere ab injustitiâ tuâ, et nimis odito execrationem : et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis altissimi Dei. *Eccli.* 17. 23. Antè mortem confitere, etc. *v.* 26. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. *v.* 27.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. *Ib.* 18. 25. *Vide c.* 11. 27.

*Pœnitentiæ veræ et non fictæ exempla.*

*Dixerunt ad invicem fratres Joseph :* Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiasanimæ illius, dùm deprecaretur nos, et non audivimus ; idcircò venit super nos ista tribulatio. *Gen.* 42. 21.

Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit : et nullus ex more indutus est cultu suo. *Exod.* 33. 4.

*Audiens populus Israël, Dominum esse iratum propter murmurationes suas, luxit nimis. Num.* 14. 39.

*Ad vocem Angeli, improperantis populo peccanti beneficia Dei,* elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. *Judic.* 2. 4.

Dixeruntque filii Israël ad Dominum (*postquàm lapsi in idololatriam, traditi sunt Philisthæis et Ammonitis*) : Peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet : tantùm nunc libera nos : *et projecerunt omnia idola, etc. Ibid.* 10. 15. 16. *Vide et v.* 10.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. 2. *Reg.* 12. 13.

Percussit autem cor David eum, postquàm numeratus est populus : et dixit David ad Dominum : Peccavi valdè in hoc facto : sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis. *Ibid.* 24. 10. Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. *v.* 17. *Item.* 1. *Paral.* 21. 8. 17.

Itaque cùm audisset Achab sermones istos (*scilicet comminationes Dei*), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est meî causâ, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. *et seq.*

Hæc dicit Dominus Deus Israël (*ad Josiam regem*) : Pro eo quòd audisti verba voluminis,

et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino — et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus : idcircò colligam te ad patres tuos, et colligeris in sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum. 4. Reg. 22. 18. *et seq. Item.* 2. *Paral.* 34. 26. *et seq.*

Quia humiliati sunt (*principes Israël*), non disperdam eos (*dicit Dominus*), etc. 2. *Paral.* 12. 7.

Humiliatusque est posteà (*Ezechias*), eò quòd exaltatum fuisset cor ejus, tàm ipse, quàm habitatores Jerusalem : et idcircò non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 26.

Qui (*Manasses*) postquàm coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intentè : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum ; et cognovit Manasses quòd Dominus ipse esset Deus. *Ibid.* 33. 12. 13.

*Cunctus cœtus Israëlitarum collectus est ad Esdram, et flentes multùm dixerunt* : Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ ; et nunc si est pœnitentia in Israël super hoc, *faciamus secundùm legem Domini, etc.* 1. *Esdr.* 10. 2. *per totum caput.*

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio : et clamaverunt ad Dominum Deum Israël unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium Gentibus. *Judith* 4. 8. *et seq. Vide et c.* 7. 18. *et seq. Item* 2. *Mach*, 10. 25.

*Missus Jonas ad Ninivitas, prædicit civitatis subversionem : illis autem ad Deum conversis, et magna pœnitentiæ signa ostendentibus, parcit Dominus civitati. Jonæ c.* 3.

Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foràs, flevit amarè. *Matth.* 26. 75. *Item Marc.* 14. 72. *Luc.* 22. 62.

Et eccè mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd (*Jesus*) accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti : et stans retrò secùs pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus : et unguento

ungebat, *Luc.* 7. 37. 38. Et conversus ( *Jesus* ) ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti ; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit, etc. *v.* 44. *Vide Matth.* 26. 7. *Marc.* 14. 3. *Joan.* 12. 3.

Surgam (*ait filius prodigus*) et ibo ad patrem meum, et dicam : Pater, peccavi in cœlum et coram te; jàm non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Ibid.* 15. 18. 19.

Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus propitius esto mihi peccatori. *Ibid.* 18. 13.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : eccè dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8.

Et nos quidem justè ( *Latro bonus dixit socio* ), nam digna factis recipimus : hic verò nihil mali gessit. *Ibid* 23. 41.

*Petentibus quibusdam Judæis corde compunctis :* Quid faciemus, viri fratres ? *ait Petrus :* Pœnitentiam — agite, et baptizetur unusquisque vestrûm, etc. *Actor.* 2. 37. *Vide c.* 3. 19.

Nunc gaudeo ( *inquit Paulus* ) — quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis : quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. 2. *Cor.* 7. 9. 10.

*Pœnitentium felicitas temporalis.*

*Abrahæ uxor à rege Abimelech tollitur, sed Domini jussu cum magnis donis intacta redditur ; et Abraham orante, salus domini regis restituitur. Gen. c.* 20. *per totum.*

*Maria soror Moysis, pœnitentiam agens de murmuratione contra fratrem, precibus ejus liberatur à leprâ, et pristinæ sanitati restituitur. Num.* 12. 11.

*Israëlitæ, pœnitentiam agentes, contra ignitos serpentes remedium consequuntur in serpente æneo,* quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. *Ibid.* 21. 9.

*David cùm de peccato suo pœnitentiam egisset, ex ipsâ Bethsabeâ, cum quâ prius peccaverat, jàm sibi in uxorem copulatâ genuit filium sapientissimum et potentissimum Salomonem.* 2. *Reg.* 12. 24.

Cùmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum : sufficit : nunc contine manum tuam.

2. *Reg.* 24. 16. *Item.* 1. *Paral.* 21. 15.

*Achab, cùm ob cædem innocentis Naboth ei exterminium totius suæ domûs ab Eliâ denuntiaretur, egit pœnitentiam,* scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. *Dixit ergò Dominus ad Eliam:* Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est meî causâ, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. 29.

*Urbs Samaria à Syris obsessa, et ingenti fame oppressa, ob regis, cilicio se induentis, et totius populi pœnitentiam, mirabiliter liberatur.* 4. *Reg.* 6. 30 *et c.* 7. 7.

Pro eo — (*inquit Dominus ad Josiam, quod pœnitentiam egisti*) ego audivi (*te*), ait Dominus : idcircò colligam te ad patres tuos, et colligeris in sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum. *Ibid.* 22. 19. 20. *Item* 2. *Paral.* 34. 26. *et sequentes.*

*Deus oratione David placatus, cessare fecit pestem magnam, et præcepit Angelo percutienti, ut converteret gladium suum in vaginam.* 1. *Paral.* 21. 27.

Cùmque vidisset Dominus, quòd humiliati essent (*principes, et rex Israël*), factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens : quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillùm auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. 2. *Paral.* 12. 7.

Humiliatusque est posteà (*rex Ezechias*) — tàm ipse, quàm habitatores Jerusalem; et idcircò non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ib.* 32. 26.

*Vidit Deus pœnitentiam Ninivitarum;* et misertus est — super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. *Jonæ* 3. 10.

Machabæus autem, et qui cum ipso erant, appropinquante illo (*scil. Timotheo cum magno exercitu*), deprecabantur Dominum, caput terrâ aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, *ut sibi propitius esset. Ob quam pœnitentiam insignem victoriam de hostibus reportaverunt.* 2. *Mach.* 10. 25.

*Matthæus publicanus et pœnitens, fit Apostolus et Evangelista. Matth.* 9. 9. *Vide Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 28.

*Affirmat Christus Dominus, quòd majus* gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. *Luc.* 15. 7. *Vide Matth.* 18. 13.

*Filius prodigus per pœnitentiam reversus ad patrem, osculo et convivio ab eodem*

*excipitur. Ibid. v.* 20. *et seq. usq. ad finem.*

*Zachæus publicanus et pœnitens, meretur Christum Dominum hospitio excipere. Ibid.* 19. 6.

*Latroni pœnitenti in cruce, paradisus à Christo promittitur. Ibid.* 23. 43.

*Magdalenam pœnitentem Christus facit suam discipulam, et ad ejus preces Lazarum à mortuis resuscitat. Joan.* 11. 32. *et seq. usquè ad* 45.

*Deindè illam Dominus primâ suî apparitione post resurrectionem suam, multisque aliis gratiis dignatur. Ibid.* 20. 15. *Vide. Matth.* 28. 9. *Marc.* 16. 9.

*Petrus post trinam negationem pœnitens, Princeps Apostolorum, et caput Ecclesiæ constituitur. Joan* 21. 15. *et Vide Matth.* 16. 18. 19.

*Pœnitentiæ contemptus quam noxius. Dicta et exempla..*

*Principes, et populus Israël* subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio, etc. 2. *Paral.* 36. 14. *et* 16.

*Neglecto Deo, frustrà se munit Jerusalem ad resistendum Assyriis. Isa. c.* 22.

*Dominus in Jerusalem quærit virum justum, ut illi misereatur; sed tàm plebs quàm optimates in pravitatibus suis, et idololatriâ indurati sunt, et effusi; ideò comminatur eis vastationem, etc. Jerem. c.* 5. *per totum. Vide et. c.* 15. 5.

*Cùm vellet sanare Dominus Israël, revelata est iniquitas ipsorum, et noluerunt, etc. Oseæ c.* 7. *per totum.*

Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum : et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dixit Dominus. *Aggæi* 2. 18. *Item Amos* 4. 9. *et sequentes.*

Tunc cœpit (*Jesus*) exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam : Væ tibi, etc. *Matth.* 11. 20. *et seq. Item. Luc.* 10. 13.

Et dedi illi (*mulieri Jezabel*) tempus, ut pœnitentiam ageret: et non vult pœnitere à fornicatione suâ. Eccè mittam eam in lectum : et qui mœchantur cùm eâ, in tribulatione maximâ erunt — Et filios ejus interficiam in morte. *Apoc.* 2. 21. *et seq.*

Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, *qui pœnitentiam non egerunt de operibus suis malis. Ibid.* 9. 18. *Vide et c.* 16. 9.

*Pœnitentia dilata.*

*Esaü postquàm comedit lentis edulium,* abiit, parvipendens, quòd primogenita vendidisset ;

*sed ut demùm vidit, quòd benedictio primogeniti data esset fratri suo Jacob, eum pœnituit*, et irrugiit clamore magno, *sed serò nimis. Gen.* 25. 33. *Vide Hebr.* 12. 17.

*Pharao, licet decem horrendis plagis afflictus et admonitus, semper tamen in crastinum distulit et promisit dimissionem populi, sed nunquàm, nisi post ultimam plagam, eum dimisit. Exod. c.* 7. 8. 9. 10 *et* 11.

*Adonibezec nunquàm pœnituit, quòd septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, sub mensâ suâ ciborum reliquias colligere coegisset, nisi postquàm ipsi hæc pœna irrogata fuit. Judic.* 1. 6. 7.

*David postquàm peccavit, aliquandiù impœnitens permansit, et nunquàm forsitan cogitasset de pœnitentiâ, nisi Nathan Propheta sub parabolâ gravitatem peccati sui ei proposuisset. 2. Reg. c.* 11. *et* 12.

*Anthiochus nullâ unquàm pœnitentiâ fuit ductus, quòd tot mala intulerit Judæis, nisi demùm in morte; tunc enim primùm exclamavit :* Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem etc. *sed vana fuit hæc dilata pœnitentia.* 1. *Mach.* 6. 12.

*Petrus Simonem magum hortatur, ut pœnitentiam agat, et à Deo veniam roget. Actor.* 8. 22. *Sed Simon nil aliud agit et respondet, quàm hoc :* Precamini vos pro me ad Dominum, etc *v.* 24.

*Pœnitentiæ fictæ, falsæ, et hypocritæ exempla.*

Dixitque Caïn ad Dominum: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. *Gen.* 4. 13.

*Esaü pœnituit de peccato venditæ primogenituræ, sed malè : nam lacrymæ ejus non erant pœnitentiæ, sed animi furentis, et indignationis internæ. Ibid.* 27. 38.

*Pharao, plagis Dei in ipsum sævientibus, dolet, et mira pollicetur; sed ubi divina manus fit remissior, mutatâ sententiâ induratur, et denuò divinitùs punitur. Exod. c.* 8. 9. 10. *et* 11.

Dixitque Saül ad Samuëlem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. 1. *Reg.* 15. 24. Peccavi : sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israël, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. *v.* 30.

Et levavit Saül vocem suam et flevit : dixitque ad David : Justior tu es quàm egò : tu enim tribuisti mihi bona : ego autem reddidi tibi mala, etc. *Sed vanam fuisse hanc pœnitentiam et dolorem Saül, ostendit subsequens Davidis persecutio pejor priore. Ibid.* 24. 17. 18.

Et ait rex *( Jeroboam )* ad

virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat, etc. 3. *Reg.* 13. 6.

Itaque cùm audisset Achab sermones istos (*Eliæ plurima illi comminantis mala*), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. *Ib.* 21. 27.

Videntes (*impii in judicio gloriam justorum*) turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquandò in derisum, et in similitudinem improperii. etc. *Sap.* 5. 2. 3. *Vide.* 1. *Mach.* 6. 12. 13.

*Antiochus rex sceleratissimus, cùm sub vitæ finem gravissimas pœnas lueret ob afflictam à se Judæorum gentem, templum sacrilegè spoliatum, et cœlestis Numinis contemptum, peccata sua quidem cognovit, deflevit, ac restituere promisit; misericordiam tamen non est consecutus, quia tantùm propter dolores, quibus torquebatur, pœnitentiam egit.* 2. *Mach.* 9. 12. 13.

*Judas proditor*, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos — dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. *Sed mox abiit*, et laqueo se suspendit, *quod evidens erat argumentum falsæ pœnitentiæ. Matth.* 27. 3. *et seq.*

Tunc Simon (*magus*) et ipse credidit; et cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. *Actor.* 8. 13. Cor tuum non est rectum coram Deo — In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse, *dixit Petrus eidem Simoni mago. v.* 21. *et* 23.

Scitote enim, quoniàm et posteà cupiens (*Esaü, Gen.* 27. 34. *et* 38.) hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam. *Hebr.* 12. 17.

*Pondus.* Vide. *Mensura. Item Titulum Emere.*

PRÆCEPTUM.

*Præcepta divina, gratiâ juvante Dei, servari possunt.* Vide *Legis impletio.*

*Præcepta divina facilia.*

Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè (*ait Moyses ad universum Israël*), non supra te est, etc. Sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. *Deut.* 30. 11. 14.

Judicia Domini vera — desi-

derabilia super aurum — Etenim servus tuus custodit ea. *Psal.* 18. 10. *et seq.*

In viâ testimoniorum tuorum (*Domine*) delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. *Psal.* 118. 14. Viam mandatorum tuorum cucurri. *v.* 32. Deduc me in semitam mandatorum. tuorum *v.* 35.

Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniàm nihil melius est, quàm timor Dei : et nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini. *Eccli.* 23. 37.

Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procellâ navis. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. *Ibid.* 33. 2. 3.

Tollite (*ait Jesus*) jugum meum super vos — Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* 11. 29. 30.

Hæc est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt. 1. *Joan.* 5. 3.

*Utilia, quia per ipsa homo benè ordinatur in corde.*

Dixit — Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israël — ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas : quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes; sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* 15. 38. *et sequentes.*

Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodiè in corde tuo : et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domûs tuæ. *Deut.* 6. 6. *et seq.* *Vide Josue* 1. 8. *Item Prov.* 6. 21. 22.

Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, etc. *Ibid.* 11. 18. *Vide versus sequentes.*

Beati qui scrutantur testimonia ejus (*Domini*). *Psal.* 118. 2. In corde meo abscondi eloquia tua, etc. *v.* 11. In justificationibus tuis meditabor. *v.* 16. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo. *v.* 34. Nisi quòd lex tua meditatio mea est, etc. *v.* 92. In æternum non obliviscar justificationes tuas. *v.* 93. Quomodò dilexi legem tuam, Domine ? *v.* 97.

Mens justi meditabitur obedientiam. *Prov.* 15. 28.

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, etc. *Eccli.* 6. 37. *Vide Psal.* 1. 2.

*Ore.*

Et erit quasi signum in manu

tuâ (*ait Moyses ad populum Israël*), et quasi monumentum antè oculos tuos, et ut lex Domini semper sit in ore tuo. *Exod.* 13. 9.

Docete filios vestros, ut illa meditentur (*scil. verba legis*). *Deut.* 11. 19.

Loquebar (*Domine*) de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. *Ps.* 118. 46.

Omnis enarratio tua (*sit*) in præceptis Altissimi. *Eccli.* 9. 23.

*Opere.*

Custodite igitur et facite (*ait Moyses filiis Israël*) quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram : sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et benè sit vobis, et protelentur dies in terrâ possessionis vestræ. *Deut.* 5. 32. 33. *Vide caput* 13. 4. 18.

Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino : nec addas quidquam, nec minuas. *Ibid.* 12. 32. *Vide v.* 28.

Tu mandasti (*Domine*) mandata tua custodiri nimis. *Psal.* 118. 4. Et levavi manus meas ad mandata tua, ect. *v.* 48. Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. *v.* 60. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, etc. *v.* 112.

Qui credit Deo, attendit mandatis *Eccli.* 32. 28.

*Per illa plenè remuneratur homo : nam consequitur Dei familiaritatem.*

Si ergò audieritis vocem meam (*ait Deus filiis Israël*), et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. *Exod.* 19. 5.

Ponam tabernaculum meum in medio vestrî, et non abjiciet vos anima mea : etc. *Levit.* 26. 11. *Vide* 2. *Cor.* 6. 16.

Elige ergò vitam, ut et tu vivas, et semen tuum : et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, etc. *Deut.* 30. 19. 20.

Quia mandatum lucerna est, et lex lux. *Prov.* 6. 23.

Qui custodit mandatum, custodit animam suam : qui negligit viam suam, mortificabitur. *Ibid.* 19. 16.

Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. *Eccles.* 12. 13.

Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis. est, etc. *Sap.* 6. 19. *Vide et v.* 20. 21.

Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? *Eccli.* 2. 12.

Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ? *Isa.* 66. 2.

Audite vocem meam, et ero

vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni viâ, quam mandavi vobis, ut benè sit vobis, *Jerem.* 7. 23.

Si quis diligit me (*dixit Jesus*) sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14. 23.

*Corporis sanitatem.*

Considera (*ait Moyses ad populum Israël*), quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et è contrario mortem et malum : ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius, ac cæremonias atque judicia ; et vivas atque multiplicet te, benedicatque tibi in terrâ, ad quam ingredieris possidendam. *Deut.* 30. 15. 16.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. *Prov.* 3. 1. 2.

Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. *Eccles.* 8. 5.

Ejeci ergò eos (*filios Israël*) de terrâ Ægypti, et eduxi eos in desertum. Et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis. *Ezech.* 20. 10. 11. *Vide Lev.* 18. 5. *Item Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 12.

*Prolis fœcunditatem.*

Respiciam vos, et crescere faciam (*ait Dominus* ad filios *Israël*) : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. *Levit.* 26. 9.

Si postquàm audieris hæc judicia, custodieris ea, et feceris (*loquitur Moyses ad populum*) ; custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi — et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo et armentis, gregibus ovium tuarum, etc. *Deut.* 7. 12. 13. *Vide et versus seq.*

Utinam attendisses mandata mea (*Israël*), etc. Fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui, ut lapilli ejus. *Isa.* 48. 18. 19.

*Substantiæ temporalis ubertatem.*

Facite præcepta mea (*filii Israël*), et judicia custodite, et implete ea ; ut habitare possitis in terrâ, absque ullo pavore, et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usquè ad saturitatem, nullius impetum formidantes. *Levit.* 25. 18. 19.

Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis. Et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium

tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem : et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terrâ vestrâ. *Ib.* 26. 3. *et seq.* Comedetis vetustissima veterum ; et vetera, novis supervenientibus, projicietis. *v.* 10.

Si autem audieris vocem Domini Dei tui (*ait Moyses populo Israël*), ut facias atque custodias omnia mandata ejus — faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terrâ, etc. *Deut.* 28. 1. *Vide versus sequentes.*

Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quàm aurum. *Eccli.* 29. 14.

Si volueritis, et audieritis me (*dicit Dominus*) bona terræ comedetis. *Isa.* 1. 19.

*Pacis firmitatem.*

Dabo pacem in finibus vestris (*dixit Deus filiis Israël*) dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias : et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, etc. *Levit.* 26. 6. *et seq.*

Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi (*dixit Moyses populo*) ; ut benè sit tibi, et filiis tuis post te, etc. *Deut.* 4. 40.

Pax multa diligentibus legem tuam (*Domine*). *Psal.* 118. 165.

Qui autem timet præceptum, in pace versabitur. *Prov.* 13. 13.

Utinam attendisses mandata mea (*Israël*) : facta fuisset sicut flumen pax tua, etc. *Isa.* 48. 18.

*Honoris celebritatem.*

*Rex David instruens Salomonem filium suum post se regnaturum, dicebat :* Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata — quæ præcepit Dominus Moysi, etc. 1. *Par.* 22. 13.

*Jubente Joïadâ Pontifice*, eduxerunt filium regis (*scil. Joam*) et imposuerunt ei diadema — dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem. 2. *Par.* 23. 11.

*Cyrus rex Persarum, Gentilis, Princeps totius mundi, non verecundabatur dicere :* Præcepit mihi ; *Deus cœli et terræ* ; ut ædificarem ei domum in Jerusalem. 1. *Esdr.* 1. 2. *et c.* 6. 3. *Vide* 2. *Par.* 36. 22.

Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis (*Domine*). *Psal.* 118. 6. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. *v.* 9.

Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis : potens in terrâ erit semen ejus ; generatio rectorum benedicetur : gloria et divitiæ in

domo ejus, etc. *Psal.* 111. 1. *et seq.*

Semen hominum honorabitur hoc, quòd timet Deum etc. *Eccli.* 10. 23. *Videv.* 25. *et* 27.

*Gloriæ perpetuitatem.*

Portio mea in terrâ viventium. *Psal.* 141. 6.

Procurrens quidam genu flexo antè eum ( *Jesum* ), rogabat eum, *dicens :* Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam ? Jesus autem dixit ei — Præcepta nosti : Ne adulteres; Ne occidas; Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris; Honora patrem tuum, et matrem. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi à juventute meâ. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, etc. *Marc.* 10. 17. *et seq. Item Matth.* 19. 16. *et seq. Luc.* 18. 18. *et seq.*

Et scio ( *ait Jesus* ) quia mandatum ejus ( *scil. Patris mei* ) vita æterna est. *Joan.* 12. 50.

*Præcepta divina nobilia, ideò transgressores rigidè puniuntur.*

*Præceptum leve adimplendum dedit Dominus primo parenti*, dicens : Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. *Malè tamen custodivit hoc præceptum et gravem ideò pœnam incurrit. Gen.* 2. 16. 17.

*Mandata Dei, licèt videantur interdùm esse de re parvâ, non tamen parvâ diligentiâ servanda sunt, quia puniuntur graviter transgressores ; undè dixit Deus Adam :* In quocunque enim die comederis ex eo ( *de ligno scientiæ boni et mali* ), morte morieris. *Ibid. v.* 17.

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me. *Exod.* 20. 5.

Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, — ego quoque hæc faciam vobis : Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur, etc. *Levit.* 26. 14. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his, qui oderunt vos. — Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum, propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam. Consumetur incassùm labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt — Immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, et pecora vestra et ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ — Indu-

camque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cùmque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestrî, et trademini in manibus hostium. Postquàm confregero baculum patris vestri : ità ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus : et comedetis, et non saturabimini — Ità ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum. *Levit. Ibid.* 17. *et seq. usquè ad fin.*

Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus — venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. *Deut.* 28. 15. *et seq. usquè ad finem.*

*Saül signanter electus, propter transgressionem mandati divini irrevocabiliter est rejectus.* 1. *Reg.* 15. 23. 26. *et c.* 16. 1.

Quòd si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. *Isa.* 1. 20.

Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium Sancti Israël blasphemaverunt. Ideò iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam, super eum, et percussit eum : et conturbati sunt montes, etc. *Ibid.* 5. 24. 25.

Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniàm non posuistis super cor. Eccè ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, etc. *Malach.* 2. 2. 3.

*Æternaliter.*

Maledicti qui declinant à mandatis tuis (*Domine*). *Psal.* 118. 21. Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis. *v.* 118.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Prov.* 28. 9.

Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris, in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti (*dixit Dominus filiis Israël*). *Jerem.* 11. 3. 4.

Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum : eò quòd abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit. *Amos* 2. 4.

Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur : multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus. *Hebr.* 12. 25.

*Præcepta Ecclesiæ in conscientiâ, et sub peccato obligant.*

*Qui* Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Matth.* 18. 17. *Vide* 2. *Thess.* 3. 14.

Visum est — Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, etc. *Actor.* 15. 28.

*Paulus præcipiebat cunctis Ecclesiis custodire præcepta Apostolorum et Seniorum. Ib. v.* 41.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* 13. 2. Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *v.* 5.

*Præcepta humana condigna reverenter sunt observanda.*

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. *Prov.* 8. 15. 16.

Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias : Hæc dicit Dominus — Pro eo, quòd obedistis præcepto Jonadab patris vestri — non deficiet vir de stirpe Jonadab — stans in conspectu meo cunctis diebus. *Jerem.* 35. 18. 19.

Perambulabat autem (*Paulus*) Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum. *Actor.* 15. 41.

Cùm autem (*Paulus et Timotheus*) pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et Senioribus, qui erant Jerolymis. *Ibid.* 16. 4.

Itaque, fratres, state; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

*Indigna magnanimiter contemnenda.*

Et dixit Dominus : Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, et timuerunt me mandato hominum, et doctrinis : ideò eccè ego addam ut admirationem faciam populo huic — peribit — sapientia à sapientibus, etc. *Isa.* 29. 13. 14.

Ipse autem (*Jesus*) respondens, ait illis (*Pharisæis*) : Quarè et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? *Matth.* 15. 3. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias (*Isa.* 29. 13.) dicens : Populus hic, etc. *v.* 7. 8. *Vide Marc.* 7. 6.

Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. *Actor.* 5. 29.

Quam ob causam increpa illos durè : ut sani sint in fide,

non intendentes Judaïcis fabulis, et mandatis hominum, aversantium se à veritate. *Tit.* 1. 13. 14.

PRÆDESTINATIO.

*Prædestinatio divina imperscrutabilis.*

Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriâ. *Pr.* 25. 27.

Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? *Sap.* 9. 13. *Vide Isa.* 40. 13. *Item* 1. *Cor.* 2. 16.

Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Eccli.* 3. 22. *et seq.* Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. *v.* 26.

Dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum. *Isa.* 45. 3.

Nonne frater erat Esaü Jacob? dicit Dominus; et dilexi Jacob, Esaü autem odio habui. *Malach.* 1. 2. 3. *Vide et Rom.* 9. 13.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. *Matth.* 20. 16.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* 11. 33. 34.

*Irreprehensibilis.*

Figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus. *Sap.* 15. 7.

Non dicas: Ille (*Deus*) me implanavit (*scil. in errorem impulit*): non enim sunt ei necessarii homines impii. *Eccli.* 15. 12.

Et ipsis benedixit; — et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit, — et convertit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, et disponere. Omnes viæ ejus secundùm dispositionem ejus, sic homo in manu illius, qui se fecit. *Ibid.* 33. 12. *et seq.*

Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. Nunquid dicit lutum figulo suo: Quid facis? et opus tuum absque manibus est? *Isa.* 45. 9.

Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israël, ait Dominus? eccè sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu meâ. *Jerem.* 18. 6.

Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui. *Rom.* 8. 29. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem

justificavit, illos et glorificavit. *v.* 30.

Quid ergò dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit (*Exod.* 33. 19.): Miserebor cujus misereor: et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Ibid.* 9. 14. *et seq.* Ergò cujus vult miseretur, et quem vult, indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ, vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *v.* 18. *et seq.*

Qui (*Deus*) prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ suæ, etc. *Ephes.* 1. 5. 6. *Vide et v.* 11.

In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea et fictilia: et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergò emundaverit se, etc. 2. *Tim.* 2. 20. 21.

Audientes autem Gentes, gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini: et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. *Actor.* 13. 48.

*Prædicatio verbi Dei.*
Vide *Verbum Dei.*

*Prædicatores.*
Vide *Concionatores.*

*Præfecti.* Vide *Superiores* et *Pastores.* Item *Principes.*

*Prælati.* Vide infrà *Titulum Principes.*

PRÆSENTIA DEI.

*Caïn ad patrandum fratricidium locum solitarium quærit, quasi Deus ubique præsens ibi eum non videret. Sed infelix expertus est, scelus suum à Deo fuisse visum. Gen.* 4. 8.

*Henoch fuit tàm sanctus, et placuit Deo, quia cum Deo ambulavit. Ibid.* 5. 22.

*Sic etiam Noë vir justus atque perfectus fuit, quia cum Deo ambulavit. Ibid.* 6. 9. *Vide et de Abraham c.* 17. 1. *Et sic etiam de Moyse testatur Paulus:* Invisibilem enim (*Deum*) tanquàm videns sustinuit: *id est: ità Deum sibi semper habuit præsentem, ac si oculus eum videret. Hebr.* 11. 27.

*Elias de se affirmat, quòd*

*semper in præsentiâ Dei versetur; ait enim :* Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto. 3. *Reg.* 17. 1. *et c.* 18. 15.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniàm à dextris est mihi, ne commovear. *Psal.* 15. 8. *Item Actor.* 2. 25.

Quò ibo à spiritu tuo (*Deus*)? et quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades : si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ità et lumen ejus. *Psal.* 138. 7. *et seq.*

*Duo senes impudici Susannam ad flagitium sollicitant, quia Dei præsentiam è memoriâ excluserunt :* Everterunt *enim* sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum. *Quarè dicunt ad Susannam* : Eccè ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt. *Dan.* 13. 9. 20.

*E contrà Susanna gravissimam tentationem vicit, memoriâ præsentiæ Dei roborata: respondit enim senibus:* Melius et mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. *Ibid. v.* 23.

Judas verò (*Machabæus*), et qui cum eo erant, invocato Deo per orationes, congressi sunt (*cum hoste*) ; manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minùs triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati. 2. *Mach.* 15. 26. 27.

*Christus Dominus antè suam ascensionem in cœlum, ut discipulis suis solatium simul et robur ad sustinendos apostolicos labores relinqueret, ait illis :* Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus, usquè ad consummationem sæculi. *Matthe.* 28. 20.

PRECATIO. *Vide et* ORATIO.

*Precationum variæ formulæ : exempli gratiâ.*

*Nuptiis benedicendi.* Imprecantes prospera sorori suæ (*scil. fratres Rebeccæ*), atque dicentes : Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum. *Gen.* 24. 60.

*Populo benedicendi.* Sic benedicetis (*inquit Deus*) filiis Israël, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum

suum ad te, et det tibi pacem. *Num.* 6. 25. *et seq.*

*Salutandi et benè precandi.* *Venit Booz* de Bethlehem, dixitque messoribus : Dominus vobiscum. Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus. *Ruth.* 2. 4.

*Item nuptiis benedicendi.* Respondit omnis populus, qui erat in portâ, et majores natu — Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israël : ut sit exemplum virtutis in Ephratâ, et habeat celebre nomen in Bethlehem : fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hâc puellâ. *Ibid.* 4. 11. 12.

*Regem consecrandi.* Quomodò fuit Dominus cum domino meo rege *( David )*, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus à solio domini mei regis David. 3. *Reg.* 1. 37. Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen *( David )* et magnificet thronum ejus super thronum *( David ).* *v.* 47.

PRIMITIÆ *Vide et* DECIMÆ.

*Primitiæ fructuum debentur Deo, ejusque Sacerdotibus.*

Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere. *Exod.* 22. 29.

Primitias frugum terræ deferes in domum Domini Dei tui. *Ibid.* 23. 19.

Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. *Ibid.* 34. 26.

Separate apud vos primitias Domino. etc. *Ibid.* 35. 5. *Vide. c.* 25. 2.

Loquere filiis Israël *( ait Dominus ad Moysen )*, et dices ad eos : Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem. *Lev.* 23. 10. *Vide et c.* 27. 30. *et seq.*

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israël, ad sacerdotem pertinent. *Num.* 5. 9.

Locutusque est Dominus ad Aaron : Eccè dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi et filiis tuis, pro officio sacerdotali, etc. *Ibid* 18. 8. Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos *( loquitur Dominus ad Aaron )* : qui mundus est in domo tuâ, vescetur eis. *v.* 13. *Vide et v.* 11. 12. *et sic per totum Caput. Item Deut.* 12. *v.* 6. 11. 17. *et c.* 14. 23.

Primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione *( accipient sacerdotes, ait Dominus ). Deut.* 18. 4.

Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. *Ibid.* 26. 2. *Formula præscribitur offerendi primitias, versu* 10. *Vide et versum.* 12.

Quod cùm percrebuisset in auribus multitudinis (*scilicet quòd Ezechias præceperit dari Sacerdotibus et Levitis partes*), plurimas obtulêre primitias filii Israël frumenti, vini, et olei, mellis quoque, et omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 2. *Paral.* 31. 5. *Vide et versus sequentes. Item Exech.* 45. 13. 16.

Et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructûs omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini, etc. 2. *Esdr.* 10. 35. *Vide et v.* 36. Et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis, etc. *v.* 37. *et reliqua usq. ad finem.*

Honora Dominum de tuâ substantiâ, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei: et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3. 9. 10. *Vide Tob. c.* 6. 7.

PRIMOGENITUM.

*Primogenitum omne Deo consecratum.*

Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël, tàm de hominibus, quam de jumentis: mea sunt enim omnia. *Exod.* 13. 2. *Vide et v.* 12.

Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Ibid.* 22. 29. *Vide Ezech.* 44. 30.

Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. *Ibid.* 34. 20. *Vide et v.* 19.

Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, et vovere: sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. *Levit.* 27. 26.

Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in terrâ Ægypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israël, ab homine usquè ad pecus, mei sunt: ego Dominus. *Num.* 3. 13.

Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israël, tàm ex hominibus, quàm ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terrâ Ægypti, sanctificavi eos mihi. *Ib.* 8. 17.

De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, et in ovi-

bus tuis, quidquid est sexûs masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium. *Deut.* 15. 19. *Vide* 1. *Reg.* 1. 24.

Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. *Luc.* 2. 23.

PRINCIPES ET SUPERIORES BONI.

*Bonus Prælatus Moyses multoties introivit ad Pharaonem pro causâ populi, ut eum liberaret de servitute Ægyptiacâ. Exod. c.* 5. 7. 9. 10.

*Populum timentem Moyses confortabat, dicens :* Nolite timere, etc. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. *Ibid.* 14. 13. *Ore quidem verba dicebat, sed corde Dominum exorabat, uti patet ex v.* 15.

*Clamabat pro populo ad Dominum Moyses, quandò murmurabat populus contra eum. Ibid.* 15. 24. 25. *Vide et c.* 32. 11.

*Cùm pugnaret Israël contra Amalec, non ivit Moyses ad prælium, sed tantùm stans in vertice collis, ad orandum Dominum se convertit. Ibid.* 17. 9. *et seq.*

*Recessurus à populo Moyses, et iturus ad montem, bonos vicarios reliquit, videlicet Aaron et Hur. Ibid.* 24. 14.

*Desiderabat Moyses, ut omnes de populo prophetarent, licet honor suus minui videretur. Num.* 11. 27. 29.

*Post reditum exploratorum dixit Dominus ad Moysen :* Usquequò detrahet mihi populus iste? — Feriam igitur eos pestilentiâ — te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem, quàm hæc est. *Sed noluit Moyses ad majorem transferri prælationem. Ibid.* 14. 11. 12.

*Pereunte populo pro murmure et tumultu, quem faciebat contra Moysen et Aaron,* dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, ut roges pro eis, etc. *Ib.* 16. 46. Quod cùm fecisset Aaron — obtulit thymiama — pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. *v.* 47. *et* 48.

*Moriturus Moyses sollicitè rogavit Dominum, ut populo de duce idoneo provideret. Ibid* 27. 15. *et seq.*

Servivitque Israël Domino cunctis diebus Josue, etc. *Bonus enim Prælatus et Princeps multùm confert ad populum in viâ Domini dirigendum. Josue* 24. 31.

*Samuël judicabat Israël, et ibat circumiens Bethel, et Galgala, et Masphat, ut omnes, qui eo indigebant, faciliùs possent ad ipsum habere accessum.* 1. *Reg.* 7. 15.

*Dixit Samuël ad populum :* Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam. *Ibid.* 12. 23.

*Videns David Angelum percutientem populum, obtulit se percutiendum pro eo:* Vertatur (*inquit*), obsecro, manus tua contra me, etc. 2. *Reg.* 24. 17. *Item.* 1. *Paral.* 21. 17.

Audivit itaque omnis Israël judicium, quod judicasset rex (*Salomon de duabus mulieribus*), et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, etc. 3. *Reg.* 3. 28.

*Ezechias rex Juda fecit serpentem æneum confringi, eò quòd esset populo idololatrandi occasio.* 4. *Reg.* 18. 4.

*Signum est, quòd Dominus diligat populum, quandò dat ei bonum Prælatum: undè regina Saba dixit Salomoni:* Quia diligit Deus Israël (*populum suum*) — idcircò posuit te super eum regem, ut facias judicia atque justitiam. 2. *Paral.* 9. 8. *Item.* 3. *Reg.* 10. 9.

*Josaphat rex Juda constituit judices super populum, et eos valdè fideliter et prudenter instruxit:* Videte, ait, quid faciatis, etc. *Ib.* 19. 5. 6. *Vide totum versum, et sequentem quoque.*

Orante Esdrâ — et flente (*pro transgressione populi*) — collectus est ad eum de Israël cœtus grandis nimis virorum et mulierum et puerorum, et flevit populus fletu multo (*ad exemplum ejus*). 1. *Esdr.* 10. 1.

*Auditâ Holophernis potentiâ*, Eliachim sacerdos Domini magnus circuivit omnem Israël: allocutusque est eos, dicens, Scitote, quoniàm exaudiet Dominus preces vestras, si etc. (*sicque populum bonis exhortationibus confortabat.*) *Judith* 4. 11. 12. *et seq.*

*Bonus Princeps sive Prælatus debet esse quasi bonus pater populi sui: hinc dicit Isaias:* Erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda. *Isa.* 22. 21.

*Principis seu Prælati boni requisita, in Paulo se manifestant.*

*Ad bonum Prælatum specialiter et summè pertinet dilectio, quam habere debet ad subditos, sicut diligebat Pastor ille optimus, Princeps Pastorum, qui posuit animam suam pro ovibus suis. Joan.* 10. 11. *Sic etiam Paulus miro modo eâ dilectione fervebat; undè dicebat:* Ego autem libentissimè impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minùs diligar (*à vobis*). 2. *Cor.* 12. 15. *Vide et Philipp.* 4. 1. *ubi ait:* Fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea, etc,

*Porrò debet in Prælato esse scientia Scripturæ, etc: Hinc dicitur Sap.* 6. 23. Diligite lumen sapientiæ, omnes, qui præstis populis: *alioquin quomodò posset lepram â non leprâ discernere, vel commissum sibi populum judicare? Ipse verò Paulus de divinis et hu-*

*manis excellentissimam habebat cognitionem, qui parvulis in Christo lac potum dabat, et inter perfectos sapientiam loquebatur, etc.* 1. *Cor.* 2. 6. *et c.* 3, 1. 2.

*Ex amore verò subditorum, et notitiâ Scripturarum, sollicitudo in præsidente provenit,* qui præest in sollicitudine. *Rom.* 12. 8. *Quâ quidem sollicitudine Paulus erga proximos ardentissimè afficiebatur: propter quod ait,* 2. *Cor.* 11. 28. Præter illa, quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Item alibi:* Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, etc. *Col.* 2. 1.

*Ex prædictis tribus requisitis debet sequi instructio imperitorum, undè promittit Dominus:* Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ. *Jerem.* 3. 15. *Et juxta id, quod dixit Artaxerxes Esdræ et judicibus populi:* Imperitos docete liberè. 1. *Esdr.* 7. 25. *Et hoc profectò liquet fecisse Paulum Doctorem Gentium, qui verbo et scripto docuit universum mundum:* Odorem notitiæ suæ *(Deus)* manifestat per nos in omni loco, etc. 2. *Cor.* 2. 14. Et ad hæc quis tàm idoneus? etc. *v.* 16. Doctor gentium in fide et veritate. 1. *Tim.* 2. 7.

*Debet etiam bonus prælatus officia disponere et ordinare inter subditos, sicut Moyses, qui consilio Jethro instituit in populo tribunos, centuriones, quinquagenarios, et decanos. Exod.* 18. 21. 25. *Paulus quoque in Ecclesiâ similia faciebat:* Cætera autem (*inquit*), cum venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34. Hujus rei gratiâ *(inquit alibi)* reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

*Item debet pusillanimes et timidos animare, sicut fecit Moyses, quandò dixit populo pavescenti, Exod.* 14. 13. Nolite timere — Dominus pugnabit pro vobis. *Et hoc utique Paulus optimè faciebat:* Confortamini (*inquit*) in Domino, et in potentiâ virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, etc. *Ephes.* 6. 10. 11. *et seq. Item Hebr.* 12. 3. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.

*Item in bono Prælato debet esse defensio oppressorum, sicut Onias summus sacerdos constanter restitit Heliodoro, volenti templum Domini spoliare.* 2. *Mach.* 3. 10. *et seq. Quàm viriliter autem Paulus restiterit pseudoapostolis Judæis, patet passim in Actibus Apost. Et* 2. *Cor.* 11. 21. *ait:* In quo quis audet — audeo et ego. *Et ideò dicebat se pugnare,* 1. *Cor.* 9. 26. Sic pugno,

non quasi aerem verberans. *Et* 2. *Tim.* 4. 7. Bonum certamen certavi, etc.

*Prætereà debet esse consolator afflictorum, velut Eliachim, cùm Holophernes Bethuliam obsedisset. Judith* 4. 11. *et seq. Paulus autem non erat inferior in hâc parte; undè ait,* 2. *Cor.* 1. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ : ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt. *Et Hebr.* 13. 22. Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis, verbum solatii. *Verba etiam consolatoria habuit maximè ad Philipp. et Thessalonic., utì patet inspicienti.*

*Debet insuper bonus Prælatus pigros et tepidos excitare; quod fecit Patriarcha Jacob, qui audiens*, quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quarè negligitis? etc. *Gen.* 42. 1. *Et hoc strenuus et vigil Paulus optimè noverat facere: hinc inquit Rom.* 13. 11. Hora est jàm nos de somno surgere. *Et Ephes.* 5. 14. Surge, qui dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus. *Et* 2. *Tim.* 1. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

*Item debet indigentibus pro possibilitate suâ, quantùm ad necessaria, subvenire. Exemplum est de hoc in Eliseo, qui viginti panes fecit populo distribui,* 4. *Reg.* 4. 42. 43. *Quod et Paulus diligenter implebat, memor illius verbi, Actor.* 20. 35. Beatius est magis dare, quàm accipere, *prout ipse refert: cùm verò non habebat quod dare posset, ab aliis sollicitè procurabat; et hoc optimè apparet,* 1. *Cor.* 16. 1. De collectis autem, etc. *Item* 2. *Cor.* 9. 6. Qui parcè seminat, parcè et metet, etc.

*Insuper ad eum pertinet superbos et timidos refrænare et humiliare: quod volens facere Moyses, increpando dicebat:* Multùm erigimini, filii Levi. *Num.* 16. 7. *Samuel etiam dixit Saüli:* Quarè — non audisti vocem Domini? etc. 1. *Reg.* 15. 19. *Et in hâc etiam arte Paulus erat valdè peritus; undè ait,* 1. *Cor.* 4. 18. 19. Tanquàm non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit, et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem, etc. *Et* 1. *Tim.* 6. 17. Divitibus hujus sæculi præcipe, *ne elato sint animo.*

*Rursùs etiam bonus Prælatus distantes, et ad eum accedere non valentes, debet personaliter visitare: quod benè Samuël adimplebat, qui* circuiens Bethel, et Galgala, et Masphath — judicabat Israël

1. *Reg.* 7. 16. *Et quid fecit Apostolus Paulus? Hic sanè à Jerusalem usquè ad ultimum mare replevit omnia loca Evangelio Christi. Rom.* 15. 19. *et seq. ità ut vitam suam cursum quemdam nominaverit,* 1. *Cor.* 9. 26. Sic curro, non quasi in incertum. *Et iterùm dicit idem Apostolus,* 2. *Tim.* 4. 7. Cursum consummavi, etc.

*Item debet delinquentes et transgressores punire, sicut fecit Moyses, quandò populus vitulum conflatilem adoravit. Exod.* 32. 19. 20. *Neque in hâc parte Paulus negligens erat, sed dicebat,* 2. *Cor.* 10. 4. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, etc. *Et v.* 6. In promptu habemus ulcisci omnem inobedientiam. *Et* 1. *Cor.* 4. 21. Quid vultis? In virgâ veniam ad vos, an in caritate, et spiritu mansuetudinis?

*Item bonus Prælatus debet contumaces de populo et pestiferos extirpare, sicut fecit Moyses cum Core, et his qui adhæserunt illi:* Tu (*inquit*), et omnis congregatio tua, state seorsùm, etc. *Num.* 16. 16. *Deindè dixit ad reliquos:* Recedite à tabernaculis hominum impiorum, etc. *v.* 26. *Sic etiam Paulus de illo, qui tenebat novercam suam, ait:* Ego — judicavi — tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, etc. 1. *Cor.* 5. 3. 5. *Et paulò post inquit, v.* 7. Expurgate vetus fermentum, etc. *Sic et* 1. *Tim.* 1. 20. *Hymenæum et Alexandrum tradidit Satanæ,* ut discant non blasphemare.

*Postremò debet pro universis orare, sicut faciebat Moyses, qui orabat Dominum pro populo, Exod.* 32. 11. *et Num.* 14. 19. *Et Samuël dicit,* 1. *Reg.* 12. 23. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis. *Hoc autem et Paulus diligentissimè adimplevit; sic enim ait, Rom.* 1. 9. 10. Sine intermissione memoriam vestrî facio semper in orationibus meis, etc. *Et* 2. *Thess.* 1. 11. Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos *vocare Deus etc. Vide et* 1. *Thess.* 1. 2. *Item hoc ipsum fieri hortabatur: dicens,* 1. *Tim.* 2. 1. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, etc.

*Principum, et Superiorum, item Prælatorum malorum exempla.*

Dixitque (*Moyses*) ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? *Nam multùm peccat Prælatus in subditos, quandò eorum pravæ acquiescit voluntati*). *Exod.* 32. 21.

*Præcepit Dominus Moysi, dicens:* Tolle cunctos prin-

cipes populi, et suspende eos contra solem in patibulis. *Num.* 25. 4.

*Malè corripuit Heli filios suos, quod multùm displicuit Domino.* 1. *Reg.* 2. 12. *et seq. Vide et v.* 22. *et seq. Item et c.* 3. 12. *et seq.*

Totumque pondus prælii versum est in Saül: *undè et cecidit.* 1. *Reg.* 31. 3. 6. 9. *Item* 1. *Paral.* 10. 3. *per totum.*

*Propter peccatum, quod commisit David in numeratione populi, mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum.* 2. *Reg.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

*Quia Roboam populum nimis gravare voluit, magna pars ipsius ab eo recessit.* 3. *Reg.* 12. 19. *Item* 2. *Par.* 10. 19.

*Occasionem dedit Jeroboam populo recedendi à cultu Dei, quandò vitulos fecit, et adorari eos præcepit. Ibid. v.* 28. *Item* 2. *Paral.* 11. 15.

*Propter malos Prælatos subditi etiam temporaliter affliguntur; undè Elias dixit Achab: Tu conturbas Israël, et totam domum patris tui. Ibid.* 18. 18.

Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum, etc. Non pugnabitis contra minorem, et majorem quempiam, nisi contra regem Israël solùm (*ille autem erat Achab nequissimus*). *Ibid.* 22. 31. *Item* 2. *Paral.* 18. 30.

Igitur Manasses seduxit Judam et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus à facie filiorum Israël. 2. *Par.* 33. 9. *Item* 4. *Reg.* 21. 9.

*Malorum Prælatorum in Jerusalem peccata expressit Propheta Isaias, dicens:* Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, etc. *Isa.* 1. 23.

*De Nabuchodonosor principe pessimo dicitur:* Tu enim terram tuam disperdidisti; tu populum tuum occidisti, etc. *Ibid.* 14. 20.

Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, etc. *Ibid.* 19. 13.

*Sobna præpositus templi putabat in Jerusalem diù vivere, et moriturus honorificè sepeliri; sed mandavit Dominus ei:* Quid tu hic, aut quasi quis hic? etc. *Ibid.* 22. 16. *Et post pauca sequitur:* Et expellam te de statione tuâ, etc. *v.* 19.

*Sedecias rex Juda dixit principibus, Jeremiam occidi volentibus et petentibus:* Eccè ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare. *Jerem. c.* 38. *v.* 5.

*Contra malos Prophetas et Prælatos dixit Dominus per Ezechielem,* Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis

murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini, etc. *Ezech.* 13. 5.

*Malis Prælatis Dominus per Ezechielem terribiliter comminatur, dicens:* Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? *Et statim describit Propheta pastorum malorum vitia*, Lac (*inquit*) comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentiâ. *Ibid.* 34. 2. *et seq.*

*Scelestissimi fuerunt illi presbyteri, qui condemnaverunt Susannam ad mortem, eò quòd noluit consentire eis, cùm ex hoc magis meruisset laudari. Dan.* 13. 41.

*Rex Demetrius* Alcimum (*proditorem*) impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israël. 1. *Mach.* 7. 9.

Et elegit Bacchides viros impios, et constituit eos dominos regionis, etc. *Ibid* 9. 25. *et seq.*

*Jason, frater Oniæ, qui summum sacerdotium emit ab Antiocho*, statim (*ac obtinuit principatum*) ad gentilem ritum contribules suos tranferre cœpit, etc. 2. *Mach.* 4. 10.

*Proprietates malorum Prælatorum innuit Salvator noster*, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, etc. Dicunt enim, et non faciunt. Alligant — onera gravia, etc. *Matth.* 23. 1. *et seq.* Clauditis (*subjungit Christus*) regnum cœlorum antè homines, vos enim non intratis, etc. *v.* 13. *et seq. per tot. caput.*

*Et apud Joannem inquit:* Mercenarius autem, et qui non est pastor — videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit — quia — non pertinet ad eum de ovibus (*sed curat tantùm de pellibus*). *Joan.* 10. 12.

*Sciebat Pilatus, quòd Judæi per invidiam Dominum tradidissent, sciebat eum esse innocentem; et tamen propter favorem populi et timorem Cæsaris, tradidit eum voluntati eorum. Matth.* 27. 18. *Item Marc.* 15. 10. *Luc.* 23. 25.

*Principes sacerdotum, vocantes Petrum et Joannem, eis* denuntiaverunt, ne omninò loquerentur neque docerent in nomine Jesu. *Actor.* 4. 18.

*Videns Princeps sacerdotum multa signa fieri per Apostolos*, exurgens (*ipse*), — et omnes, qui cum illo erant — injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodiâ publicâ: Angelus autem Domini per noctem *eduxit* eos. *Ibid.*

5. 17. *et seq.* Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos. *v.* 26. *Et post multa consilia* convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne omninò loquerentur in nomine Jesu. *v.* 40.

*Raptus fuit Stephanus à Judæis, et adductus in concilium. Ibid.* 6. 12. *Cùm autem plura objicerentur contra eum, dixit Stephano princeps sacerdotum:* Si hæc ità se habent? *Qui cùm fideliter se excusaret, et duritiam Judæorum acriter increparet, lapidatus est à Judæis, Principibus Sacerdotum nullam displicentiam ostendentibus. c.* 7. 1. *per totum Caput.*

*Quidam homines, habentes puellam, à quâ Paulus ejecit spiritum pythonicum, accusaverunt eum et Silam socium ejus, quòd ipsi civitatem turbarent. Magistratus autem, sine aliquâ probatione, fecerunt Paulum et Silam* virgis cædi, *et in carcerem durum mitti. Ibid.* 16. 22. *et seq.*

*Productus Paulus in concilium cœperat rationabiliter loqui; sed ad primum verbum quod dixit, Princeps sacerdotum fecit eum percuti.* Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundùm legem, et contra legem jubes me percuti? *Ib.* 23. 3.

*Malos præsides et iniquos habuit Paulus, Felicem et Festum, qui volebant gratiam Judæis præstare, et idcircò compulsus est Paulus ad Cæsarem appellare. Actor.* 24. 27. *et c.* 25. 9. 11.

### PRODITIO.

*Proditionis et ejus pœnæ et punitionis, dicta et exempla.*

Dixitque Caïn ad Abel frâtrem suum: Egrediamur foràs. Cùmque essent in agro, consurrexit Caïn adversùs fratrem suum Abel, et interfecit eum, etc. *Genes.* 4. 8.

*Proditio fratrum Dinæ, qui ob stupratam sororem, Sichemitas priùs dolo circumcisos interfecerunt, et urbem vastaverunt; quaproter à patre arguuntur. Ibid. c.* 34. *per totum.*

*Uxor Samsonis Philisthæa tamdiù flevit coram eo, donec problema manifestaret ei; quæ hoc statim manifestavit inimicis Samsonis et civibus suis, etc. Judic.* 14. 17.

*Dalila, cognitâ causâ fortitudinis Samsonis, detonso ipso, tradidit eum Philistæis, à quibus excæcatus est; sed et illos tandem unà cum se ipso interemit. Ibid.* 16. 19. 30.

*Saül promisit se daturum filiam suam David in uxorem, ut per hanc occasionem hic faciliùs à Philisthæis occideretur.* 1. *Reg.* 18. 17. *Vide v.* 25.

*Saülomnes Sacerdotes Nobe, præter Abiathar, qui ad David confugit, per Doeg proditorem jussit interimi. Ibid.* 22. 18. *et seq.*

Salvavit David habitatores Ceilæ *ab exercitu Philisthinorum oppugnantium civitatem. Et tamen voluerunt eum tradere Saül æmulo, ipsum ad mortem persequenti. Ibid.* 23. 5. *Vide v.* 12.

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saül in Gabaa, dicentes: Nonne eccè David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ? — nostrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis. *Ibid. v.* 19. *Vide et c.* 26. 1. *eosdem proditores.*

*Postquàm Saül fleverat, quasi dolens de persecutione David, et David ei juraverat, persecutus est posteà David ità nequiter et acriter utì priùs. Ibid.* 24. 17. 23.

Cùmque rediisset Abner in Hebron, seorsùm adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo: et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asaël fratris ejus. 2. *Reg.* 3. 27.

Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Banna, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridiè. Et ostiaria domûs purgans triticum, obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine — et percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite ejus *aufugerunt, et* abierunt per viam deserti totâ nocte. *Ibid.* 5. 6. *et seq.*

*Urias detulit ad Joab acceptas à David proditorias litteras mortis propriæ. Ibid.* 11. 14.

*Amnon filius David vocaverat sororem Thamar, quasi de manu illius cibum sumere volens, et posteà oppressit eam. Ibid.* 13. 10. *et seq.*

*Vocavit ad convivium Absalom Amnon fratrem suum, et ibidem occidit eum. Ibid. v.* 28.

*Absalom proditoriè in Hebron proficiscens, conjurat adversùs patrem. Ibid.* 15. 7. *Vide v.* 10. *seq.*

*Cùm salutasset Joab Amasam, quasi osculari eum vellet,* percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram. *Ibid.* 20. 10.

*Zambri, dux mediæ partis equitum, occidit Hela dominum suum, et regnavit post eum septem diebus tantùm; obsessus enim fuit, et succendit se, et palatium in quo erat.* 3. *Reg.* 16. 10. *et v.* 15. 18.

*Sellum, filius Jabes, conjuravit contra Zachariam regem Israël dominum suum, et interfecit eum, et regnavit post eum uno mense tantùm.* 4. *Reg.* 15. 10. 13. *Vide et*

*v.* 25. *similem conjurationem Phacee contra Phaceia ; et v.* 30. *Osee contra Phacee.*

*Cùm oraret Sennacherib in templo Deum suum, duo filii ejus percusserunt eum ; sed tamen neuter eorum regnavit post eum. Ibid.* 19. 37.

Tetenderuntque ei (*Amon*) insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo suâ. Percussit autem populus terræ, omnes qui conjuraverant contra regem Amon. *Ibid.* 21 23. 24. *Item* 2. *Par.* 33. 24.

Venit Ismahel filius Nathaniæ, et *multi* cum eo, *et comederunt cum Godoliâ, quem præfecerat rex Babylonis terræ Juda. Et post prandium surrexerunt, et interfecerunt eum, qui nihil mali suspicabatur de illis. Ibid.* 25. 25. *Confer Jerem.* 41. 1. 2.

Qui postquam recessit (*Amasias*) à Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cùmque fugisset in Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi. 2. *Par.* 25. 27. *Vide et v.* 12. *aliam proditionem.*

*Quidam inimici Nehemiæ voluerunt fœdus cum eo malitiosè componere, cogitantes facere ei malum.* 2. *Esdr.* 6. 2. *per totum. Vide* 1. *Esdr.* 4. 2.

*Duo janitores regis Assueri, qui* in primo palatii limine præsidebant, volueruntque insurgere in regem, et occidere eum — et appensus est uterque eorum in patibulo. *Esther* 2. 21. 22.

Misit rex (*Antiochus*) principem tributorum in civitates Juda, et venit Jerusalem cum turbâ magnâ. Et locutus est ad eos (*qui erant intùs*) verba pacifica in dolo : et crediderunt ei. Et irruit super civitatem etc. 1. *Mach.* 1. 30. *et seq.*

*Cùm obsideret Antiochus Eupator Jerusalem, nec posset eam capere,* misit ad eos, *qui intùs erant,* pacem facere, et receperunt illam. Et juravit illis rex — et rupit citiùs juramentum, etc. *Ib.* 6. 60. *et seq. Vide aliam proditionem c.* 9. 40.

*Ptolemæus rex Ægypti quærebat obtinere regnum Alexandri generi suo, dolo, etc. Ibid.* 11. 1.

Thryphon autem cùm iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum. Et regnavit loco ejus. *Ibid.* 13. 31. 32. *Vide et v.* 17 *et* 23.

*Ptolemæus filius Abobi, gener summi sacerdotis, fecit convivium Simoni, et duobus filiis ejus. Et cùm inebriati essent, occidit eos. Ibid.* 16. *v.* 11. 15. 16.

*Simon templi præpositus, thesauros ejus Apollonio duci prodit, ad quos rapiendos missus à rege Heliodorus, percutitur à Deo.* 2. *Mach. c.* 3. *per totum. Vide et cap.* 4. 1.

Qui cùm venisset (*Apollonius*) Jerosolymam, pacem simulans, quievit usquè ad

diem sanctum Sabbati ; et tunc feriatis Judæis, arma capere suis præcepit, *et ingentem multitudinem eorum peremit. Ibid.* 5. 25. 26.

*Audiens Judas Machabæus, quòd illi, qui obsederant turres, ubi erant inimici gentiles, pecuniam acceperint, et quosdam abire permiserint, illos tanquàm proditores, et fratrum venditores interfecit, et confestìm turres occupavit. Ibid.* 10. 20. *et seq.*

*Omnes alias proditiones in nequitiâ et perversitate superat illa, quam facinorosissimus Judas contra Dominum procuravit : qui Dominum et Magistrum suum vendidit pro vili pretio. Matth.* 26. 15. *Et v.* 49. *eum in manus hostium tradidit, osculando. Vide Marc.* 14. 10. 45. *Luc.* 22. 4. 47. *Joan.* 18. 3. *Sed propterea* suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus. *Vide Actor.* 1. 18. *et Matth.* 27. 5.

Collegerunt se quidam ex Judæis, et devoverunt se, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum : *sed detecta est conjuratio, et Paulus sanus evasit. Actor.* 23. 12. *et seq. usq. ad finem.*

PROMISSIO. *Vide et* VOTUM.

*Promissiones Dei cum conditione sunt.*

*Dabit Dominus tibi quidquid juravit dare,* si tamen custodieris mandata ejus, etc. *Deut.* 19. 8.

*Multiplex promittitur observantibus legem benedictio, et transgredientibus maledictio. Ibid. c.* 28. *Idem habetur Levit.* 26. 1. *per totum.*

Propterea ait Dominus Deus Israël ( *ad Heli* ) : Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo, usquè in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus ; Absit hoc à me : sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, etc. 1. *Reg.* 2. 30.

*Dicit Propheta, quòd filius non portabit iniquitatem patris, nec è contrà, sed quisque suam ipsius portabit : quòd si impius pœnitentiam egerit, salvabitur ; justus verò, si suam deseruerit justitiam, damnabitur. Hortatur ergò ad pœnitentiam et cordis innovationem. Ezech. c.* 18. *per tot.*

Si autem dixero impio : Morte morieris : et egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vitâ vivet, et non morietur, etc. *Ib.* 33. 14. 15. Et cùm recesserit impius ab impietate suâ, feceritque judicium et justitiam : vivet in eis. *v.* 19.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16.

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 16. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *v.* 36. *Vide c.* 1. 12.

Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. *Ibid.* 6. 47.

Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Ibid.* 8. 31. 34.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *Ibid.* 13. 17.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis. *Ib.* 15. 7. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *v.* 14.

Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* 8. 17.

Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usquè ad finem firmum retineamus. *Hebr.* 3. 14. *Vide Coloss.* 1. 23.

*Vincenti præmium promittitur. Apoc.* 2. 11. *Vide et v.* 7. 17. *et* 26. *Item capit* 3. *vers.* 5. 12. 21.

Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. *Ib.* 21. 7. *Vide et* 2. *Petr.* 1. 4.



PROPHETA.

*Prophetæ boni à Deo mittuntur.*

Et factum est verbum Domini ad *Jeremiam*, dicens: Priusquàm te formarem in utero, novi te et antequàm exires de vulvâ, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te. *Jerem.* 1. 4. 5. Noli dicere: Puer sum: quoniàm ad omnia, quæ mittam te, ibis: et universa, quæcunque mandavero tibi, loquêris. Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *v.* 7. 8.

Et factum est verbum Domini ad Jeremiam — dicens — Clama ad me, et exaudiam te: et annuntiabo tibi grandia, et firma, quæ nescis. *Ib.* 33. 1. 3.

Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. *Amos.* 3. 7.

Et spiritus prophetarum, prophetis subjecti sunt. 1. *Cor.* 14. 32.

*A malis contemnuntur.*

Prophetam suscitabo eis — similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loquenturque ad

eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. *Deut.* 18. 18. 19.

Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, — At illi subsannabant nuntios Dei, etc. 2. *Paral.* 36. 15. 16. *Vide c.* 24. 19.

Venite, et percutiamus eum (*Jeremiam*) linguâ, et non attendamus ad universos sermones ejus. *Jerem.* 18. 18.

Seduxisti me, Domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti: factus sum in derisum totâ die, omnes subsannant me. Quia jàm olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito: et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum totâ die, etc. *Ibid.* 20. 7. 8.

Et misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, consurgens diluculò, mittensque: et non audîstis, neque inclinâstis aures vestras, ut audiretis, etc. *Ibid.* 25. 4.

Judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversùs civitatem istam, sicut audîstis auribus vestris, etc. *Ibid.* 26. 11. *Vide v.* 8.

Et dixerunt principes regi: Rogamus, ut occidatur homo iste (*scil Jeremias*). *Ib.* 38. 4.

Domus autem Israël nolunt audire te: quia nolunt audire me. *Ezech.* 3. 7.

Et dixi: A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Nunquid non per parabolas loquitur iste? *Ibid.* 20. 49.

Et prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis. *Amos.* 2. 12.

Jesus autem dixit eis (*turbis*): Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, et in domo suâ. *Matth.* 13. 57. *Vide Marc.* 6. 4. *Luc.* 4. 24. *Joan.* 4. 44.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, etc. *Ib.* 23. 29. *Vide versus sequentes usq. ad fin. Item Luc.* 13. 34.

Tunc exspuerunt in faciem ejus — dicentes: Prophetiza nobis, — quis est, qui te percussit? *Ibid.* 26. 67. 68. *Item Marc.* 14. 65.

### PROSPERITAS.

#### *Prosperitas à Deo est.*

Fuitque Dominus cum eo (*Joseph*), et erat vir in cunctis prosperè agens. *Gen.* 39. 2.

In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. 1. *Reg.* 18. 14. *Vide* 2. *Reg.* 5. 10. *Item* 2. *Paral.* 10. 9. *Et de Ezechiâ*, 4. *Reg.* 18. 7.

Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cùm in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israël. Et fui tecum quocunquè perrexisti: et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique

tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terrâ, etc. 1. *Paral.* 17. 7. 8. Domine Deus, quid ultrà addere potest David, cùm ità glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum? Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia. *v.* 18. 19. *Item* 2. *Reg.* 7. *v.* 8. 9. 20. *et* 21.

Sit Dominus tecum (*ait David Salomoni*), et prosperare. *Ibid.* 22. 11.

Confortatus est ergò Salomon — in regno suo, et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. 2. *Par.* 1. 1. *Vide c.* 7. 11. *Item c.* 14. 6. *et c.* 15. 9. *de Asâ. Sic et de Josaphat c.* 17. *v.* 3. 5. *et* 12. *et c.* 18. 1.

Egestas à Domino in domo impii: habitacula autem justorum benedicentur. *Prov.* 3. 33.

Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. *Eccles.* 3. 13.

*Prosperitas impiorum, et eorumdem repentinus interitus.*

*Vide Job per tot. cap.* 21.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et eccè non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus, etc. Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt. *Ps.* 36. 35. *et seq.*

Ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi — Eccè confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversùm te: erunt quasi non sint et peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, et non invenies, etc. *Isa.* 41. 10. *et seq.*

*Prosperitas timentibus Deum promissa.*

Tunc enim proficere (*scil. prosperare*) poteris (*ait David Salomoni*), si custodieris mandata et judicia, quæ præcepit Dominus, etc. 1. *Par.* 22. 13.

Confortamini, et agite diligenter (*ait Josaphat Levitis, etc.*), et erit Dominus vobiscum in bonis. 2. *Paral.* 19. 11.

Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis (*ait Josaphat viris Juda*): credite Prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. *Ibid.* 20. 20.

Cùmque requireret (*Ozias*) Dominum, direxit eum in omnibus. *Ibid.* 26. 5.

Corroboratusque est Joatham, eò quòd direxisset vias suas coram Domino Deo suo, *Ibid.* 27. 6.

*Ezechias requirens Deum toto corde, prosperatus est valdè. Ibid.* 31. 21. *Vide et c.* 32. 30. *Item Psal.* 24. 13. *Isa.* 1. 19.

Utinam attendisses (*Israël*)

mandata mea : facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus, etc. *Isa.* 48. 18. 19. *Vide c.* 58. 8.

Audite vocem meam (*dicit Dominus*), et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni viâ, quam mandavi vobis, ut benè sit vobis. *Jerem.* 7. 23. *Vide c.* 22. 4 *et c.* 32. 39. *et seq. Item Oseæ* 2. 19. *et seq.*

*Prosperitas mundana seu temporalis ejusque abusus, plerumquè ad peccatum incitat et præcipitat.*

*Abundantia rerum temporalium sæpè est multorum occasio peccatorum ; sicut in illâ regione, quæ irrigabatur sicut paradisus, in quâ habitabant Sodomitæ pessimi. Gen.* 13. 10.

*Refert Moyses beneficia Dei, et è contrà populi ingratitudinem. Deut. c.* 32.

*Gedeon cùm parvus esset, et in aream frumentum excuteret, bonus fuit, Angelusque Domini visitavit eum. Post obtentam autem victoriam malè se habuit. Judic.* 6. 11. 12. *et c.* 8. 13. *usquè ad finem.*

*Saül, antequàm rex esset, bonus fuit ; at postquàm regni gubernacula suscepit, intumuit, et mandata Domini præterivit.* 1. *Reg.* 15. 11.

*Post multa bella et victorias de inimicis obtentas, David remanens quietus in Jerusalem, commisit adulterium, et exindè secutum est homicidium.* 2. *Reg.* 11. 4. 15.

*Occasione multitudinis suorum subditorum, David in superbiam elatus est, et fecit populum numerari. Ibid.* 24. 1. *Item* 1. *Paral.* 21. 1.

*Non erat argentum alicujus pretii in diebus Salomonis, quia tanta erat in Jerusalem argenti abundantia, quanta et lapidum. Sed nota quàm mirabile et quàm terribile fuit, quòd plus nocuit ei rerum copia, quàm profuit ejus sapientia.* 3. *Reg.* 10. 27. *Vide c.* 11. 1. *et seq. Item* 2. *Paral.* 1. 15.

*Jeroboam antequàm consequeretur dominium super decem tribus, non legitur fuisse malus, sed potiùs adolescens bonæ indolis et industrius : statim verò ut regnum adeptus est, fecit vitulos aureos, et avertit populum à Deo, ne populus averteretur ab eo. Ib.* 11. 28. *et c.* 12. 28. *et seq.*

*Amasias postquàm debellavit Edom, elevatum est cor ejus, et voluit contra Joas regem Israël prælìari ; sed malè successit ei.* 4. *Reg.* 14. 10. *et seq. Item* 2. *Paral.* 25. 19. *et sequentes.*

Cùmque roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israël cum eo. 2. *Par.* 12. 1.

Cùm roboratus esset ( *Ozias rex Juda* ), elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum; ingressusque templum Domini adolere voluit incensum. *Ibid.* 26. 16.

*Manasses rex Jerusalem fuit pessimus; posteà in Babylonem vinctus ductus est, ubi* postquàm coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valdè coram Deo. *Ibid.* 33. 12.

Et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt ( *Israëlitæ* ), et abundaverunt deliciis in bonitate tuâ magnâ. Provocaverunt autem te ( *Deus* ) ad iracundiam, etc. 2. *Esdr.* 9. 25. 26.

*Aman prosperrimus, incidit in superbiam; et hinc in patibulo brevem suam finivit prosperitatem. Esth.* 5. 9. *et seq. et c.* 7. 10.

Mendicitatem ( *Deus* ) et divitias ( *orat Salaman* ) ne dederis mihi? tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Prov.* 30. 8. 9.

Eccè hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, etc. *Ezech.* 16. 49. *Videt versus sequentes.*

*Statua, quam vidit Nabuchodonosor, quæ percussa à lapide abscisso de monte, redacta est in favillam, satis indicat, prosperitatem hujus mundi nihil esse. Dan.* 2. 31. *et seq.*

*Denuntiat Daniel superbo Nabuchodonosor*: Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cœli infunderis. *Ibid.* 4. 22. *Vide c.* 5. *v.* 20. 21. 23.

Juxta pascua sua adimpleti sunt ( *filii Israël* ), et saturati sunt : et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei, *inquit Dominus. Oseæ* 13. 6.

*Filii Jambri faciebant nuptias magnas, et surrexerunt Judæi ex insidiis, Jonathâ duce, et occiderunt multos; et ità* conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum. 1. *Mach.* 9. *v.* 37. 40. *et* 41. *Vide Jacob.* 4. 9.

*Adolescens, qui quæsivit à Christo, quomodò habere posset vitam æternam, multas habebat possessiones et divitias; idcircò audiens à Christo consilium perfectionis, ut venderet quæ possidebat,* abiit tristis. *Matth.* 19. 22. *Item Marc.* 10. 22. *Luc.* 18. 23.

*Ad contemnendam rerum temporalium nimiam abundantiam, multùm confert exemplum, quod ponit Salvator noster in illo divite stolido, cujus ager uberes afferebat fructus. Cùm autem solli-*

*citus cogitaret destruere horrea sua, et facere majora, ait* illi Deus: Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt? *Luc.* 12. *v.* 16. 18. 20. *Vide et historiam, quam narravit Christus de epulone divite, et paupere Lazaro. Luc.* 16. 19. *Et concludit tandem Christus c.* 12. 21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

*Emptores villæ, et boum, et qui uxorem duxerat, vocati ad cœnam magnam, excusaverunt se tanquàm aliis curis occupati: pauperes verò et debiles fuerunt introducti. Ibid.* 14. 18. *et seq.*

*Cùm populus Herodi magno regi, vestito regali veste, et sedenti pro tribunali, acclamaret:* Dei voces, et non hominis: confestim — percussit eum Angelus Domini — et consumptus à vermibus, expiravit. *Actor.* 12. 21. *et seq.*

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, etc. 1. *Tim.* 6. 17.

PROVIDENTIA. *Vide* DEUS OMNIA REGIT, *et sub tit.* DEUS.

*Providentia Dei adstruitur.*

Ne dederis etc. neque dicas coram Angelo: Non est providentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. *Eccles.* 5. 5.

Dixit enim (*Deus*): In fortitudine manûs meæ (*cuncta*) feci, et in sapientiâ meâ intellexi: et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in eâ? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? quomodò si elevetur virga contra elevantem se, etc. *Isa.* 10. 13. *et seq. Vide Job* 22. 14. *per totum.*

Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos, modicæ fidei? Nolite ergò solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? — Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. *Matth.* 6. 30. *et seq. Vide Psal.* 54. 23. *Luc.* 12. 28. *et seq. Philipp.* 4. 6. 1. *Tim.* 6. 8. 1. *Petr.* 5. 7.

Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini. seq Spiritus Patris vestri, etc. non enim vos estis qui loquimini. *Ibidem* 10. 19. *Vide Luc.* 12. 11. 12.

*Providentia Dei universalis et generalis.*

*Deus præcepit et providit Noë, ut non solùm filios, etc. secum in arcam duceret, sed et ex cunctis animantibus universæ carnis induci mandavit bina, masculini sexûs et feminini, etc. Gen.* 6. 19. *et seq.*

Dominus regit me, et nihil mihi deerit. *Psal.* 22. 1.

Homines et jumenta salvabis, Domine. *Psal.* 35. 8.

Lætentur et exultent gentes, quoniàm judicas populos in æquitate, et gentes in terrâ dirigis. *Psal.* 66. 5.

Omnia à te *( Deus )* expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, etc. *Psal.* 103. 27. *et seq. Vide totum Psal.*

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. *Ps.* 144. 15. 16. *Vide totum Psal. Item Psal.* 145. *et* 146.

*Deus* operit cœlum nubibus : et parat terræ pluviam, etc. *Psal.* 146. 8. *et seq.*

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Prov.* 15. 3.

Pusillum et magnum ipse fecit *( Deus )*, et æqualiter cura est illi de omnibus. *Sap.* 6. 8.

In manu enim illius *( Dei )* et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia. *Ibid.* 7. 16.

Attingit ergò *( Deus )* à fine usquè ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Ib.* 8. 1.

Diligis enim *( Deus )* omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti. *Ibid* 11. 25. *Vide et v.* 26.

Tua autem, pater, providentia *( ab initio cuncta )* gubernat. *Ibid.* 14. 3.

Ego Dominus, et non est ampliùs: extra me non est Deus. — Ut sciant hi, qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniàm absque me non est. Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans malum : ego Dominus, faciens omnia hæc. *Isa.* 45. 5. *et seq. Vide et c.* 42. 5. *Item Amos.* 4. 13.

Nunquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus ? *Jerem.* 23. 24.

Nonne duo passeres asse væneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. *Matth.* 10. 29. 30. *Vide Luc.* 12. 6. 7. *Item Actor.* 27. 34.

Jesus autem respondit eis *( Judæis )* : Pater meus usquè modò operatur, et ego operor. *Joan.* 5. 17.

In ipso enim *( Deo )* vivimus, et movemur, et sumus. *Actor.* 17. 28. *Vide et v.* 25.

Qui *( Deus )* operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. *Ephes.* 1. 11.

Omnia *( hujus universi )* in ipso *( Deo )* constant. *Coloss.* 1. 17. *Vide et v.* 16.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum *( Deum )*, quoniàm ipsi cura est de vobis. 1. *Petr.* 5. 7.

*Providentia Dei specialis, seu particularis.*

Apud Dominum gressus hominis dirigentur : et viam ejus volet. Cùm ceciderit, non collidetur quia Dominus supponit manum suam. *Psal.* 36. 23. 24.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant à Deo escam sibi. *Psal.* 103. 21.

Qui *( Deus )* numerat multitudinem stellarum : et omnibus eis nomina vocat. *Psal.* 146. 4. Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. *v.* 8. *et* 9.

A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam ? *Prov.* 20. 24.

Omnia opera illorum *( hominum )* velut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. *Eccli.* 17. 16.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. *Jerem.* 10. 23.

Et plui *( ait Dominus )* super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui : pars una compluta est; et pars, super quam non plui, aruit. *Amos* 4. 7.

Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam, et exaruit. *Jonæ.* 4. 7.

Nonne duo passeres asse væneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ? *Matth.* 10. 29. *Vide* 2. *Reg.* 14. 11. *Item Luc.* 12. 6.

Deus autem dat illi corpus sicut vult : et unicuique seminum proprium corpus. 1. *Cor.* 15. 38.

*Providentia Dei peculiaris, seu singularis, quâ Ecclesiæ suæ providet.*

Quandò dividebat Altissimus gentes : quandò separabat filios Adam, constituit terminos populorum, etc. Pars autem Domini populus ejus, etc. circumduxit eum, et docuit : et custodivit quasi pupillam oculi sui, etc. *Deut.* 32. 8. *et versus sequentes.*

*Dixit Dominus ad Eliam prophetam, qui repræsentabat totam Ecclesiam :* Vade contra Orientem — et ibi de torrente bibes : corvisque præcepi, ut pascant te ibi, etc. 3. *Reg.* 17. 3. 4. *Vide et versus sequentes.*

Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ,

ibi me collocavit. *Psal.* 22. 1.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. *Psal.* 33. 8.

Et nunc hæc dicit Dominus, creans te, Jacob, et formans te, Israël : Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. Cùm transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cùm ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. etc. *Isa.* 43. 1. 2. *Vide et versus sequentes. Item c.* 42. 6. *et c.* 44. 1. *et seq.*

Quærite ergò primùm regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. *Matth.* 6. 33. *Item Luc.* 12. 31.

Et super hanc Petram (*inquit Salvator Petro*) ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. *Ibid.* 16. 18.

Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth.* 18. 20.

*Omnia secundùm consilium Dei ejusque providentiæ definitum, voluntatem, ac decretum fiunt, et fieri dicuntur.*

*Dixit Joseph ad fratres suos:* Præmisitque me Deus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate hùc missus sum. *Gen.* 45. 7. *Vide et v.* 5.

Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? *Ibid.* 50. 19. *Vide v.* 20. *et* 21.

*Dixit Dominus ad Moysen:* Vide, ut omnia ostenta, quæ posui in manu tuâ, facias coram Pharaone : ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. *Exod.* 4. 21.

Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus: constituam tibi locum, in quem fugere debeat. *Ibid.* 21 12. 13.

Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit : ut impleret pactum suum : etc. *Deut.* 8. 18.

Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quæ possunt audire, usquè in præsentem diem. *Ibid.* 29. 4.

Et non audierunt (*filii Heli*) vocem patris sui : quia voluit Dominus occidere eos. 1. *Reg.* 2, 25.

Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *Prov.* 16. 9.

Multæ cogitationes in corde viri : voluntas autem Domini permanebit. *Ibid.* 19. 21. *Vide et c.* 20. 24. *Item Jerem.* 10. 23.

Non enim est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniàm non injustè judicas judicium. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos

perdidisti. Cùm ergò sis justus, justè omnia disponis, etc. *Sap.* 12. 13. *et seq.*

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc. *Isa.* 45. 6. 7. *Vide et c.* 42. 6. *Item Amos.* 4. 13.

Quarè errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? Indurâsti cor nostrum, ne timeremus te? Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. *Ibid.* 63. 17.

Ego ( *Deus Israël* ) feci terram, et homines, et jumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine meâ magnâ, et in brachio meo extento : et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. *Jerem.* 27. 5.

Sapientia et fortitudo ejus (*Dei*) sunt: et ipse mutat tempora et ætates: transfert regna atque constituit : dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam : ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. *Dan.* 2. 20. 21. *et* 22.

O rex ( *inquit Daniel ad Baltazar*), Deus altissimus, regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. *Ibid.* 5. 18.

Nolite ergò solliciti esse ( *de temporalibus*) — Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. *Matth.* 6. 31 32. *Item Luc.* 12. 29. 30.

Propterea non poterant credere, quia — excæcavit (*Deus*) oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant, etc. *Joan.* 12. 39. *uti dicitur Isa.* 6. 9. *Vide et Matth.* 13. 15. *Marc.* 4. 12. *Luc* 8. 10. *Actor.* 28. 27. *Rom.* 11. 8 *et seq.*

Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3. 5.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bonâ voluntate (*suâ*). *Philipp.* 2. 13.

### *Providentia Dei reverenter expetenda.*

Dixit autem Abraham *( ad filium suum Isaac sollicitum de victimâ ) :* Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. *Gen.* 22. 8.

Multo tempore pugnavit Josue, — non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israël, — omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israël, et caderent : et non mererentur ullam clementiam ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. *Josue* 11. 18. *et seq.*

Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. 2. *Paral.* 16. 9. *Vide Job* 28. 24.

Oculi enim ejus *(Dei)* super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. *Job* 34. 21.

Ego autem in te speravi, Domine : dixi : Deus meus es tu ; in manibus tuis sortes meæ. *Psal.* 30. 15. 16.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus ; populus quem elegit in hæreditatem sibi. De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum — Qui finxit singillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum. *Psal.* 32. 12. *et seq.*

Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala ; ut perdat de terrâ memoriam eorum. *Psal.* 33. 16. 17. *Vide totum Psal. Item Hebr.* 4. 13.

Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, et spera in eo : et ipse faciet. *Psal.* 36. 3. *et seq. Vide totum Psal.*

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo, etc. *Psal.* 54. 23. *Vide Psal.* 106. 6.

Deus judex est. Hunc humiliat, et hunc exaltat. *Ps.* 74. 7. 8.

Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquandò sapite. Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ? Qui corripit gentes, non arguet ; qui docet hominem scientiam ? *Psal.* 93. 8. *et seq.*

Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniàm ipse cognovit figmentum nostrum. *Psal.* 102. 13. 14.

Omnia à te (*Deus*) expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent : aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, etc. Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ. *Psal.* 103. 27. *et seq. Vide Psal.* 135. 25.

*Deus suscitat* à terrâ inopem, et de stercore *erigit* pauperem. *Psal.* 112. 7. *Vide et Psal.* 137. 6. *Item* 1. *Reg.* 2. 8.

Allevat Dominus omnes, qui corruunt ; et erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 14. *et seq.* Propè est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet : et salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se : et omnes peccatores disperdet. *v.* 18. *et seq. Vide et Psal.* 145. *et* 146. *per tot.*

Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus con-

siderat. *Prov.* 5. 21. *Vide c.* 20. 24. *Item Job* 14. 15. *c.* 31. 4. *c.* 34. 21.

Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. *Ib.* 16. 33.

Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. *Eccli.* 15. 20.

Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tuî, etc. *Isa.* 49. 15. *Vide c.* 54. 16.

Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? *Thren.* 3. 37.

*Non est* malum in civitate, quod Dominus non fecerit. *Amos* 3. 6.

Nonne duo passeres asse væneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Noli ergò timere: multis passeribus meliores estis vos. *Matth.* 10. 29. *et seq. Vide Luc.* 12. 6. 7. *Act.* 27. 34.

In ipso enim (*Deo*) vivimus, et movemur, et sumus. *Actor.* 17. 28. *Vide et v.* 25.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? 1. *Petr.* 3. 12. 13.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (*Deum*), quoniàm ipsi cura est de vobis. *Ib.* 5. 7. *Vide Matth.* 6. 25. *et seq. Luc.* 12. 22. *et sequentes.*

*Providentia Dei etiam ad res minimas extenditur.*

Domine, in cœlo misericordia tua: et veritas tua usquè ad nubes. *Psal.* 35. 6. Homines et jumenta salvabis, Domine: quemadmodùm multiplicâsti misericordiam tuam, Deus, etc. *v.* 7. 8.

Nonne duo passeres asse væneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? *Matth.* 10. 29. *Vide Luc.* 12. 6.

*Providentiæ Dei æquitas in remuneratione bonorum.*

Nihil in terrâ sine causâ fit. *Job* 5. 6.

Sed omnia in mensurâ, et numero, et pondere disposuisti (*Domine*). *Sap.* 11. 21.

Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo, facere? *Matth.* 20. 14. 15.

*In punitione malorum.*

Eccè Deus excelsus in fortitudine suâ, et nullus ei similis in legislatoribus. *Job* 36. 22.

Non enim est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniàm non injustè judicas judicium. *Sap.* 12. 13. *Vide et v.* 12. Cùm ergò sis justus, justè omnia disponis — Virtus enim tua jus-

titiæ initium est. *v.* 15. *et* 16. *Vide et versus sequentes.*

Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in eâ? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? quomodò si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. *Is.* 10. 15.

*Imperscrutabilitas ob tribulationem bonorum.*

Unum est, quod locutus sum, et innocentem, et impium ipse consumit. *Job* 9. 22.

Mei autem penè moti sunt pedes : penè effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, etc. *Psal.* 72. 2. 3. *Vide totum Psal. præclarè ad rem nostram facientem.*

Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole; et quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat : etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. *Eccles.* 8. 17.

Sunt justi atque sapientes : et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti; sicut bonus sic et peccator : ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. *Ibid.* 9. 1. *et seq.*

Usquequò, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? *Habac.* 1. 2. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quarè respicis super iniqua agentes : et taces devorante impio justiorem se? *v.* 13.

*Et ob prosperitatem malorum.*

Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me. *Job* 21. 16. *Vide totum caput, et præcipuè v.* 7. *et seq.*

Quid gloriaris in malitiâ? *Ps.* 51. 1.

Et erue me de manu filiorum alienorum — Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute suâ. Filiæ eorum compositæ — Promptuaria eorum plena — Oves eorum fœtosæ — Non est ruina maceriæ — Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt : beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. *Psal.* 143. 11. *et seq. Vide totum Psal.* 36. *et præcipuè v.* 35.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum. *Prov.* 16. 4.

Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ : Justus perit in justitiâ suâ, et impius multo vivit tempore in malitiâ suâ. *Eccles.* 7. 16.

Altiora te ne quæsieris — Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. *Eccli.* 3. 22. 23.

Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te : Quarè via impiorum prosperatur : benè est omnibus, qui prævaricantur et iniquè agunt ? Plantâsti eos, et radicem miserunt : proficiunt, et faciunt fructum : propè es tu ori eorum, et longè à renibus eorum — Congrega eos quasi gregem ad victimam, etc. *Jerem* 12. 1. *et seq.*

Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : In quo eum fecimus laborare ? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent ; aut certè, ubi est Deus judicii ? *Malach.* 2. 17.

*Providentiæ divinæ exempla.*

*Eluxit hæc miro modo, dùm Noë cum totâ suâ familiâ, et omnibus animantibus Deus conservavit in Arcâ ab universali diluvio, quam super aquas direxit, et demum requiescere fecit super montes Armeniæ. Genes. c.* 7. 18. *et c.* 8. 4.

*Abraham se totum commisit divinæ providentiæ, dùm jussus fuit exire de terrâ suâ, et deindè cùm Deus illi præcepit immolare filium suum unigenitum, in quo tamen illi fuit promissa innumerabilis posteritas. Ibid* 12. 1. *et c.* 22. 2.

*Permisit Deus, Joseph Patriarcham vendi à fratribus, et in Ægyptum perduci, ob illum finem, quem Joseph ipse indicat his verbis, alloquens fratres :* Pro salute enim vestrâ misit me Deus antè vos in Ægyptum, etc. *Ibid.* 45. 5. *Item c.* 50. 20. *ait :* vos cogitâstis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me — et salvos faceret multos populos.

*Moyses parvulus flumini in fiscellâ expositus, Deo dirigente, invenitur à filiâ Pharaonis, et ignotæ fœminæ, quæ ipsa Moysis erat mater, ad nutriendum traditur. Ex.* 2. 3. 8. *Vide Act.* 7. 21. *It. Hebr.* 11. 23.

*Filiis Israël per quadraginta annos in deserto pluit manna et coturnix ad manducandum ; et aquam de petrâ abundantem ad bibendum Moyses eduxit. Ib.* 16. 13. *et c.* 17. 6. *Vide Num.* 11. 31. *It. Ps.* 77. 24. 27. *et Ps.* 104. 40. 41.

*Moyses ait populo Israël :* Novit ( *Deus* ) iter tuum, quomodò transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. *Deut.* 2. 7. *Vide et c.* 8. *per tot.*

*Filiorum Israël vestimenta toto illo tempore* non sunt attrita — nec calceamenta pedum — vetustate consumpta sunt. *Ibid.* 29. 5. *Vide et c.* 8. 4. *Item* 2. *Esdr.* 9. 21. *Prætereà nullus eorum per totum iter unquàm ægrotavit. Psal.* 104. 37.

*Saül, dùm asinas patris sui perditas quærit, ungitur in regem Israël.* 1. *Reg.* 9. 3. *et c.* 10. 1.

*Passim legitur, quomodò David inter omnes persecutiones, quas passus est à Saül et à proprio filio Absalom, mirè semper à divinâ providentiâ fuit protectus. Ibid. c.* 18. *et seq et* 2. *Reg. c.* 15. *et seq.*

*Elias cœlum triennio claudit primùmque pascitur à corvis, deindè à muliere Sarephtanâ, cujus hydria farinæ, et lecythus olei non minuuntur.* 3. *Reg. c.* 17.

*Eidem Eliæ, cùm fugeret furorem insidientis Jezabel, et in deserto nihil haberet, quòd manducaret et biberet, Angelus Domini attulit panem et aquam. Ibid.* 19. 1. *et seq.*

Propheta unus accedens ad Achab regem Israël, ait ei : Hæc dicit Dominus : Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? eccè ego tradam eam in manu tuâ hodiè : ut scias, quia ego sum Dominus, etc. *Ibid.* 20. 13.

*Eliseus viduæ debitis oppressæ oleum impetrat, quo solvat creditoribus.* 4. *Reg.* 4. 1. *et seq.*

*Eliseus idem centum homines viginti panibus hordeaceis pavit, et multùm superfuit. Ibid. v.* 42. *et seq. Vide simile de Christo, Matt.* 15. 32. *et seq. Luc.* 9. 13. *et seq. Joan.* 6. 5. *et sequentes.*

Noluit audire Amasias, eò quòd Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom. 2. *Par.* 25. 20. *Vide et simile de Ochoziâ c.* 22. 7. *Item de Josiâ c.* 35. 21. 22.

*Tota historia Job et Tobiæ est argumentum miræ Dei providentiæ : uti et Esther, quæ singulari Dei dispositione fit regina, ut populus Judaïcus liberaretur ab exitio sibi parato. Item tota historia de Jonâ (quas legas et intelliges).*

*Salomon longum texit panegyricun providentiæ divinæ, ejusque multa affert exempla. Sap. c.* 10. *et* 11.

*Christus monet discipulos suos, ne sint solliciti de cibo et vestimento, sed se committant divinæ providentiæ, cujus multa adducit argumenta. Matth.* 6. 25. *et seq. Item Luc.* 12. 22. *et seq.*

*Idem Salvator interrogat discipulos suos :* Quandò misi vos sine sacculo, et perâ, et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil. *Luc* 22. 35. 36.

*Providentia humana.*

Gens absque consilio est, et sine prudentiâ. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. *Deut.* 32. 28. 29.

Frustrà autem jacitur rete antè oculos pennatorum. *Prov.* 1. 17.

Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. *Ibid.* 19. 20.

Callidus vidit malum, et abscondit se : innocens pertransiit, et afflictus est damno. *Ibid.* 22. 3.

Astutus videns malum, abscónditus est : parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia. *Ibid.* 27. 12.

In die bonâ fruere bonis, et malam diem præcave. *Eccles.* 7. 15.

Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. *Sap.* 9. 14.

*Proximi dilectio.* Vide *Dilectio* et *Caritas proximi.*

*Proximo damnum non inferendum.* Vide *Damnum.*

PRUDENTIA.

*Prudentia omnibus necessaria à Deo est.*

Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum (*inquit David rex ad Salomonem*), ut regere possis Israël, et custodire legem Domini Dei tui. 1. *Paral.* 22. 12.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitâris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3. 5. *Vide et v.* 7.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est : et pretiosi spiritûs vir eruditus. *Ibid.* 17. 27.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. *Isa.* 5. 21.

Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, etc. *Ibid.* 30. 1.

Estote ergò prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16.

Et ipse (*Joannes Baptista*) præcedet antè illum (*Dominum*) in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, etc. *Luc.* 1. 17.

Nam prudentia carnis mors est : prudentia autem spiritûs, vita et pax. *Rom.* 8. 6.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *Ibid.* 12. 16.

Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse — prudentem, etc, 1. *Tim.* 3. 2.

Senes — sobrii sint — prudentes, etc *Tit.* 2. 2. Anus similiter — prudentiam doceant adolescentulas — prudentes *sint*, etc. *v.* 3. *et seq.*

Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. *Jacob.* 1. 5.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

*Prudentiæ et discretionis exempla.*

*Prudenter separavit se Abra-*

*ham à Lot, ne pastores ad invicem litigarent. Gen.* 13. 9. *Vide et v.* 9.

*Sapienter divisit Abraham filiis suis, dùm viverent, portiones, ne post mortem ad invicem concertarent. Ibid.* 25. 6.

*Rebecca sagaciter instruxit filium suum Jacob, ut benedictionem patris sui consequeretur, et cum fecit recedere à partibus illis, donec requiesceret furor fratris Esaü. Ibid. c.* 27. *per totum.*

*Artem arte delusit Jacob pulchrè, quandò nolebat ei dare Laban mercedem, pro servitio competentem. Ibid.* 30. 32.

*Sagaciter egit Jacob, quandò debuit obviare irato fratri, quoniàm munera ei misit, res suas divisit, ne uno furoris impetu totum perderet, et res nimis dilectas majori periculo exponeret. Ibid.* 32. 7. 8. *et* 13. *Item c.* 33. *per totum.*

*Prudenter locutus est Joseph coram Pharaone, ei exponendo somnium, et contra futuram famem dando consilium. Ibid.* 41. 26. *et v.* 33. 34. 35. 36.

*Joseph fratres suos cautè reprehendit, et eis timorem incussit. Ibidem caput* 44. *per totum.*

*Bonum consilium dedit Jethro Moysi, dicens :* Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, etc. *Exod.* 18. 21. *et seq.*

*Antequàm Moyses invaderet terram promissionis, misit exploratores illuc, ad considerandum qualitates ejus. Num.* 13. 18. *et seq.*

*Exploratores, quos misit Josue, prudenter latuerunt, donec illi, qui quærebant eos, ad propria redirent. Jos.* 2. 4.

*Magnâ sagacitate usus est Josue, insidias ponendo juxtà civitatem Haï, et fugam posteà simulando. Ibid.* 8. 4. 15.

*Callidè cogitantes Gabaonitæ, voluerunt decipere Josue; sed ille eos discretè in servitutem redegit. Ibid.* 9. 9. 25.

*Phinees, et alii nuntii, ad filios Ruben et Gad missi, discretè locuti sunt, et isti verbis prudentissimis eos placaverunt. Ibid.* 22. 16. 22. *et seq. usquè ad finem.*

*Aod portans munera, Eglon regem astutè decepit, simulque interfecit. Judic.* 3. 17. 21. *et seq.*

*Cautè deprehendit Jephte qui essent Ephratæi, et qui Galaaditæ, dicendo Scibboleth, dùm illi responderent Sibboleth, etc. Ibid.* 12. 6.

*Filii Israël pugnantes contra filios Benjamin, fugam arte simulaverunt, et sic eos è civitate abstractos, penitùs debellaverunt. Ibid.* 20. 32. *et seq. usquè ad finem.*

*Dicentibus quibusdam de*

*Saül* : Nùm salvare nos poterit iste ? *et despicientibus eum* ; ille verò dissimulabat se audire. 1. *Reg.* 10. 27.

Egrediebatur — David ad omnia quæcunque misisset eum Saül, et prudenter se agebat. *Ibid.* 18. 5. *Vide et v.* 14. *ubi David prudentiâ commendatur.*

*David coram Achis simulavit se esse fatuum, et quasi furentem, ut posset fugere ab eo. Ib.* 21. 13.

*Abigaïl prudenter placavit David iratum contra Nabal virum suum ; item prudenter virum suum reprehendit. Ibid.* 25. 18. 37.

*Prudenti cautelâ usus est Joab ad hoc, ut per sapientem mulierem faceret Absalom revocari.* 2. *Reg.* 14. 1. *et seq. usq. ad v.* 25.

*Sapiens mulier de Abelâ fecit recedere Joab ab obsidione civitatis. Ibid.* 20. 16. 22.

*Audiens Bethsabee, quòd Adonias volebat regnare pro patre, sapienter locuta est ad David pro se, et filio suo Salomone.* 3. *Reg.* 1. 5. 15. *et seq.*

*Discretionem et sapientiam postulavit à Deo Salomon, quod multùm placuit Deo ; et cum sapientiâ alia multa concessit ei. Ibid.* 3. 9. *et seq. Vide c.* 4. 29. *et seq. Item* 2. *Par.* 1. 10. *et seq. Sap.* 7. 7. 11.

*Item Salomon prudenter judicavit inter duas mulieres, de unico filio contendentes. Ibid. v.* 25.

*Studiosè fecit Jehu, prophetas Baal honorare se velle fingens, et posteà illos occidit, et altare Baal destruxit.* 4. *Reg.* 10. 19. *et seq. usq. ad v.* 29.

*Studiosè et discretè Ezechias rex Juda prohibuit, ne populus nuntiis regis Assyriorum dicentibus blasphemias responderet ; non enim expedit populum fidelem contra litigantes infideles disputationes habere. Ibid.* 18. 36. *Vide Isa.* 36. 21.

*Joïada Pontifex, volens constituere regem Jerusalem Joas filium Ochoziæ, valdè cautè se gessit et prudenter.* 2. *Paral. c.* 23. *per totum. Item* 4. *Reg. c.* 11. *per totum.*

*Ezechias intelligens regem Assyriorum contra Jerusalem adventurum, obturavit capita fontium extra urbem, reparavit muros urbis, extruxit turres, bellatores suos optimis sermonibus confortavit, et deindè ad precandum Dominum se convertit. Ibid.* 32. 3. *et seq.*

*Cum magnâ discretione, diligentiâ et sollicitudine ædificavit Nehemias murum in circuitu Jerusalem.* 2. *Esdr. c.* 2. 3. *et* 4.

*Cùm remansisset in Jerusalem duodenis puer Jesus in medio Doctorum, audiens et interrogans illos, sequitur :*

Stupebant autem omnes — super prudentiâ et responsis ejus, etc. *Luc.* 2. 47.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt. *Ibidem* 16. 8.

PSEUDOPROPHETA.

*Pseudoprophetæ non sunt audiendi.*

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, etc. *Deut.* 13. 1. *et seq. usq. ad. v.* 6.

Propheta autem, qui arrogantiâ depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Ibid.* 18. 20. *Vide et v.* 22.

Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illâ die in Bethel : et verba, quæ locutus fuerat ad regem narraverunt patri suo, etc 3. *Reg.* 13. 11. *Vide totum caput. Item* 4. *Reg.* 10. 19. *et seq.*

Dixitque Elias ad eos (*scil. ad populum*) : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis (*erant enim* 850.). Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. *Ibid.* 18. 40. *Vide c.* 22. *v.* 6. 10. 12. 22. *et* 23.

Qui decipit justos in viâ malâ, in interitu suo corruet : et simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28. 10.

Væ impio in malum; retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11. *Vide. caput* 28. 7.

Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. *Ibid.* 56. 10. *Vide et v.* 11.

Idcircò hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes : Gladius et fames non erit in terrâ hâc : In gladio et fame consumentur prophetæ illi. *Jerem.* 14. 15. *Vide et v.* 14.

*Vaticinatur Dominus æternum opprobrium prophetis, qui populum decipiunt, volentes ut obliviscatur nomen Domini, et prophetant absque Dei voluntate, sermonem Domini onus appellantes. Ibid. c.* 23. *per totum. Vide et totum caput* 28.

Vos ergò nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis : Non servietis regi Babylonis : quia mendacium prophetant vobis : ut longè vos faciant de terrâ vestrâ, et ejiciant vos, et pereatis. *Ib.* 27. 9. 10. *Vide et v.* 14. *et seq.*

Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Non vos seducant prophetæ vestri; qui sunt in medio vestrûm, et divini vestri : et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis : quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo : et non misi eos, dicit Dominus. *Ibid.* 29. 8. 9. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël ad Achab filium Coliæ, et ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter; eccè ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis : et percutiet eos in oculis vestris, etc. *v.* 21. *et seq.*

*Minatur Dominus pseudoprophetis ex suo cerebro divinantibus, populumque seducentibus, falsam promittendo pacem, et parietem luto absquè paleis liniendo; similiter et filiabus Israël de corde suo prophetantibus, et pulvillos sub omni cubito consuentibus. Ezech. c.* 13. *per totum.*

Et propheta cùm erraverit, et locutus fuerit verbum : ego Dominus decepi prophetam illum; et extendam manum meam super illum : et delebo eum de medio populi mei Israël. *Ibid.* 14. 9. *Vide Amos.* 7. 10.

Conjuratio prophetarum in medio ejus (*terræ Israël*) sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius, etc. *Ibid.* 22. 25. *Vide et v.* 28.

Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos : nonne greges à pastoribus pascuntur? *Ibid.* 34. 2. *per totum caput.*

Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium, etc. *Michææ* 3. 5. *et seq.*

Et erit in die illâ, dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terrâ, et non memorabuntur ultrà : et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terrâ. *Zach.* 13. 2. *Vide et versus sequentes.*

Attendite (*dixit Jesus discipulis suis*) à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth.* 7. 15. 16. 20. *Vide et c.* 24. 11.

Attendite : *dixit Jesus discipulis suis;* à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

*Luc.* 12. 1. *Item Matth.* 16. *v.* 6. 11. *et* 12. *Marc.* 8. 15.

Ego scio (*aiébat Paulus*), quoniàm intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, etc. *Actor.* 20. 29. *Vide et v.* 30.

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Philipp.* 3. 2.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, et non secundùm Christum. *Coloss.* 2. 8.

Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, etc. 1. *Tim.* 4. 1. 2. *Vide* 2. *Tim.* 2. 17. 18. *Item. Tit.* 1. 10. 11.

Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, etc. 2. *Tim.* 3. 1. *et seq. Vide c.* 4. 3. 4. *Item* 2. *Petr.* 3. 3.

Fuerunt verò et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui émit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem, etc. 2. *Petr.* 2. 1. *per totum caput.*

Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint : quoniàm multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. *Joan.* 4. 1. *Vide et v.* 3. *Item* 2. *Joan. v.* 7. *Judæ v.* 18.

*Pseudoprophetæ habentur, qui currunt antequàm per ordinariam potestatem mittantur.*

Et dixit Dominus ad me : Falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo : non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos : visionem, mendacem et divinationem et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis, etc. *Jerem.* 14. 14. *Vide et v.* 15. *It. c.* 29. 9.

Eccè ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt : Dicit Dominus. Eccè ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis : cùm ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus, etc. *Ibid.* 23. 31. *et seq. Vide v.* 21. *imò totum caput.*

Quia non misi eos, ait Dominus : et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter : ut ejiciant vos, et pereatis tàm vos, quàm prophetæ, qui vaticinantur vobis, etc. *Ibid.* 27. 15.

Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus : cùm Dominus non mise-

rit eos : et perseveraverunt confirmare sermonem, etc. *Ezech.* 13. 6. *Vide totum caput.*

*Se ipsos intrudunt.*

Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, etc. 3. *Reg.* 22. 22. *Vide v.* 23. *Item.* 2. *Paral.* 18. 21. *et* 22.

Et dixi, A, a, a, Domine Deus: Prophetæ dicunt eis : Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me — Non misi eos, et non præcepi eis : neque locutus sum ad eos : visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis, etc. *Jerem.* 14. 13. *Vide et v.* 14.

Non mittebam prophetas, et ipsi currebant : non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. *Ibid.* 23. 21. *Vide c.* 27. 15. *c.* 29. 9.

Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui, Israël, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut starctis in prælio in die Domini. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus : cum Dominus, non miserit eos : et perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis : Ait dominus : cum ego non sim locutus. *Ezech.* 13. 3. *et seq* *Vide c.* 14. 9. *c.* 34. 2. *et seq.*

Ex nobis prodierunt (*Antichristi*) sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, etc. 1. *Joan.* 2. 19.

*Simplices seducunt.*

Si surrexerit in medio tuî prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat utrùm diligatis eum an non, in toto corde, et in totâ animâ vestrâ. *Deut.* 13. 1. *et seq. Vide et v.* 5.

Stupor, et mirabilia facta sunt in terrâ : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, etc. *Jerem.* 5. 30. 31.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes : Pax, pax : et non erat pax. *Ibid.* 6. 14. *Item c.* 8. 11.

Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii, et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitiâ suâ, etc. *Jerem.* 23. 14. Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant

vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini, etc. *v.* 16. Si stetissent in consilio meo — avertissem utique eos à viâ suâ malâ, et à cogitationibus suis pessimis. *v.* 22. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes : Somniavi, somniavi. Usquequò istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? *v.* 25. *Vide totum caput.*

Prophetæ tui ( *Jerusalem* ) viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent, etc. *Tren.* 2. 14.

Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, etc. *Ezech.* 22. 28. *Vide et v.* 25.

Scitote, Israël, stultum prophetam, insanum virum spiritualem — Speculator Ephraïm cum Deo meo: propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus. *Oseæ* 9. 7. 8.

Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna, et prodigia — Nolite credere. *Matth.* 24. 24. 26. *Item Marc.* 13. 22. *Luc.* 21. 8.

Nam ejusmodi pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. 2. *Cor.* 11. 13. *Vide et v.* 15.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, et non secundùm Christum. *Coloss.* 2. 8.

Fuerunt verò et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, etc. 2. *Petr.* 2. 1.

Hoc primum scientes, quòd venient in novissimis diebus in deceptione illusores, etc. *Ibid.* 3. 3. *Vide* 1. *Tim.* 4. 1. *Item* 2. *Tim.* 3. 1. *et seq.* *Judæ v.* 18.

*Factis se produnt.*

Propheta autem, qui arrogantiâ depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, — interficietur. *Deut.* 18. 20. *Vide et v.* 22.

Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. *Isa.* 28. 7.

Prophetæ ejus vesani, viri infideles. *Sophon.* 3. 4.

Attendite à falsis prophetis, — Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? etc. *Matth.* 7. 15. 16. *Vide Luc.* 6. 44.

*Pœnam super se inducunt.*

Propheta autem ille, aut fictor somniorum, interficietur : quia locutus est ut vos

averteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terrâ Ægypti, etc. *Deut.* 13. 5.

Propheta docens mendacium, ipse est cauda. *Isa.* 9. 15.

Idcircò hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes, etc. In gladio et fame consumentur prophetæ illi. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerusalem, præ famæ et gladio, etc. *Jerem.* 14. 15. 16.

Propheta namque et sacerdos polluti sunt : et in domo meâ inveni malum eorum, ait Dominus. Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris : impellentur enim, et corruent in eâ ; afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. *Ibid.* 23. 11. 12. *Vide et versus sequentes.* Propterea eccè ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque à proximo suo etc *v.* 30 *et seq.*

Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam : audi, Hanania : non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcircò hæc dixit Dominus : Eccè ego mittam te à facie terræ : hoc anno morieris : adversùs enim Dominum locutus es, etc, *Ibid.* 28. 15. 16.

Propterea hoc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideò eccè ego ad vos, dicit Dominus. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium : in consilio populi mei non erunt, et in scripturâ domûs Israël non scribentur, nec in terram Israël ingredientur — Eò quòd deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax, etc. *Ezech.* 13. 8. *et seq. Vide totum caput.*

Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione, etc. *Mich.* 3. 5. 6.

*Puer. Vide Filius.*

*Pulchritudo. Vide Forma corporis.*

PUNITIO.

*Punitio divina fit per Angelos.*

Cùmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum : Sufficit : nunc continemanum tuam, etc. 2. *Reg.* 24. 16. *Vide* 1. *Parat.* 21. 15. 16.

Factum est igitur in nocte illâ, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque

millia. 4. *Reg.* 19. 35. *Vide* 2. *Paral.* 32. 21. *Item Eccli.* 48. 24. *Isa.* 37. 36. 1. *Mach.* 7. 41. 2. *Mach.* 15. 22.

Semper jurgia quærit malus : angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Prov.* 17. 11.

A voce Angeli fugerunt populi, etc. *Isa.* 33. 3.

*Dixit Daniel ad senem petulantem, accusatorem Susannæ :* Eccè enim Angelus Dei, acceptâ sententiâ ab eo, scindet te medium. *Dan.* 13. 55. *Vide et v.* 59.

*Angeli Dei severissimè puniunt Heliodorum.* 2. *Mach.* 3. 25. 26.

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem : et mittent eos in caminum ignis, etc. *Mat.* 13. 41. 42. *Vide et v.* 39. *et* 49.

Confestim autem percussit eum *( Herodem )* Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, et consumptus à vermibus, expiravit. *Actor.* 12. 23. *Vide Apoc.* 14. 15. *et seq. Item c.* 16. *per totum.*

*Per homines.*

Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est ; in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ità existimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, etc. *Isa.* 10. 5. *et seq.* Et erit : cùm impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, etc. *v.* 12.

Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magnâ adversùs Tyrum — et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute quâ servivit mihi adversùs eam. Propterea, hæc dicit Dominus Deus : eccè ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terrâ Ægypti : et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus : et erit merces exercitui illius, etc. *Ezech.* 29. 18. 19. *Vide Jer. c.* 46. *per totum.*

*Punitio malorum necessaria.*

Maleficos non patieris vivere. *Exod.* 22. 18.

Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israël. *Num.* 25. 4. *Vide et versus* 5. *Item Exod.* 32. 27. *Deut.* 13. 9. *et c.* 17. 7.

Impiis et peccatoribus (*Deus*) reddet vindictam. *Eccli.* 12. 4.

Novi opera tua, et fidem, et caritatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et

opera tua novissima plura prioribus. Sed habeo adversùs te pauca : quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. *Apoc.* 2. 19. *et sequentes,*

*Ordinata.*

Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur. *Deut.* 24. 16. *Vide* 4. *Reg.* 14. 6. *Item* 2. *Paral.* 25. 4. *Ezech.* 18. 20.

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. *Ibid.* 27. 26.

Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. *Sap.* 11. 17.

Verùm sine judicio nihil facias grave. *Eccli.* 33. 30.

Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam ( *mulierem* ) lapidem mittat. *Joan.* 8. 7.

Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper ( *ait Jesus Pilato* ). *Ibid.* 19. 11.

Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis Angelis, ut hæc custodias, etc. 1. *Tim.* 5. 21.

*Fructifera.*

Pestilente flagellato stultus sapientior erit : si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. *Prov.* 19. 25.

Livor vulneris absterget mala : et plagæ in secretioribus ventris. *Ibid.* 20. 30.

Mulctato pestilente sapientior erit parvulus, etc. *Ibid.* 21. 11.

Peccantes coram omnibus argue: ut et cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5. 20.

PUPILLUS.

*Pupilli commendantur.*

Viduæ, et pupillo non nocebitis. *Exod.* 22. 22.

*Deus amat et* facit judicium pupillo et viduæ. *Deut.* 10. 18.

Non pervertes judicium advenæ, et pupilli. *Ibid.* 24. 17. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. *v.* 21. *Vide et v.* 19. *et* 20. *Item. c.* 14. 29.

Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ, et dicet omnis populus : Amen. *Ib.* 27. 19.

Judicate egeno et pupillo : humilem et pauperem justificate. *Psal.* 81. 3.

Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? *Jer.* 5. 28. *Item Isa.* 1. 23.

Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, etc. *Zach.* 7. 10.

Religio munda et immaculata apud Deum et patrem hæc est : Visitare pupillos, et viduas in

tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Jac.* 1. 27.

PURGATORIUM.

*Purgatorium, id est locum, ubi sunt animæ, quæ vivorum precibus et operibus juvari possunt, et purgantur, esse, confirmatur.*

Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. 1. *Reg.* 2. 6. *Vide Tob.* 13. 2. *Item Sap.* 16. 13.

Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. *Tob.* 4. 18.

Mortuo non prohibeas gratiam. *Eccli.* 7. 37.

Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniàm peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus. *Mich.* 7. 8. 9.

Tu quoque (*Deus Salvator*) in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, etc. *Zach.* 9. 11.

Et sedebit (*Deus*) conflans, et emundans argentum, etc. *Malach.* 3. 3. *Vide totum versum.*

Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit (*Judas Machabæus*) Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans, etc. 2. *Mach.* 12. 43. Sancta ergò et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. *versus* 46.

Esto consentiens adversario tuo citò, dùm es in viâ (*in hâc vitâ*) cum eo: ne fortè — in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem. *Matth.* 5. 25. 26. *Vide Luc.* 12. 58.

Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro: *Ibid.* 12. 32. *Vide Marc.* 3. 28. *Luc.* 12. 10.

Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. *Cor.* 3. 13. *et seq.*

*Fideles inveniuntur, qui se baptizant pro mortuis. Ibid.* 15. 29. (*Per baptismum autem hic intelligitur jejunium, lacrymæ, afflictiones, vigiliæ, et alia opera pœnalia, per quæ succurrunt defunctis in Christo*

*iidem fideles. Vide Marc.* 10. 38. *Luc.* 12. 50.)

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in glorià est Dei Patris. *Philipp.* 2. 10. 11.

Det illi (*Onesiphoro*) Dominus invenire misericordiam à Domino in illâ die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. 2. *Tim.* 1. 18.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis. 1. *Joan.* 5. 16.

Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terrâ, neque subtùs terram, aperire librum, neque respicere illum. *Apoc.* 5. 3. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est et super terram, et sub terrâ, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedictio, etc. *v.* 13.

*Pusillanimitas.*
Vide *Formido.*

QUADRAGESIMA.

*Quadragesimalis jejunii exempla.*

Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem : et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. *Exod.* 24. 18.

Fuit ergò (*Moyses*) ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes ; panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. *Ibid.* 34. 28. *Idem repetitur Deut.* 9. 9.

Et procidi (*ait Moyses*) antè Dominum sicut priùs, quadraginta diebus et noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis. *Deut.* 9. 18.

Qui (*Elias*) cùm surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usquè ad montem Dei Horeb. 3. *Reg.* 19. 8.

Et cùm jejunasset (*Christus*) quadraginta diebus et quadraginta noctibus, posteà esuriit. *Matth.* 4. 2. *Vide Marc.* 1. 12. *Luc.* 4. 1. 2.

QUÆSTIO.

*Quæstiones contentiosæ, vanæ ac inutiles sunt vitandæ.*

Qui dixit ad mulierem (*scil. serpens*) : Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? *Gen.* 3. 1. Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile : et tulit de

fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit. *versus* 6.

Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriâ. *Prov.* 25. 27.

Ne dicas: Quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuêre, quàm nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio. *Eccles.* 7. 11.

Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Eccli.* 3. 22.

Sedente autem eo (*Christo*) super montem oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quandò hæc erunt? (*scilicet eversio templi, bella, et persecutiones*) et quod signum adventûs tui, et consummationis sæculi? *Matth.* 24. 3. *Item Marc.* 13. 4. *Luc.* 21. 7.

Litigabant ergò Judæi ad invicem, dicentes: Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? *Joan.* 6. 53. *Vide et c.* 21. 20. 21.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum (*Jesum*), dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate. *Actor.* 1. 6. 7. *Vide Dan.* 12. 6.

Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala. 1. *Cor.* 15. 33.

*Non intendatis* fabulis et genealogiis interminatis; etc. 1. *Tim.* 1. 4. *Vide tot. ver.*

Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi; et ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circà quæstiones, et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, etc. *Ibid.* 6. 3. *et seq. Vide et c.* 4. 7.

Profana autem et vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem: et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus et Philetus. 2. *Tim.* 2. 16. *et seq.* Stultas autem et sine disciplinâ quæstiones devita: sciens quia generant lites. *v.* 23. *Vide et v.* 14.

Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita, sunt enim inutiles, et vanæ. *Tit.* 3. 9.

QUIES.

*Quiescendum à peccatis.*

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultrà non serviamus peccato. *Rom.* 6. 6. *per totum caput.*

Si enim quæ destruxi, iterùm hæc ædifico : prævaricatorem me constituo. Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam. *Gal.* 2. 18. 19.

*Quies contingit populo Dei.*

Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus. *Hebr.* 4. 9. 10.

*Quietem et pacem certam consequentur justi.*

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis — illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. *Sap.* 3. 1. *et seq.*

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius : quoniàm et apud Deum nota est, et apud homines. *Ib.* 4, 1.

Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione suâ. *Isa.* 57. 2. *Vide et c.* 32. 17. 18.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. *Luc.* 16. 22.

Et audivi (*ait Joannes*) vocem de cœlo, dicentem mihi : Scribe; Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jàm dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. *Apocalip.* 14. 13.

*Quietem invenire animæ suæ.*

Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in eâ: et invenietis refrigerium animabus vestris. *Jer.* 6. 16.

Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11. 29.

RAPINA.

*Rapina damnatur.*

Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium. *Prov.* 21. 7.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Væ qui prædaris : nonne et ipse prædaberis? etc. *Isa.* 33. 1. *Vide et Ezech.* 22. 25.

*Rapinæ et spoliationis exempla.*

Et depopulati sunt urbem (*filii Jacob*) in ultionem stupri. Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus et in agris erant: parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas. *Gen.* 34. 27. *et seq.*

Feceruntque filii Israël, sicut præceperat Moyses : et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis : et spoliaverunt Ægyptios. *Exod.* 12. 35. 36.

Egressusque est *(rex)* Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis — cunctasque urbes in tempore illo cepimus — non reliquimus in eis quidquam, etc. *Deut.* 2. 32. *et seq. Vide et c.* 3. 7.

*Amalecitæ Siceleg, absente David, incenderant, ablatâ prædâ, quos David persequens occidit, receptâ prædâ,* 1. *Reg.* 30. 16. *et seq.* Nec defuit quidquam à parvo usquè ad magnum, tàm de filiis, quàm de filiabus, et de spoliis, et quæcunque rapuerant, omnia reduxit David, etc. *v.* 19. *Vide et v.* 20. *Item* 2. *Reg.* 23. 10. 3. *Reg.* 21. 15. 1. *Par.* 10. 8. 2. *Par.* 14. 13. *et seq. c.* 20. 25. *c.* 28. 8.

Et protulit indè *(Nabuchodonosor ex Jerusalem)* omnes thesauros domûs Domini, et thesauros domûs regiæ : et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israël in templo Domini juxta verbum Domini. 4. *Reg.* 24. 13. 1. *Mach.* 1. *v.* 3. 20. *et* 33. *et c.* 6. 12.

Igitur Achaz, spoliatâ domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. 2. *Par.* 28. 21.

Per dies — triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israël. *Judith* 15. 13.

RATIO.

*Rationem Deo quisque pro se redditurus est.*

Dico autem vobis, quoniàm omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth.* 12. 36.

Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. *Ibid.* 18. 23.

Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur antè eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis; et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris, etc. *Ibid.* 25. 31. *per totum caput.*

Itaque unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo. *Rom.* 14. 12.

Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

*Rationem spei nostræ cuilibet reddere parati esse debemus.*

Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est, spe. 1. *Petr.* 3. 15.

REBELLIO. *Vide et* SEDITIO.

*Rebellionis exempla.*

Dixitque Moyses ad eos (*Israëlitas*) : Nullus relinquat ex eo (*Manna*) in mane. Qui non audierunt eum — et iratus est contra eos Moyses. *Exod.* 16. 19. 20. *Vide et Num.* 14. 4. *et c.* 26. 9.

*Seditio Core, Dathan, et Abiron. Num. c.* 16. *per totum. Vide exemplum.* 3. *Reg.* 11. 26. et 2. *Parâl.* 13. 6. *de Jereboam. c.* 16. 9. *de Zambri. c.* 20. 12. *de servis Benadad*, 4. *Reg.* 17. 4. *de Osee. c.* 18. 7. *de Ezechiâ. c.* 24. 1. *de Joachim.*

RECIDIVATIO.

*Recidivatio socorditer committitur.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. *Prov.* 26. 11.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! *Jer.* 2. 36.

Si enim quæ destruxi, iterùm hæc ædifico : prævaricatorem me constituo. *Gal.* 2. 18.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam, etc. *Hebr.* 6. 4. *et sequentes. Vide etiam cap.* 10. 26.

Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursùs implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus : meliùs enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii ; Canis reversus ad suum vomitum; et Sus lota in volutabro luti. 2. *Petr.* 2. 20. *et seq. Vide Matth.* 12. 45. *Luc.* 11. 26.

*Graviter punitur.*

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam; et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

Sed et si conversus justus à justitiâ suâ fuerit, et fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo — in peccato suo morietur, etc. *Ezech.* 3. 20.

Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat

per loca arida, quærens requiem et non invenit. Tunc dicit : Revertar in domum meam, undè exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *Matth.* 12. 43. *et seq.* *Item Luc.* 11. 24. *et seq.*

*Salubriter relinquitur.*

Eccè sanus factus es : jàm noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, *( ait Jesus ægroto ad piscinam sanato ).* *Joan.* 5. 14.

Vade, et jàm amplius noli peccare *( ait Jesus adulteræ ).* *Ibid.* 8. 11.

Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo? *Rom.* 6. 2.

Evigilate, justi, et nolite peccare. 1. *Cor.* 15. 34.

RECONCILIATIO.

*Reconciliatio cum Deo per Christum.*

Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multò magis reconciliati, salvi erimus in vitâ ipsius. Non solùm autem : sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. *Rom.* 5. 10. 11.

Omnia autem *( sunt )* ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniàm quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 2. *Cor.* 5. 18. *et seq.*

*Placuit Deo per Christum* reconciliare omnia in ipsum, etc. *Coloss.* 1. 20. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, etc. *v.* 22.

*Reconciliatio cum fratre præcipitur.*

Si ergò offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te : relinque ibi munus tuum antè altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo citò, dùm es in vitâ cum eo : ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro : et in carcerem mittaris. *Matth.* 5. 23. *et seq.*

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, et converterit quis eum : scire debet, quoniàm qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ,

salvabit animam ejus à morte, etc. *Jac.* 5. 19. 20.

*Recta intentio.* Vide *Intentio.*

REDEMPTIO.

*Redemptio per Christum facta.*

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. *Matth.* 20. 28. *Vide Marc.* 10. 45.

Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. *Rom.* 3. 24. 25.

Qui *(Christus)* traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. *Ibid.* 4. 25.

Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impiis mortuus est? *Ibid.* 5. 6. *Si cùm adhuc essemus peccatores* Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. *v.* 9.

*Christus* factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. 1. *Cor.* 1. 30.

In quo *(Christo)* habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Ephes.* 1. 7. *Vide Coloss.* 1. 14.

Conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab irâ venturâ. 1. *Thess.* 1. 9. 10.

Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

*Christus* per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ. *Hebr.* 9. 12. *Vide et v.* 15 *et* 28.

Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis — sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, etc. 1. *Petr.* 1. 18. 19. *Vide et c.* 3. 18.

*Redemptionis nostræ finis.*

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi; in sanctitate, et justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris. *Luc.* 1. 74. 75.

*Deus* elegit nos in ipso *(Christo)* — ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, etc. *Ephes.* 1. 4.

*Christus* dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per

Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? *Hebr.* 9. 13. 14.

*Redimere novit Deus suos multis modis ex angustiâ.*

*Lot Angelis hospitio susceptis, à Sodomitis vim patiens, cum uxore et utrâque filiâ à Sodomitico ereptus incendio, uxorem in viâ amisit. Gen. c.* 19. *per totum.*

*Pharao Israëlem persequens, et mare per siccum post illum ingrediens, cum universo equitatu et curribus submergitur. Exod. c.* 14.

Cùmque intrasset (*Jethro socer Moysis*) tabernaculum, narravit Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni, et Ægyptiis propter Israël, universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quòd liberaverat eos Dominus. *Ibid.* 18. 7. 8.

*Vide quàm multipliciter et variè et mirabiliter Deus liberaverit David ab irâ Saül.* 1. *Reg. c.* 16. 17. 18. *usquè ad* 31. *et* 2. *Reg. c.* 22. *Item liberationem populi Israëlitici in Libro Esther per totum. Item Psal.* 3. *et* 9. *et* 17.

Itaque cùm vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israël est iste. Et circundederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei; atque avertit eos ab illo. 2. *Par.* 18. 31.

Erubui enim (*Esdras*) petere à rege auxilium, et equites, qui defenderent nos ab inimico in viâ: quia dixeramus Regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: et imperium ejus, et fortitudo ejus, et furor super omnes, qui derelinquunt eum. 1. *Esdr.* 8. 22.

Quoniàm tu es, Domine (*inquit David*), spes mea; altissimum posuisti refugium tuum. *Ps.* 90. 9. *Vid. Tot. Psalmum.*

Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi: et suscepit te dextera justi mei, etc. *Isa.* 41. 10. *Vide et versus sequentes.*

Noli timere (*Israël*), quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cùm transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, etc. *Ibid.* 43. 1. 2. *per totum caput.*

Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit properè, et ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? etc. *Dan.* 3. 91.

Et Daniel regi respondens ait: Rex in æternum vive: Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram

eo justitia inventa est in me: sed et coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem præcepit educi de lacu, — et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. *Ibid.* 6. 21. *et seq.*

Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

*Redemptionis à peccatis ortus.*

Domine adjutor meus, et redemptor meus. *Psal.* 18. 15.

Redemptionem misit *(Dominus)* populo suo. *Psalmi* 110. *v.* 9.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus. *Psal.* 129. 7. 8.

Eccè in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir: vocavi, et non erat qui audiret: nunquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? *Isa.* 50. 1. *Vide et c.* 59. 1.

*Modus.*

Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. *Isa.* 52. 2.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniàm occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, etc. *Apoc.* 5. 9.

*Fructus.*

Gaudete, et laudate simul, deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. *Isa.* 52. 9.

Qui (*Christus*) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, etc. *Tit.* 2. 14.

REGENERATIO.

*Regeneratio, Dei opus est.*

Hæc dicit Dominus, faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus, etc. *Isa.* 44. 2. *Vide et v.* 21. *et seq.*

*Qui credunt in nomine Dei,* non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Joan.* 1. 13. *Vide Ephes.* 1. 19.

Ipsius enim (*Dei*) sumus factura, creati in Christo Jesu, etc. *Ephes.* 2. 10.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, etc. 1. *Petr.* 1. 3. *Vide et v.* 23.

*Interdum tamen ad commendationem ministerii hominibus tribuitur.*

Nam in Christo Jesu, per

Evangelium ego vos genui. *inquit Paulus.* 1. *Cor.* 4. 15.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo. *Philem. v.* 10.

*Regeneratio necessaria est.*

Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, *Joan.* 3. 5. *Vide et v.* 3.

In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. *Galat.* 6. 15.

Ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. 1. *Petr.* 2. 24.

*Regeneratio est mutatio carnis in spiritum.*

Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi ( *Nicodeme* ), nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joan.* 3. 5.

*Carnalium affectionum, in spiritualem affectum.*

Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs, sentiunt. *Rom.* 8. 5. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *v.* 13.

*Infidelitatis in fidem.*

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1. 12.

Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. *Gal.* 3. 26.

Omnis qui credit, quoniàm Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. 1. *Joan.* 5. 1.

*Innovatio mentis per Spiritum Sanctum.*

Quoniàm autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater. *Gal.* 4. 6.

Cùm autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, etc. *Tit.* 3. 4. *et seq.*

*Atque adeò carnalis naturæ, in divinam naturam.*

In quo ( *Christo* ) et — circumcisione non manu factâ in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, etc. *Coloss.* 2. 11. *Vide et v.* 13.

Per quem ( *Jesum* ) maxima et pretiosa nobis promissa donavit ( *Deus* ) : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ : fugientes ejus, quæ in

mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. *Petr.* 1. 4.

*Ut qui mali sumus, sanctificemur.*

Et hæc quidam fuistis (*scilicet fornicarii, idolis servientes, etc.*) : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11. *Vide Ephes.* 5. 8.

*Regenerati interiùs, etiam exteriùs in novitate vitæ ambulemus.*

*In Christo baptizati sumus, ut mortui peccato, deinceps* in novitate vitæ ambulemus, *sicut Christus semel mortuus, ac sepultus, ad novam vitam, non ampliùs moriturus, resurrexit, etc. Rom.* 6. 4. *per tot. c.*

Nunc autem soluti sumus à lege mortis, ità ut serviamus in novitate spiritûs, et non in vetustate litteræ. Ibid. 7. 6.

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. *Ibid.* 12. 1.

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. *Cor.* 5. 7.

*Christiani* qui vivunt, jàm non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor.* 5. 15. *Vide* 2. *Petr.* 4. 1. 2.

*Deponite* vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, etc. *Ephes.* 4. 22. *Vide et versus sequentes. Item Hebr.* 12. 1. 1. *Petr.* 2. 1. 2.

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus, qui creavit illum. *Coloss.* 3. 9. 10.

REGNUM ET REGES.

*Vide et Superiores, et Principes, et Prælati.*

*Rex justus à Deo est, et regni stabilimentum.*

Sicut divisiones aquarum, ità cor regis in manu Domini : quocumquè voluerit inclinabit illud. *Prov.* 21. 1.

Rex justus erigit terram. *Ib.* 29. 4. *Vide et v.* 14.

*Reges quid facere, quidve fugere debeant.*

Postquàm autem sederit (*rex*) in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribûs, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custo-

dire verba et ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt, etc. *Deut.* 17. 18. 19. *Vide et v.* 20.

*Filiis Samuelis ad avaritiam declinantibus, petit populus sibi regem, cui Samuël jubente Domino, durum jus regis prædicit, sed non auditur.* 1. *Reg. c.* 8.

Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam. 3. *Reg.* 10. 9. *Vide* 2. *Par.* 9. 8.

Constituitque ( *Josaphat* ) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, et præcipiens judicibus: Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, etc. 2. *Par.* 19. 5. 6. *Vide et versus sequentes.*

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 30. *Vide et v.* 18.

Et nunc, reges, intelligite: erudimini, qui judicatis terram. *Psal.* 2. 10. *Vide Psal.* 100. *per totum.*

In multitudine populi dignitas regis: et in paucitate plebis ignominia principis. *Prov.* 14. 28.

Sicut fremitus leonis, ità et regis ira: et sicut ros super herbam, ità et hilaritas ejus. *Ibid.* 19. 12.

Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. *Ibid.* 20. 8. Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem. *v.* 26. *Vide et v.* 28.

Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. *Ib.* 28. 15.

Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. *Ibid.* 29. 4. Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. *v.* 14. *Vide et v.* 12. *Item Isa.* 33. 8.

Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas: et ne fortè bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. etc. *Ibid.* 31. 4. 5.

*Reges et Judices ad sapientiam et justitiam sectandam exhortatur Sapiens, ostendens quàm grave maneat injustis rectoribus supplicium, etc. Sap. c.* 6. *per totum. Item c.* 9. *per totum. Vide etiam c.* 1. 1. *Item Eccli.* 10. 1. *et seq.*

Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes super solium David: tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. Hæc dicit Dominus: Facite judicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris, etc. *Jer.* 22. 2. 3. *Vide et v. seq.*

*Reges ac principes religionis curam suscipere debent.*

Surrexitque David, et abiit, et

universus populus — ut adducerent arcam Dei, etc. 2. *Reg.* 6. 2. *Vide et* 1. *Paral.* 13. 5. *et seq.*

*David proponit ædificare domum Domino; sed à Domino prohibetur, et filius ei promittitur illam ædificaturus. Ibid. c.* 6. *Vide et* 1. *Paral. c.* 17.

*Pius rex Josaphat mittit Doctores legis Dei per universum Judam.* 2. *Par. cap.* 17.

Habitavit ergò Josaphat in Jerusalem : rursùmque egressus est ad populum — et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum. *Ibid.* 19. 4. *Vide et versus sequentes.*

*Ezechias abolitum Dei cultum, aperto templo, restitutisque Sacerdotibus, Levitis, et cantoribus, instaurat; oblatis plurimis holocaustis et sacrificiis cum ingenti lætitiâ. Ibid. c.* 29. *Vide et c.* 30. *et* 31.

*Regum ac Principum vitia non sunt dissimulanda.*

*Dixit Elias ad regem Achab:* Non ego turbavi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim, 3. *Reg.* 18. 18. *Simile vide* 4. *Reg.* 3. 13. 14. *de Eliseo.*

Dicebat enim illi Joannes (*regi Herodi*) : Non licet tibi habere eam (*scil. uxorem fratris tui.*) *Matth.* 14. 4. *Item Marc.* 6. 18. *Luc.* 3. 19.

*Regnum Christi dicitur gloria illa, quæ in Christo post resurrectionem eluxit.*

Sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. *Matth.* 16. 28. *Item Marc.* 8. 39. *Luc.* 9. 27.

*Regnum Dei potentiæ.*

Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria : et tibi laus : cuncta enim, quæ in cœlo sunt, et in terrâ, tua sunt; tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ, et tua est gloria : tu dominaris omnium : in manu tuâ virtus et potentia : in manu tuâ magnitudo, et imperium omnium, etc. 1. *Par.* 29. 11. 12.

Quoniàm Domini est regnum : et ipse dominabitur Gentium. *Psal.* 21. 29. *per totum.*

Dominus in cœlo paravìt sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur. *Psal.* 102. 19.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua — Gloriam regni tui dicent : et potentiam tuam loquentur : ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum : et dominatio tua in omni gene-

ratione et generationem. *Psal.* 144. 10. *et seq.*

Potestas ejus (*Dei*) potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt : juxta voluntatem enim suam facit tàm in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quarè fecisti? *Dan.* 4. 31. *Vide similia c.* 3. 100. *c.* 6. 26. *c.* 7. 14.

*Regnum gratiæ.*

Et circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. *Matth.* 9. 35.

Quia vobis (*inquit Christus ad discipulos*) datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. *Ibid.* 13. 11. *Item Marc.* 4. 11. *Luc.* 8. 10.

Non est enim regnum Dei esca et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. *Rom.* 14. 17.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1. *Cor.* 4. 20.

Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. *Coloss.* 4. 11.

*Regnum Gloriæ.*

Beati pauperes spiritu : quoniàm ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5. 3. *Item Luc.* 6. 20.

Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Ibid.* 13. 43.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. *Ibid.* 25. 34.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Actor.* 14. 21.

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? etc. *Cor.* 6. 9. *Vide et v.* 10.

Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit. *Ibid.* 15. 50.

Liberavit me Dominus ab omni opere malo : et salvum faciet in regnum suum cœleste. 2. *Tim.* 4. 18.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis — Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, etc. 2. *Petr.* 1. 10.

Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos — Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usquè ad mortem.

Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. *Apoc.* 12. 10. *et seq.*

*Regnum Cœlorum.*

*Ecclesia Dei post Christi plenam manifestationem sub Evangelio.*

Qui ergò solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

Quicunque ergò humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. *Ibid.* 18. 4. *Vide et c.* 19. 14.

*Pro publicâ Evangelii prædicatione.*

Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, etc. *Matth.* 13. 24. *Vide et v.* 31. 33. 44. 45. 47. *et* 52. *Item Marc.* 1. 14. *et c.* 4. 26.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Ibid.* 20. 1. *Vide Luc.* 9. 2.

*Pro Ecclesiæ renovatione.*

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2. *Item c.* 4. 17. *Marc.* 1. 15.

Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date, etc. *Ibid.* 10. 7. 8. *Vide c.* 22. 2. *et c.* 25. 1. *Item Luc.* 10. 9. 11.

*Regnum Dei vim patitur.*

A diebus autem Joannis Baptistæ usquè nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Matth.* 11. 12.

Lex et prophetæ, usquè ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. *Luc.* 16. 16.

Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. *Apoc.* 21. 7. *Vide c.* 2. *et c.* 3.

*Regnum Dei spirituale internum et externum.*

Non auferetur septrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. *Gen.* 49. 10. *Vide Mich.* 5. 2. *Item Matth.* 2. 6.

Videbo eum, sed non modò, intuebor illum, sed non propè : orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

Dominum formidabunt adversarii ejus : et super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judi-

cabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 1. *Reg.* 2. 10.

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus. *Psal.* 2. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. *v.* 6.

Dominus in æternum permanet. Paravit in judicio thronum suum, etc. *Psal.* 9. 8.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniàm Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. *Psal.* 21. 28. 29. *Vide Psal.* 71. *per totum, et Psal.* 109. *item per totum.*

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis virga regni tui. *Psal.* 44. 7.

Gloriam regni tui (*Domine, Sancti tui*) dicent : et potentiam tuam loquentur. *Psal.* 144. 11. *Vide et v.* 12. 13.

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Isa.* 9. 6. *Vide et v.* 7. *Item c.* 32. 1.

*Vaticinatur Christi nativitas, judicium, exaltatio, conversio populorum, et gentium ad Christum, et gloria sepulcri ejus : item conversio reliquiarum Israël ad Deum, ac fides gentium. Ibid. c.* 11.

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda : Eccè Deus vester, etc. *Ibid.* 40. 9. *Vide et v.* 10. *Item c.* 42. 1. *et seq. Jerem.* 33. 15. 16.

Eccè dies veniunt, dicit Dominus : et suscitabo David germen justum : et regnabit rex et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israël habitabit confidenter : et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster. *Jerem.* 23. 5. *Item c.* 33. 14. *et seq. Vide Dan.* 9. 24. *Oseæ* 3. 5.

Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. *Ezech.* 34. 23. *Vide c.* 37. 24.

In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem, et consumet universa regna hæc : et ipsum stabit in æternum. *Dan.* 2. 44.

Et dedit ei potestatem, et

honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur. *Ibid.* 7. 14. Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. *v.* 27. *Vide c.* 3. 100. *c.* 4. 31. *Luc.* 1. 32.

Et erit : in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles : et fluent ad eum populi, etc. *Michææ* 4. 1. *Vide et c.* 5. 2. *Item Isa.* 2. 2. *et seq.*

Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : eccè Rex tuus veniet tibi justus et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. *Zach.* 9. 9. *Vide et v.* 10. *Item Matth.* 21. 5. *Joan.* 12. 15

Adveniat regnum tuum. *Matth.* 6. 10. *Item Luc.* 6. 2.

Et ingressus Angelus ad eam (*Mariam*), dixit : Ave gratiâ plena : Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28.

Verumtamen quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Ibid.* 12. 31. 32. *Vide et c.* 22. 29. *Item Matth.* 6. 33.

Eccè enim regnum Dei intra vos est. *Ibid.* 17. 21. *Vide Joan.* 6. 15.

Respondit Jesus (*Pilato*) : Regnum meum non est de hoc mundo si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. *Joan.* 18. 36. *Vide et v.* 37.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1. *Cor.* 4. 20.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. 1. *Tim.* 1. 17.

Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga æquitatis, virga regni tui. *Hebr.* 1. 8. *Vide. c.* 2. 9.

*Regnum Dei percipitur.*

Quærite ergò primùm regnum Dei, et justitiam ejus, etc. *Matth.* 6. 33. *Item. Luc.* 12. 31.

A diebus autem Joannis Baptistæ usquè nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Ibid.* 11. 12. *Item Luc.* 16. 16.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs — Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. *Ibid.* 20. 1. 2.

Calicem quidem meum bibetis (*ait Jesus filiis Zebedæi*) : sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. *Ibid. v.* 23. *Item Marc.* 10. 39. 40.

Qui (*Deus*) eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ : in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Coloss.* 1. 13. 14.

Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

*Negligitur.*

Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8. 11. 12.

Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes in viâ justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem, et meretrices crediderunt ei. etc. *Ibid.* 21. 31. 32.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. *Ibid.* 22. 2. Intravit autem rex, etc. *v.* 11.

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, etc. *Ibid.* 25. 1.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jàm parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare, etc. *Luc.* 14. 16. *et seq.*

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10.

*Stabilitur.*

In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, etc. *Dan* 2. 44. *Vide totum versum.*

Et dabit illi (*Christo*) Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. 32. 33.

*Regnum terrenum consilio firmatur.*

Ab uno sensato inhabitatur patria; tribus impiorum deseretur. *Eccli.* 16. 5.

Et ipse (*Deus*) mutat tempora, et ætates : transfert regna, atque constituit. *Dan.* 2. 21.

*Peccato dissipatur.*

Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum potentium (*scil. prudentium*). *Eccli.* 10. 3. Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. *v.* 8. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usquè in finem. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usquè ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum à terrâ, etc. *v.* 16. *et seq.*

Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt, confidentes suæ virtuti : et non pepercit peregrinationi Lot (*sed percussit eos*), et execratus est eos præ superbiâ verbi illorum. Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in peccatis suis. *Ibid.* 16. 8. *et seq.*

Eccè Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, etc. *Isa.* 24. 1. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur. *v.* 3. Quia (*habitatores ejus*) transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, etc. *v.* 5. 6. *et seq.* Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur, quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. *v.* 19. 20. *Vide totum caput.*

Et erit cor fortium Moab in die illâ, sicut cor mulieris parturientis. Et cessabit Moab esse populus : quoniàm contra Dominum gloriatus est. *Jerem.* 48. 41 42. *Vide totum caput. Item c.* 49. *per totum.*

Illaqueavi te, et capta es, Babylon, et nesciebas : inventa es et apprehensa : quoniàm Dominum provocasti. *Ibid.* 50. 24. Consistite adversùs eam per gyrum, et nullus evadat : reddite ei secundùm opus suum : juxta omnia quæ fecit, facite illi : quia contra Dominum erecta est, adversùm Sanctum Israël. *v.* 29. *Vide totum caput, totumque c.* 51.

Eccè oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud à facie terræ. *Amos* 9. 8.

*Regna et imperia omnia in manu Dei sunt.*

*Reprobato à Deo Saül, David inter fratres minimus in regem ungitur.* 1. *Reg. c.* 16.

*Dixit Ahias propheta ad Jerobvam :* Hæc enim dicit Dominus Deus Israël : Eccè ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus, etc. 3. *Reg.* 11. 31. *Vide et v.* 35.

*Deus* interfecit *Saül*, et transtulit regnum ejus ad David filium Isaï. 1. *Par.* 10. 14.

*Deus* balteum regum dissolvit, et præcingit func renes eorum. *Job* 12. 18. *Vide et versus sequentes. Item c.* 34. 18. *et* 30.

*Regnum Juda transfertur in Nabuchodonosor, uti dicit Deus, Jerem.* 27. 6. Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei, etc.

*Deus* mutat tempora et ætates : transfert regna, atque constituit. *Dan.* 2. 21.

Cognoscant viventes, quoniàm dominatur Excelsus in regno hominum ; et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominum constituet super eum. *Ibid.* 4. 14. *Vide et v.* 22. *et* 29. *Item c.* 5. 21.

Vox de cœloruit : Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum tuum transibit à te. *Ibid.* 4. 28.

*Regnum Baltassaris transfert Deus ad Darium Medum. Ibid.* 5. 31.

*De quatuor regnis mundi. Ibid. c.* 7. *per totum. Vide et c.* 8. *de aliis regibus.*

*Relapsus in peccatum.* Vide *Peccatum*, et *Recidivatio.*

*Religio Christiana.* Vide *Fides.*

RELINQUERE.

*Relinquentes omnia propter Christum, centuplum accipient.*

Dicit illi (*Jesu*) adolescens : Omnia hæc custodivi à juventute meâ, quid adhuc mihi deest ? Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Matth.* 19. 20. *Item Marc.* 10. 21. *Luc.* 18. 22.

Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis. Nemo est, qui reliquérit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam. *Marc.* 10. 29. 30. *Item Matth.* 19. 29. *Luc.* 18. 29. 30.

RELIQUIÆ.

*Reliquiæ Sanctorum, et aliæ res sanctæ sunt venerandæ.*

Solve calceamentum (*ait Deus ad Moysen*) de pedibus tuis ; locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod.* 3. 5.

*Idem injungitur Josue cap.* 5. 16.

*Moyses discessurus ex Ægypto, honorificè transtulit ossa Patriarchæ Joseph. Ib.* 13. 19.

*Sic Deus ipse sepelivit corpus Moysi. Deut.* 34. 6.

Adorate scabellum pedum ejus (*Dei*) : quoniàm sanctum est. *Ps.* 98. 5.

*Reliquiæ et vestes Sanctorum quam vim à Deo habeant, quidque per eas operetur Deus. Ut per Arcam.*

*Siccatum Dei miraculo Jordanem, præeunte arcâ, populus transit. Josue* 3. 16. 17.

*Post varios septem dierum circuitus cum arcâ, Jericho omnes muri corruunt, et urbs hæc miraculo capta deletur. Ibid.* 6. 12. *et seq. Vide et* 1. *Reg.* 5. 9.

Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus : et benedixit Dominus Obdedom, et omnem domum ejus. Nuntiatumque est regi David, quòd benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam Dei (*in ipsius domo commorantem*). 2. *Reg.* 6. 11. 12. *et c.* 6. 19.

*E contrà Oza à Domino occisus est, quia arcam temerè tetigerat. Ibid. v.* 6. 7. *Item* 1. *Paral.* 13. 9. 10.

*Per pallium Eliæ.*

*Eliseus individuus Eliæ comes, Jordanem, aquâ Eliæ pallio divisâ, cum illo transit. Eliâ autem in cœlum igneo curru rapto, duplicem illius spiritum accipit : ac pallio Eliæ rursùm Jordanis aquas dividit, etc.* 4. *Reg. c.* 2. Percussitque aquas (*Eliseus pallio Eliæ*, et divisæ sunt huc atque illuc (*aquæ*) et transiit Eliseus. *v* 14.

*Per ossa Elisei.*

Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcrum Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. 4. *Reg.* 13. 21.

Et mortuum prophetavit corpus ejus (*Elisei*). In vitâ suâ fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. *Eccli.* 48. 14. 15.

*Per fimbriam Christi.*

Et eccè mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, et tetigit fimbriam vestimenti ejus (*Jesu*). Dicebat enim intra se : Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero. *Matth.* 9. 20. 21. *Item Marc.* 5. 25. *et seq.*

Et rogabant eum (*Jesum infirmi*), ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicunque tetigerunt, salvi facti sunt. *Ibid.* 14. 36. *Vide Marc.* 6. 56.

Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari : *hæc* accessit retrò, et tetigit fimbriam vestimenti ejus (*Jesu*) : et confestim stetit fluxus sanguinis ejus, *et sanata fuit. Luc.* 8. 43. 44.

*Per umbram Petri.*

Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe — ità ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur *omnes* ab infirmitatibus suis. *Actor.* 5. 12. 15.

*Per sudaria Pauli.*

Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : ità ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, et semicinctia et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Actor.* 19. 11. 12.

REMISSIO.

*Remissio peccatorum, de quâ certi esse non possumus.* Vide *Peccatum.*

*Item : Certi non sumus, etc.*

*Remittendum proximo in nos peccanti.*

Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo *tuo. Eccli.* 28. 8.

Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis, etc. *Matth.* 5. 22.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Ibid.* 6. 12. *Vide Luc.* 11. 4.

Dicit illi Jesu (*Petro petenti quoties condonandum esset fratri suo in illum peccanti*) : Non dico tibi usquè septies, sed usquè septuagies septies. *Ibid.* 18. 22. Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. *v.* 35.

Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me : dimitte illi. *Luc.* 17. 3. 4. *Vide Matth.* 18. 15.

Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Ephes.* 4. 32.

Induite vos ergò sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismet-

ipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ità et vos. *Coloss.* 3. 12. 13.

REPUDIUM.

*Repudii libellus.*

Si acceperit homo uxorem : et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ, etc. *Deut.* 24. 1. *Vide Matth.* 5. 31. *et caput* 19. 7. *Item Marcum* 10. 4.

Hæc dicit Dominus : Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? eccè in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. *Isa.* 50. 1. *Vide Jerem.* 3. 8.

Cùm odio habueris (*scilicet uxorem tuam*), dimitte, dicit Dominus Deus Israël : operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 2. 16.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matth.* 5. 29. *Vide et v.* 30. *et c.* 18. 8. 9. *Item Marc.* 9. 42. 44. 46.

RESIGNATIO.

*Resignatio in divinam voluntatem.*

*Fratres Joseph ob illatam fratri injuriam sibi timentes, deprecabantur eum, ut hanc illis condonaret.* Quibus ille respondit : Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum, etc. *Gen.* 50. 19. 20. *Vide c.* 45. 5. 8.

*Cùm Samuël Heli sacerdoti statutam Dei pœnam ob malam educationem filiorum indicasset, respondit Heli :* Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. *Reg.* 3. 18.

*David, cum in persecutione filii sui Absalonis de Jerusalem fugere coactus fuisset, dixit ad Sadoc sacerdotem :* Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, — Sin autem dixerit mihi : Non places : præsto sum, faciat quod bonum est coram se. 2. *Reg.* 15. 25.

*Tobias, cùm* parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes : Ubi est spes tua? etc. increpabat eos, dicens : Nolite ità loqui : quoniàm filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quàm Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2. 15. *et seq.*

*Idem Tobias, in omnibus sibi illatis injuriis, convertit*

*se ad Deum, dicens* : Et nunc, Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum. *Ibid.* 3. 6. *Vide et versus præcedentes.*

*Job ad omnia mala sibi illata nihil aliud respondit, quàm hoc :* Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ità factum est : sit nomen Domini benedictum. *Job* 1. 21.

*Judas Machabæus suos adhortatus vel ad victoriam, vel ad gloriosam mortem in bello contra hostes suscipiendam, adjunxit :* Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. *Mach.* 3. 60.

*Judæi in Jerosolymis scribunt Judæis in Ægypto :* Et det vobis (*Deus*) cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem, corde magno, et animo volenti. 2. *Mach.* 1. 3.

*Christus ad aspectum amari calicis suæ passionis, ità orabat ad Patrem :* Pater, si vis, transfer calicem istum à me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Luc.* 22. 42. *Item Matth.* 26. 39. *Marc.* 14. 36.

*Item Christus Dominus per totam vitam suam opere ipso comprobavit testimonium, quod de se ipso dedit :* Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. *Joan.* 4. 34.

*Deus hoc testimonium perhibuit David regi :* Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. *Actor.* 13. 22. *Vide* 1. *Reg.* 13. 14.

*Paulus de Christo Domino affirmat* : Ideo ingrediens mundum dicit — Eccè venio : in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. *Hebr.* 10. 5. 7. *et* 9. *Vide Psal.* 39. 8. 9.

RESPECTUS.

*Respectus humanus.*

*Aaron, summus sacerdos, cùm ab eo populus postulasset, ut Deum illis faceret, ex mero respectu humano ejus iniquissimis postulatis annuit, et formavit vitulum aureum, quem Israëlitæ adoraverunt. Exod.* 32. 1. *et seq.*

*David non cessavit saltare coram arcâ, etiamsi irrideretur à Michol conjuge suâ.* 2. *Reg.* 6. 16. *Item* 1. *Paral.* 15. 29.

*Salomon, ut placeret uxoribus et concubinis suis idololatris, erexit templa et statuas idolorum, eisque ipsemet thus adolevit, et sacrificia obtulit.* 3. *Reg.* 11. 4. *et seq.*

*Tobias*, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium (*sepposito omni humano respectu*), sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et

ibi adorabat Dominum Deum Israël, etc. *Tob.* 1. 5. 6.

*Daniel non curat edictum regis, quo cultus veri Dei prohibebatur, sed pergit, etiam* fenestris apertis, *ut ab omnibus conspici posset, adorare Dominum Deum suum, sicut anteà. Dan.* 6. 10. 13.

*Herodes jussit amputari caput Joannis, ut non contristaret filiam suam saltatricem. Marc.* 6. 26. *Item Matth.* 14. 9.

Nemo tamen palàm loquebatur de illo (*Christo*) propter metum Judæorum, *licet multi eum agnoverint pro magno Propheta, et vero Messia. Joan.* 7. 13.

*Cæcus natus à Christo sanatus palàm confitetur Christum, et miraculum ab eo patratum, licèt jàm conspirassent* Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, *et licèt ipsum excommunicaverint. Non vero sic faciebant parentes ejus, qui* timebant Judæos.. *Ibid. c.* 9. *per totum.*

*Pontifices et Pharisæi conspirant in necem Christi, dicentes :* Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. *Ibid.* 11. 48.

*Pilatus, licèt agnoverit innocentiam Christi, consensit tamen in ejus mortem, statim ac audivit :* Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. *Ibid.* 19. 12.

*Apostoli liberè prædicant Christum et ejus doctrinam ; advocati autem in concilium, et propterèà objurgati, respondent. :* Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. *Actor.* 5. 29. *Vide et c.* 4. 19. 20.

*Herodes, postquàm* occidit — Jacobum fratrem Joannis gladio : videns — quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet et Petrum. *Ibid.* 12. 2. 3.

Volens autem gratiam præstare Judæis Felix (*præses Judææ*), reliquit Paulum vinctum; *licet agnoverit eum esse innocentem. Ibid.* 24. 27.

### RESURRECTIO.

*Resurrectio generalis prædicitur, et certissima est.*

Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum : et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Job* 19. 25. *et seq.*

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, etc. *Isa.* 26. 19.

Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi

herba germinabunt. *Ibid.* 66. 14.

*Vidit Propheta campum plenum ossibus. Ezech.* 37. 1. *et seq.* Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, et eccè super ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper. *v.* 7. Et ingressus est in eà spiritus et vixerunt : steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè. *v.* 10.

Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. *Dan.* 12. 2.

In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ? Non est Deus mortuorum, sed viventium. *Matth.* 22. 30. *et seq. Vide Marc.* 12. 25. 26. *Luc.* 20. 35. *et seq.*

Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14. 14.

Venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui verò mala egerunt, in ressurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28. 29.

Hæc est autem (*ait Jesus*) voluntas Patris mei, qui misit me : ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Ibid.* 6. 40. *Vide et v.* 44. *et* 55.

*Dicit Jesus ad Martham :* Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. *Ibid.* 11. 23. 24. *Vide et vers.* 25.

*Inquit Paulus :* Spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum. *Actor.* 24. 15. *Vide et v.* 21. *Item c.* 17. 32.

Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicùnt in vobis, quoniàm resurrectio mortuorum non est ? 1 *Cor.* 15. 12. *Vide totum caput de hâc materiâ egregie tractans.*

Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. *Philipp.* 3. 11.

Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniàm ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Christo in aera,

et sic semper cum Domino erimus. 1. *Thess.* 4. 14. *et seq.*

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, etc. *Apoc.* 20. 12. *Vide et v.* 6.

*Resurrectio specialis, sive resuscitatorum exempla.*

*Raptus Henoch in paradisum, est certissimum et infallibile resurrectionis argumentum. Gen.* 5. 24. *Vide Eccli.* 44. 16. *Hebr.* 11. 5.

*Item raptus Eliæ curru igneo per turbinem.* 4. *Reg.* 2, 11, *Vide Eccli.* 48. 13. *Item* 1. *Mach.* 2. 58.

*Filius viduæ Sarephtanæ oratione Eliæ resuscitatur.* 3. *Reg.* 17. 22.

*Item filius Sunamitidis oratione Elisei,* 4. *Reg.* 4. 33. *et seq.*

*Injectus quidam mortuus in sepulcrum Elisei ad contactum ossium ejus resuscitatur. Ibid.* 13. 21.

*Exercitus grandis nimis et campus plenus ossium resuscitantur. Ezech.* 37. 1. *et* 10.

*Filia Jaïri mortua, à Christo resuscitata. Matth.* 9. 25. *Item Marc.* 5. 41. 42. *Luc.* 8. 54. 55.

*Passionis Christi tempore multi resuscitati. Ibid.* 27. 52.

*Item filius viduæ in Naim. Luc.* 7. 14. 15.

*Item Lazarus quatriduanus in sepulcro resuscitatus. Joan.* 11. 43. 44.

*Tabitha Joppensis mortua à Petro excitata. Actor.* 9. 40.

*Item Eutychus à Paulo excitatus. Ibid.* 20. 10.

*Resurrectio Christi.* Vide *Christus.*

*Resurrectio mortuorum, et carnis ad gloriam facta mutatio.*

Ego sum Deus patris tui (*ait Deus ad Moysen*), Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum. *Exod.* 3. 6.

Et resuscitabo mortuos de locis suis, et de monumentis educam illos, quoniàm cognovi nomen meum in Israël. 4. *Esdr.* 2. 16. *Vide et v.* 23. 35. *et* 45.

Judicium enim post mortem veniet, quandò iterum reviviscemus : et tunc justorum nomina patebunt, et impiorum facta ostendentur. *Ibid.* 14. 35.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei ? *Job* 14. 13.

Et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum, etc. *Ibid.* 19. 26.

Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. *Ibid.* 21. 30.

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini,

et laudate, qui habitatis in pulvere : quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. *Isa.* 26. 19. *Vide c.* 66. 14. *Dan.* 12. 3. 12.

Et dixit (*Dominus*) ad me : Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, et dices ad spiritum : Hæc dicit Dominus Deus : A quatuor ventis veni, spiritus, et insufflà super interfectos istos, et reviviscant. *Ezech*, 37. 9.

Et dixit Dominus pisci : et evomuit Jonam in aridam. *Jonæ* 2. 11. *Vide Sophon.* 3. 8.

Et in ultimo spiritu constitutus (*secundus ex septem fratribus Machabæis*), sic ait : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vitâ nos perdis : sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. *Lib.* 2. *Mach.* 7. 9. Et cùm jam esset ad mortem (*quartus*), sic ait : Potiùs est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos : tibi enim resurrectio ad vitam non erit. *v.* 14. *Deus* spiritum vobis iterùm cum misericordiâ reddet et vitam (*ait invicta eorum mater*). *v.* 23.

In illo die accesserunt ad eum (*Jesum*) Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem : et interrogaverunt eum, dicentes, etc. *Matth.* 22. 23. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo, dicente vobis (*Ibid. c.* 22. *v.* 31.) : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium. *vers.* 32. *Item Marc.* 12. 18. 26. *et* 27. *Luc.* 20. 27. 37. *et* 30. *Actor.* 23. 8.

Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat. *Joan.* 5. 21. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent, etc. *v.* 28. 29. *Vide v.* 25.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Ibid.* 6. 39. *Vide et v.* 40. 44. 45. *Item Act.* 24. 15.

Scio, quia resurget (*frater meus, ait Martha ad Jesum*) in resurrectione in novissimo die. *Ibid.* 11. 24. *Vide et v.* 25.

*Christum docet Paulus à mortuis resurrexisse, et nostram astruit resurrectionem secundùm animam et corpus.* 1. *Cor. c.* 15. *per totum.*

Qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit. 2. *Cor.* 4. 14.

Scimus enim, quoniàm si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. *Ibid.* 5. 1.

Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloriâ. *Coloss.* 3. 4.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. 1. *Thess.* 4. 12. Quoniàm ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tubâ Dei descendet de cœlo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. *v.* 15. *Vide Philipp.* 3. 21. *Coloss.* 3. 4. *et* 2. *Tim.* 2. 11.

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ: et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum. *Apoc.* 20. 12.

*Divinâ potentiâ consummatur.*

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, etc. *Isa.* 26. 19.

Eccè ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus: et inducam vos in terram Israël, etc. *Ezech.* 37. 12. *Vide et v.* 13 *et* 14.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28. 29. *Vide Dan.* 12. 2. *Item Matth.* 25. 46.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Ibid.* 6. 39. *Vide v.* 40. 44. 55.

Ego sum (*ait Jesus*) resurrectio, et vita, etc. *Ibid.* 11. 25.

Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Rom.* 8. 11.

Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quoniàm quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. 1. *Cor.* 15. 20. *et seq. Vide totum Caput.*

Scientes, quoniàm qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. 2. *Cor.* 4. 14.

Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ità et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo, etc. 1. *Thess.* 4. 13. *Vide et versus sequentes.*

*Pro meritorum conditione variatur*

Et multi de his, qui dor-

miunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan.* 12. 2. 3. *Vide Matth.* 25. 46. *Item. Joan.* 5. 29.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5.

Sed dicet aliquis: Quomodò resurgent mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur, etc. 1. *Cor.* 15. 35. 36. Stella enim à stellâ differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum. *v.* 41. 42. *Vide et versus seq.*

Nostra autem conversatio in cælis est: undè etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, quâ etiam possit subjicere sibi omnia. *Philipp.* 3. 20. 21.

Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloriâ. *Coloss.* 3. 4.

Scimus, quoniàm cùm apparuerit, similes ei (*Deo*) erimus: quoniàm videbimus eum sicuti est. 1. *Joan.* 3. 2.

REVELATIONES.

*Vide et* APPARITIONES.

Cùm autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum: et ait: noster es, an adversariorum? etc. *Josue* 5. 13. *Vide Exod.* 3. 2. *et seq. et actor.* 7. 30. *et seq.*

Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis quasi cohortes armatos, etc. 2. *Mach.* 5. 2. *Vide et v.* 3. *Item c.* 3. 25. 26. 33. *et* 34.

Sed cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes. etc. *Ibid.* 10. 29. *Vide et v.* 30.

Cùmque pariter prompto animo procederent (*Judas Machabæus cum sociis*), Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candidâ, armis aureis hastam vibrans. *Ibid.* 11. 8. *Vide c.* 15. 12. *et seq.*

*Reverentia.* Vide *Honor.*

*Rex.* Vide *Regnum*

*Rixæ.* Vide *Discordia.*

ROBUSTORUM EXEMPLA.

*Nemrod* cœpit esse potens in terrâ. Et erat robustus venator

coram Domino. Ob hoc etc. *Gen.* 10. 8.

Sed percusserunt (*Israëlitæ*) Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros : nullus eorum evadere potuit. *Judic.* 3. 29.

*Vide fortitudinem Samsonis. Ibid. c.* 14. 15 *et* 16.

Et sic factum est, ut omnes, qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. *Ibid.* 20. 46.

*Cis pater Saülis erat* fortis robore. 1. *Reg.* 9. 1.

Et respondens unus de pueris, ait (*Saül*) : Eccè vidi filium Isaï Bethlehemitem, scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum — et Dominus est cum eo. Ibid 16. 18.

Dixitque David ad Saül : Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis : et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum : et illi consurgebant adversùm me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus, *cur non et Goliath in fortitudine Dei? Ib.* 17. 34. *et seq. Vide Eccli.* 47. 3. *et seq.*

*Sic et David robustum Goliath devicit. Ibid. v.* 49. *et seq.*

*Vide illustrem catalogum et notabilem virorum valdè fortium et eximiè robustorum* 2. *Reg.* 23. 8. *et seq. Item* 1. *Paral.* 11. 10. *et seq* 2. *Mach.* 12. 27.

Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum. 1. *Par.* 8. 40. *Vide et c.* 9. 13.

Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cùm lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capræ in montibus. *Ibid.* 12. 8. *Vide v.* 21. 25. et 30.

SABBATUM. *Vide* FESTUM SABBATI.

SACERDOS.

## *Sacerdotum officia.*

Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 29. 44. *Vide totum Caput. Vide et Lev.* c. 8. *per tot.*

Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane, etc. *Ib.* 30. 7. *Vide tot. c.*

Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat. *Lev.* 10. 1. Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus : Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne fortè mo-

riamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. *v.* 6. Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quandò intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini : quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. *v.* 9. *Vide et v.* 12. *et seq.*

Dixit quoque Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, etc. *Ibid.* 21. 1. Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideò sancti erunt, etc. *v.* 6. Sint ergò sancti (*sacerdotes*), quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos, etc. *v.* 8. *per tot. c. Vide et tot. c.* 22.

Præcipe filiis Israël, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, et lucidum ad concinnandas lucernas jugiter, extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron à vespere usquè ad manè coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris. *Ibid.* 24. 2. *et seq.*

Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. *Num.* 3. 10. *Vide. c.* 4. *per tot.*

Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis : eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. *Ibid.* 10. 8.

Dixitque Dominus ad Aaron : Tu et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarii : et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri, etc. *Ibid.* 18. 1. *et seq.* Tu autem et filii tui custodite sacerdotium vestrum : et omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur, si quis externus accesserit, occidetur. *v.* 7. *Vide totum Caput.*

Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum vel immundum est judicetur. *Deut.* 21. 5. *Vide et c.* 20. 2.

Et elegi eum (*patrem Heli*) ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me : et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. 1. *Reg.* 2. 28. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet : et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. *v.* 35.

Aaron verò et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum : et ut precarentur pro Israël; justa omnia quæ

præceperat Moyses servus Dei. 1. *Par.* 6. 49.

Statimque ingressus post eum (*Oziam*) Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. Cùmque respexisset eum Azarias pontifex et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. 2. *Par.* 26. 17. *et seq. Vide c.* 31. 2.

Sacerdotes autem et Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt ceremonias sanctuarii mei, cùm errarent filii Israël à me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi; et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, et custodiant ceremonias meas. *Ezech.* 44. 15. 16. *Vide reliquum Capitis.*

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

*Christus* in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ, etc. *Hebr.* 5. 7. *Vide et v.* 1. *et seq.*

Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem (*Christus*) unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei. *Ibid.* 10. 11. 12. *Vide c.* 8. 3.

*Sacerdotum debita sustentatio.*

Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, et cedet in partem tuam. *Exod.* 29. 26. *Vide et versus sequentes.*

Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. *Lev.* 2. 3. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini, *v.* 10. *Vide c.* 5. 13. *Item Eccli.* 7. 34.

Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est. *Ibid.* 7.

6. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis, cedet in primitias sacerdotis. *v.* 32. *Vide totum caput. Item c.* 10 15. *et c.* 24. 9.

Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus, pretium eorum qui suprà sunt. *Num.* 3. 48. *Vide c.* 18. *per tot. Item.* 1. *Reg.* 2. 28.

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israël, ad sacerdotem pertinent: et quidquid in Sanctuarium offertur à singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. *Ibid* 5. 9. 10.

Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eâdem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israël, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent, et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. *Deut.* 18. 1. 2. *et seq. Vide et c.* 12. 19.

Pecuniam verò pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat. 4. *Reg.* 12. 16.

Præcepit etiam (*Ezechias*) populo habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus, et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 2. *Par.* 31. 4. *Vide et v.* 19. *Item* 1. *Par.* 6. 64. 1. *Mach.* 10. 42.

Et primitiva filiorum nostrorum, et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum, et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, *afferemus* sacerdotibus, qui ministrant in domo Dei nostri. etc. 2. *Esdr.* 10. 36. *Vide et v.* 37.

Et addidit (*Deus*) Aaron gloriam, et dedit illi hæreditatem, et primitias frugum terræ divisit illi. Panem ipsis in primis paravit in satietatem: nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, et semini ejus. *Eccli.* 45. 25. 26. *Vide* 1. *Cor* 9. 13.

*Sacerdotes et ministri domûs Dei nullum vectigal et tributum dare debent.*

Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus, Nathinæis, et ministris domûs Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos. 1. *Esdr.* 7. 24.

In omni virtute tuâ dilige eum qui te fecit: et ministros ejus ne derelinquas. *Eccli.* 7. 32. *Vide et versus sequentes.*

*Sacerdotum legis indumenta, ornamenta et ordinatio.*

*Describuntur pontificalia indumenta Aaronis, et filiorum ejus. Exod. c.* 28. *Item c.* 39.

Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur (*Aaron et filii ejus*). Tolle vitulum de armento, et arietes duos

immaculatos, panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, etc. *Ibid.* 29. 1. *et seq.* Et oleum unctionis fundes super caput ejus (*Aaronis*) : atque hoc ritu consecrabitur. *v.* 7. *Vide totum caput.*

Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aquâ, indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. *Ibid.* 40. 12.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et unctionis oleum, etc. *Levit.* 8. 1. 2. Vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, et induens eum tunicâ hyacinthinâ, et desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo, aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas, etc. *v.* 7. 8. *Vide totum caput.*

*Sacerdotibus dabantur Decimæ et Primitiæ.* Vide *Decimæ et Primitiæ.*

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israël, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in sanctuarium offertur à singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. *Num.* 5. 9. 10.

Locutusque est Dominus ad Aaron : Eccè dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna, etc. *Ibid.* 18. 8. Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii Israël, tibi dedi, et filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo : qui mundus est in domo tuâ, vescetur eis, etc. *v.* 11. *Vide totum cap. Item Ezech.* 44.

Hoc erit judicium sacerdotum à populo, et ab his qui offerunt victimas : sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum : primitias frumenti, vini, et olei, etc. *Deut.* 18. 3. 4.

*Ut liberi à sollicitudine comparandi victum, possint vacare legi Dei.*

Præcepit etiam (*Ezechias*) populo habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus, et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 2. *Par.* 31. 4. *Vide et v.* 5.

*Sacerdotum auctoritas.*

Veniesque ad sacerdotes, etc. qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint *tibi*, etc. *Deut.* 17. 9. 10. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio. — morietur homo ille, etc. *v.* 12. *Vide et v.* 11. *Item* 2. *Paral.* 19. 8. *et seq.*

Et ad verbum eorum (*sacerdotum*), omne negotium — judicetur. *Ibid.* 21. 5.

Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, etc. *Judith* 8. 21.

Honora Deum ex totâ animâ tuâ, et honorifica sacerdotes, — Da illis partem — primitiarum et purgationis. *Eccli.* 7. 33. 34. *Vide et v.* 31. 32.

Et cùm fuerit controversia, stabunt (*sacerdotes*) in judiciis meis, et judicabunt. *Ezech.* 44. 24. *Vide et v.* 23.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

*Sacerdotum in populum benedictio.*

At verò Melchisedech — sacerdos Dei altissimi, benedixit ei (*Abraham*), etc. *Gen.* 14. 18. 19.

*Dixit Dominus ad Moysen:* Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israël, et dicetis eis, etc. *Num.* 6. 23. *Vide et versus sequentes.*

Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, *et benedicet populo. Deut.* 20. 2.

Accedentque sacerdotes — et benedicant in nomine *Dei. Ibid.* 21. 5.

Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus, etc. 1. *Reg.* 2. 20.

Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, etc. Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: et exaudita est vox eorum, perveniteque oratio in habitaculum sanctum cœli. 2. *Par.* 30. 26. 27.

*Sacerdos bonus Deum piè honorat.*

Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. *Exod.* 19. 22.

Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, et sanctificaverunt filii Israël, in cunctis muneribus et donariis suis. *Ibid.* 28. 38.

Facies et labrum æneum cum basi suâ ad lavandum. — Et missâ aquâ, lavabunt in eâ Aaron, et filii ejus manus suas ac pedes, quandò ingressuri sunt tabernaculum testimonii — ne fortè moriantur. *Ibid.* 30. 18. *et seq. Vide et v.* 10.

Accede ad altare (*ait Moyses ad Aaron*), et immola pro peccato tuo; offer holocaustum, et deprecare pro te et pro populo, etc. *Levit.* 9. 7.

Sanctificabor (*ait Dominus*) in iis, qui appropinquant mihi. *Ibid.* 10. 3.

Sancti erunt Deo suo (*sacerdotes*), et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideò sancti erunt. *Ibid.* 21. 6.

Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestrâ ad ea, quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israël Domino, in quo

est immunditia, peribit coram Domino. *Ibid.* 22. 3.

Et suscitabo mihi (*ait Dominus*) sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, etc. 1. *Reg.* 2. 35.

Pactum meum fuit cum eo (*Levi*) vitæ et pacis : et dedi ei timorem, et timuit me, et à facie nominis mei pavebat. *Malach.* 2. 5. *Vide et v.* 6. *et* 7.

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. *Hebr.* 5. 1. *Vide et versus sequentes. Item c.* 8. 3.

*Honestè se gerit in victu.*

Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quandò intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. *Levit.* 10. 9.

Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse—sobrium — non vinolentum ; etc. 1. *Tim.* 3. 2. 3.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, etc. *Tit.* 1. 7. *Vide et v.* 8.

*Gestu.*

Sacerdotes tui (*Domine*) induantur justitiam. *Psal.* 131. *Vers.* 9.

Mundamini, qui fertis vasa Domini. *Isa.* 52. 11.

Et viduam, et repudiatam (*sacerdotes*) non accipient uxores, sed virgines de semine domûs Israël, etc. *Ezech.* 44. 22. *Vide et v.* 21. *Item Levit.* 21. 13. *et* 14.

Te ipsum castum custodi. 1. *Tim.* 5. 22. *Vide et v.* 11. *Item c.* 4. 12. *et c.* 6. 11. *et seq.*

Juvenilia autem desideria fuge, sectare verò justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. 2. *Tim.* 2. 22. *Vide Tit.* 2. 7.

*Proximum ædificat verbo.*

Et nunc, fratres, quoniàm vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda illorum erigite. *Judith* 8. 21.

Et populum meum docebunt (*sacerdotes*) quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis. Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, et judicabunt, etc. *Ezech.* 44. 23. 24.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est, spe, *et fide.* Sed cum modestiâ et timore, conscientiam habentes bonam : ut in eo, quod

detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. 1. *Petr.* 3. 16. *Vide c.* 2. 12.

*Exemplo.*

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 1. *Cor.* 4. 1.

Nemini dantes ullam offensionem; ut non vituperetur ministerium nostrum : sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, etc. 2. *Cor.* 6. 3. 4. *et seq.*

Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium, etc. 1. *Tim.* 4. 12.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, etc. *Tit.* 2. 7.

*Sacerdos bonus ad officium vocatur et consecratur.*

Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 28. 1.

Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. *Ibid.* 30. 30.

Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aquâ, indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. *Ibid.* 40. 12. *Vide c.* 29. 35.

Cùmque sanctificans aspersisset (*Moyses*) altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus, labrumque cum basi suâ sanctificavit oleo. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum : et consecravit *Lev.* 8. 11. 12. Quem (*arietem*) cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis. *v.* 23. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus — septem enim diebus finitur consecratio. *v.* 33. *Vide totum caput. Item Eccli.* 45. 18.

Homo de semine tuo, per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedet ad ministerium ejus : si cæcus fuerit, si claudus — si gibbus, si lippus, si etc. — Ego Dominus, qui sanctifico eos. *Ibid.* 21. 17 *et sequent. usquè ad finem.*

Et elegit (*Judas Machabæus*) sacerdotes sine maculâ, voluntatem habentes in lege Dei : et mundaverunt Sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 1. *Mach.* 4. 42. 43.

Et cùm (*Paulus et Barnabas*) constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, — commendaverunt eos Domino. *Actor.* 14. 22.

Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates

Presbyteros; sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5. *Vide et vers. sequentes.*

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. *Heb.* 5. 4.

*A bonis honoratur.*

Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, et cunctos populos ejus — præter terram sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis : quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. *Gen.* 47. 20. *et sequentes.*

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio — morietur homo ille. *Deut.* 17. 12.

Presbytero humilia animam tuam. *Eccli.* 4. 7.

In totâ animâ tuâ time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tuâ dilige eum qui te fecit : et ministros ejus ne derelinquas. *Ibid.* 7. 31. 32. Honorifica sacerdotes — Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis. *v.* 33. 34.

Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. 1. *Tim.* 5. 17.

*A Deo remuneratur.*

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israël, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in sanctuarium offertur à singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. *Num.* 5. 9. 10.

Eccè dedi tibi (*ait Dominus ad Aaron*) custodiam primitiarum. Omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali, legitima sempiterna. *Ibid.* 18. 8. In terrâ eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem, inter eos; ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israël. *v.* 20. *Vide totum caput.*

Quàm ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio ejus est. *Deut.* 10. 9. *Vide c.* 18. 1. *et sequentes.*

Non erit autem eis (*sacerdotibus*) hæreditas; ego hæreditas eorum, etc. — Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent; et omne votum in Israël ipsorum erit. Et primitiva omnium primogenitorum, et omnia libamenta ex omnibus, quæ offeruntur, sacerdotum erunt, etc. *Ezech.* 44. 28. *et seq.*

Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris : tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, etc. *Zach.* 3. 7.

*Sacerdos malus ambitiosè se ingerit.*

Arreptis Nadab et Abiu filii

Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino devoravit, eos, et mortui sunt coram Domino. *Lev.* 10. 1. *Item Num.* 3. 4. *et caput.* 26. 61.

Homo quilibet de domo Israël, si occiderit bovem aut ovem, sive capram, in castis vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit — ideò sacerdoti offerre debent filii Israël hostias suas, etc. *Ibid.* 17. 3. *et seq.*

*Core ambitiosus cum suis interiit. Num.* 16. 31. *et seq. Item Deut.* 11. 6. *Eccli.* 45. 22. *et seq.*

Refer virgam Aaron (*ait Dominus ad Moysen*) in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, et quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur. *Ibid.* 17. 10. *Vide et v.* 13.

Si quis externus accesserit, occidetur. *Ibid.* 18. 7.

*Jeroboam thus super altare jaciens, per Prophetam à Deo missum, increpatus est.* 3. *Reg.* 13. 1.

*Ozias Rex leprâ percussus fuit, eo quod officium sibi usurpare voluit sacerdotis.* 2. *Par.* 26. 19. *et seq.*

Quia contra illum (*Aaronem*) steterunt alieni — Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, et consumpti sunt in impetu iracundiæ. *Eccli.* 45. 22. 23.

Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus? et tenentes legem, nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me. *Jerem.* 2. 8.

*Proximum scandalosè inficit.*

Sacerdotes ejus (*Jerusalem*) contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea : inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam : et inter pollutum et mundum non intellexerunt, etc. *Ezech.* 22. 26.

*Semetipsum opprobriosum reddit.*

Coronas certè aureas habent super capita sua dii illorum (*Babyloniorum*) : undè subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum, et erogant illud in semetipsos. Dant autem et ex ipso prostitutis, et meretrices ornant : et iterùm cùm receperint illud à meretricibus, ornant deos suos. *Baruch* 6. 9. *Vide et v.* 27. *et seq. imò totum Caput.*

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Oseæ* 4. 6. Et erit sicut populus, sic sacerdos. *v.* 9.

Audite hoc, sàcerdotes, et attendite, domus Israël, et domus regis, auscultate; quia vobis judicium est, quoniàm laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. Et victimas declinastis in profundum. *Ibid.* 5. 1. 2.

Accingite vos, et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei: quoniàm interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio, etc. *Joel.* 1. 13.

Sacerdotes ejus (*Jerusalem*) in mercede docebant, etc. *Mich.* 3. 11.

Sacerdotes ejus (*Jerusalem*) polluerunt sanctum: injustè egerunt contra legem. *Soph.* 3. 4.

Ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, etc. *Malach.* 1. 6. 7. *et seq.* Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestrâ. *v.* 10. *Vide et v.* 12. 13.

Vos autem recessistis de viâ, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. *Ibid.* 2. 8. 9.

*Sacerdotum cupiditas.*

Tollant mihi (*filii Israël*) primitias: ab omni homine, qui offeret ultroneus (*non coactus*), accipietis eas. *Exod.* 25. 2. *Vide c.* 35. 5.

Nihil aliud possidebunt (*filii Levi*), decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi. *Num.* 18. 23. 24.

Oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres, etc. *Deut.* 16. 10.

Sacrificia Domini et oblationes ejus comedent (*Sacerdotes*); et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum. *Ibid.* 18. 1.

*Filii Heli sacrificia defraudabant, et sibi attribuebant malitiosè.* 1. *Reg.* 2. 12 *et seq.*

*Dixit res Joas ad Joïadam pontificem:* Quarè sartatecta non instauratis templi? nolite ergò amplius accipere pecuniam, juxta ordinem vestrum. 4. *Reg.* 12. 7.

Fortitudinem Gentium comedetis, et in gloriâ earum superbietis. *Isa.* 61. 6. Ego Dominus — odio habens rapinam in holocausto. *v.* 8.

Nunquid ergò spelunca latronum facta est domus ista? etc. *Jerem.* 7. 11. *Item Matth.* 21. 13. *Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46.

Et eduxit (*leœna*) unum de leunculis suis, et leo factus est: et didicit capere prædam, hominemque comedere. *Ezech* 19. 3.

Principes ejus (*Jerusalem*) in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avari ad sectanda

lucra. *Ibid.* 22. 27. *Vide Mich.* 3. 5. 11. *Soph.* 3. 3. 4.

Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. *Osee* 4. 8.

Quia multiplicavit Ephraïm altaria ad peccandum : factæ sunt ei aræ in delictum. *Ibid.* 8. 11.

Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. *Amos* 2. 8.

Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, etc. *Ibid.* 6. 1.

Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito ?... *Malach.* 1. 10. *Vide v.* 13.

Et ejiciebat (*Jesus*) omnes vendentes, et ementes in templo, etc. *Matth.* 21. 12. *Item Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45. *Joan.* 2. 14. *et seq.*

Ego scio (*ait Paulus*), quoniàm intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. *Actor.* 20. 29 Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniàm ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. *v.* 33. 34.

Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 2. *Cor.* 12. 14.

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. *Philipp.* 2. 21.

Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestrâ. *Ibid.* 4. 17.

Nocto ac die operantes, ne quem vestrûm gravaremus, *prædicavimus in vobis Evangelium Dei.* 1. *Thess.* 2. 9. *Vide eadem verba* 2. *Thess.* 3. 8.

Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse—non cupidum, etc. 1. *Tim.* 3. 2. 3.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem — non turpis lucri cupidum. *Tit.* 1. 7.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum : neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè. 1. *Petr.* 5. 2. *Vide* 1. *Mach.* 4. 8. 14.

*Sacerdotes mali, et eorum punitio.*

*Core, Dathan, et Abiron seditionem movent, et ambiunt sacerdotium, hosque vivos terra absorbet; ignis verò devorat* 250. *viros incensum offerentes: sed et alios* 14700. *murmurantes consumpsit incendium. Num. c.* 16.

*Ob peccata filiorum Heli, et nimiam patris indulgentiam, fit illi et domui ejus comminatio, ac mors filiorum prædicitur.* 1. *Reg. c.* 2. Heli autem erat senex valdè, et audivit omnia, quæ faciebant filii sui universo Israëli : et quomodò dormiebant cum mulieribus, quæ observa-

bant ad ostium tabernaculi, etc. *v.* 22. *Vide et versus sequentes.*

Prædixi enim ei (*Heli, ait Dominus*), quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eò quod noverat indignè agere filios suos, et non corripuerit eos. *Ib.* 3. 13.

Abiathar quoque sacerdoti dixit rex (*Salomon*) : Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es : sed hodiè te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. 3. *Reg.* 2. 26. *Vide et v.* 27.

Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11.

*Graviter expostulat Dominus cum filiis Israël, et Juda, ac potissimum cum pastoribus et Prophetis, quod non respicientes accepta à Deo varia beneficia, adoraverint idola, à quibus nihil boni expectare poterant, ac propterea devastandos prædicit. Jerem. c.* 5. *Vide Osee* 5. 1.

Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini. *Ibid.* 8. 7.

Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam : quia tu scientiam repulisti, repellam te, de sacerdo[illegible]ngaris mihi : et oblita es [illegible] Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego, *Osee* 4. 6. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. *v.* 9. *Vide Isa.* 24. 2.

*Propheta conqueritur, Dominum ab Israël non honorari, neque timeri, quodque sacerdotes despiciant nomen Domini, quorum rejicit sacrificia, gratam habens oblationem, quæ in omni loco ei munda offertur. Malach. c.* 1. *Vide Soph.* 3. 4.

O Sacerdotes, si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniàm non posuistis super cor, etc. *Malach.*. 2. 1. *et seq.* Vos autem recessistis de viâ, et scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, *v.* 8. *Vide v.* 9.

Et sedit Demetrius super sedem regni sui : et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israël : et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. 1. *Mach.* 7. 4. 5. Sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israël. *v.* 9. Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui. *v.* 21. *Vide et c.* 9. 55. *et* 56. *de ejus subitâ morte.*

*Sacerdotium spirituale.*

Si ergò audieritis vocem

meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. *Exod.* 19. 5. 6.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis, etc. *Isa.* 61. 6.

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. *Petr.* 2. 9.

Qui *(Christus)* dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo. *Apoc.* 1. 5. 6.

Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabimus super terram. *Ib.* 5. 10.

*Sacerdos, non lex, aut Scriptura sola, est judex.*

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari : surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. *Deut.* 17. 8. 9. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis; morietur homo ille, et auferes malum de Israël : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ. *v.* 12. 13, *Vide et v.* 10. 11. *Item c.* 21. 5. *Vide et* 2. *Paral.* 19. 8. *et seq.*

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

SACRAMENTA ET SACRAMENTALIA.

*Sacramenta novæ legis verè causant gratiam tanquàm causæ instrumentales.*

Qui manducat meam carnem, etc. in me manet, et ego in illo, etc. *Joan.* 6. 57. *Vide totum contextum.*

Baptizetur unusquisque vestrum — in remissionem peccatorum, etc. *Actor.* 2. 38. *Vide c.* 19. 5.

Tunc imponebant *(Apostoli)* manus super illos *(Samaritanos)*, et accipiebant Spiritum Sanctum, *Ibid.* 8. 17.

Salvos *nos* facit Baptisma. 1. *Petr.* 3. 21. *Vide Tit.* 3. 5.

*Sacramentum Confirmationis.*

Tunc imponebant *(Apostoli)* manus super illos *(Samaritanos)*, et accipiebant Spiritum Sanctum. *Actor.* 8. 17. *Vide et v.* 18. 19.

Et cùm imposuisset illis (*Ephesiis*) manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, etc. *Ibid.* 19. 6. 20.

Qui autem confirmat nos nobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. *Cor.* 1. 21. 22. *Vide et Hebr.* 6. 2. *de doctrinâ impositionis manuum.*

In quo (*Christo*) et vos, cùm audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo (*Christo*) et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, etc. *Ephes.* 1. 13.

*Sacramentum Pœnitentiæ.*

Et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo, etc. *Matth.* 18. 18. *Vide et c.* 16. 19.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. *Joan.* 20. 22. 23.

Pro Christo ergò legatione fungimur. 2. *Cor.* 5. 20. *Vide et v.* 18. 19.

*Sacramentum Extremæ Unctionis.*

Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. *Jac.* 5. 14. 15.

*Sacramentum Ordinis.*

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, etc. *Joan.* 20. 22. 23.

Segregate mihi Saulum et Barnabam (*inquit Spiritus Sanctus*) in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. *Actor.* 13. 2. 3. *Vide c.* 6. 6.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. *Ibid.* 20. 28.

Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

Manus citò nemini imposueris. *Ibid.* 5. 22.

Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2. *Tim.* 1. 6.

Et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

*Sacramentum Matrimonii.*

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ. *Ephes.* 5. 31. 32. *Vide Matth.* 19. 5. *et Marc.* 10. 7. Viri, diligite uxores vestras,

sicut et Christus dilexit Ecclesiam, etc. *supr. v.* 25.

Salvabitur autem (*mulier*) per filiorum generationem ; si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. 1. *Tim.* 2. 15.

*Sacramentalia, scilicet aqua lustralis, agnus Dei, etc. etc. rectè adhibentur.*

Quia omnis creatura Dei bona est, etc. sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem. 1 *Tim.* 4. 4.

*Sacrificium Novi Testamenti.* Vide *Missa.*

SALTATRIX. VIDE CHOREÆ.

Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficaciâ illius. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 4. 5. *Vide versus sequentes. Item Judic.* 21. 21. 23. *Ezech.* 25. 6. *Matth.* 14. 6. *Marc.* 6. 22.

SALUS. VIDE ET BEATITUDO.

*Salus spiritualis quomodò acquiratur.*

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. *Psal.* 29. 3. *Vide et v.* 4.

Sana (*Domine*) animam meam, quia peccavi tibi. *Psal.* 40. 5.

Qui (*Deus*) sanat contritos corde : et alligat contritiones eorum. *Psal.* 146. 3.

Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro, etc. *Eccli.* 30. 15.

Eccè Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos. *Isa.* 25. 9.

Israël salvatus est in Domino salute æternâ. *Ibid.* 45. 17. Deus justus, et salvans non est præter me. *v.* 21. *Vide et v.* 20 *et* 22.

Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniàm laus mea tu es. *Jerem.* 17. 14.

Et salvabo eos in Domino Deo suo. *Oseæ.* 1. 7.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Matth.* 16. 25. *Vide Marc.* 8. 35. *Luc.* 9. 24. *et c.* 17. 33.

*Salus à solo Deo est.*

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? *Psal.* 26. 1. *Vide et Psal.* 3. 9. *et* 17. 3. *et* 27. 9. *et* 32. 16. *et* 34. 3. *et* 105. 47. *et* 117. 25. *et* 118. 94. 117. 173.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus : qui mandas salutes Jacob. *Psal.* 43. 5. *Vide et v.* 8.

Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israël, Salvator tuus, etc. *Isa.* 43. 3. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me Salvator. *v.* 11. *Vide c.* 51. 8.

Verè in Domino Deo nostro salus Israël. *Jerem.* 3. 23. *Vide Dan.* 13. 60.

Ego autem Dominus Deus tuus, (*qui te eduxi*) ex terrâ Ægypti : et Deum absque me nescies, et Salvator non est præter me. *Oseæ* 13. 4.

Unus est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare. *Jacob.* 4. 12.

*Ex Dei gratiâ et misericordiâ per Christum confertur.*

*Christus* est lapis, etc. Et non est in alio aliquo salus, etc. *Actor.* 4. 11. 12. *Vide Ephes.* 2. 5. 8.

Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri, etc. *Tit.* 2. 11.

Undè et salvare in perpetuum potest (*Christus*) accedentes per semetipsum ad Deum. *Hebr.* 7. 25. *Vide et Christus.*

*Salus corporalis mirabiliter commendatur.*

Melior est — corpus validum, quàm census immensus. Non est census super censum salutis corporis. *Eccli.* 30. 15. 16.

*Salubriter conservatur.*

Insuper et universos languores et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat. *Deut.* 28. 61.

Jucunditas cordis, hæc est vita hominis — et tristitiam longe repelle à te: multos enim occidet tristitia, et non est utilitas in illâ. Zelus et iracundia minuunt dies, et antè tempus senectam adducet cogitatus. *Eccli.* 30. 23. *et seq. Vide totum contextum.*

In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. *Ibid.* 31. 27. *Vide v.* 24. *et* 37. *totumque contextum.*

Eccè sanus factus es : jàm noli peccare, etc. *Joan.* 5. 14.

SALUTATIO.

*Salutationis exempla.*

*Moyses* egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum : salutaveruntque se mutuò verbis pacificis. *Exod.* 18. 7.

Apparuit ei (*Gedeoni*) Angelus Domini, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime. *Judic.* 6. 12.

Ingressi sunt domum adolescentis Levitæ — salutaveruntque eum verbis pacificis. *Ibid.* 18. 15.

Et egressus est Saül obviam ei (*Samueli*), ut salutaret eum. 1. *Reg.* 13. 10. *Vide c.* 10. 4.

Misit (*David*) decem juvenes, et dixit eis : Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacificè, etc. *Ibid.* 25. 5. *Vide* 2. *Reg.* 8. 10.

Accedens autem David ad

populum, salutavit eos pacificè. *Ibid.* 30. 21.

Et ignorans (*Tobias*), quod Angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit : Undè te habemus, bone juvenis? *Tob.* 5. 6.

Et venit (*Nicanor*) ad Judam, et salutaverunt se invicem pacificè. 1. *Mach.* 7. 29. Ascendit Nicanor in montem Sion : et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace. *v.* 33.

Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloriâ, et invicem se salutaverunt, et dormierunt illic. *Ibid.* 11. 6.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. *Matth.* 10. 12. *Vide Luc.* 10. 5.

Et eccè Jesus occurrit illis (*mulieribus*), dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. *Ibid* 28. 9.

Et ingressus Angelus ad eam (*Mariam*), dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28. Et intravit (*Maria*) in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. *v.* 40.

Stetit Jesus in medio eorum (*discipulorum*), et dixit eis : Pax vobis. *Ibid.* 24. 36. *Item Joan.* 20. 19. 21. *et* 26.

Salutate Priscam, et Aquilam, adjutores meos. *Rom.* 16. 3. 2. *Vide totum caput, et* 2. *Tim.* 4. 19.

Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila et Priscilla, cum domesticâ suâ Ecclesiâ. 1. *Cor.* 16. 19. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. *v.* 20. *Vide et* 2. *Cor.* 13. 12. *Item Philipp.* 4. 21. 22. *Coloss.* 4. 12. 14. 15. 1. *Thess.* 5. 26. *Tit.* 3. 15. *Philem. v.* 23. 24. *Hebr.* 13. 24. 1. *Petr.* 5. 13. 14. 2. *Joan. v.* 13. 3. *Joan. v.* 14.

SANCTUS ET SANCTI.

*Sanctus est Deus.*

Et clamabant alter (*Seraphim*) ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus. *Isa.* 6. 3.

Et quatuor animalia — requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est et qui venturus est. *Apoc.* 4. 8.

*Sancti et mundi esse debemus.*

Viri sancti eritis mihi. *Exod.* 22. 31.

Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. *Levit.* 11. 44.

*Ait Dominus ad Moysen :* Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Ibid.* 19. 2.

Sanctificamini et estote sancti,

quia ego sum Dominus Deus vester. *Ibid.* 20. 7. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei. *v.* 26.

Sancti erunt Deo suo (*Sacerdotes*), et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideò sancti erunt. *Ibid.* 21. 6. Sint ergò sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos. *v.* 8.

Memores (*filii Israël*) præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* 15. 40.

Populus sanctus es Domino Deo tuo. *Deut.* 7. 6. *Item. c.* 14. 2.

Et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius : et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam : ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. *Ibid.* 26. 18. 19.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris. *Luc.* 1. 74. 75.

Ut quomodò Christus surrexit à mortuis — ità et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6. 4. *Vide v.* 13. *et* 19.

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, etc. *Ibid.* 12. 1. *Vide Philipp.* 4. 18.

*Deus* elegit nos in ipso (*Christo*) antè mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4. *Vide c.* 5. 3. 4.

Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam suam, et se ipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans (*eam*) lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut ru gam, aut aliquid hujusmodi ; sed ut sit sancta et immaculata. *Ibid.* 5. 25. *et seq.*

Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensâ in diem Christi. *Philipp.* 1. 10. *Vide c.* 2. 15. *Item* 1. *Thess.* 3. 13. *et c.* 5. 23.

Et vos cùm essetis aliquandò alienati, et inimici sensu in operibus malis : nunc autem (*Deus*) reconciliavit in corpore carnis ejus (*Christus*) per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. *Coloss.* 1. 21. 22.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos à fornicatione, etc. 1. *Thess.* 4. 3. *Vide v.* 7. *Item Rom.* 6. 12. 13. *c.* 8. 12. 13. 2. *Coloss.* 3. 12.

Et ipsi in omni conversatione

sancti sitis : quoniàm scriptum est : Sancti eritis, quoniàm ego sanctus sum. 1. *Petr.* 1. 15. 16. *Vide c.* 2. 11. 12. *Item Rom.* 13. 14. *Gal.* 5. 16.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo (*Deo*), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

Et qui justus est, justificetur adhuc. *Apoc.* 22. 11.

*Sanctitas à Deo datur.*

Ne polluatis nomen meum sanctum — Ego Dominus, qui sanctifico vos. *Levit.* 22. 32.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querelâ in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. 1. *Thess.* 5. 23.

In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. *Hebr. cap.* 10. 10.

Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. *Ibid.* 13. 12.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo (*Deo*), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

*Studiosè in bono ordinatur.*

Vade ad populum, et sanctifica illos hodiè et cras, lavent-que vestimenta sua, et sint parati in diem tertium, etc. *Exod.* 19. 10. 11. Descendit-que Moyses de monte ad populum; et sanctificavit eum. Cùm-que lavissent vestimenta sua, ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. *v* 14.

Homo sanctus in sapientiâ manet sicut sol. *Eccli.* 27. 12.

Sanctifica eos (*o Pater*) in veritate. *Joan.* 17. 17. Et pro eis ego sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. *v.* 19.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ — sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. 1. *Petr.* 1. 13. Et ipsi in omni conversatione sancti sitis, etc. *v.* 15.

*Fructuosè in nobis conservatur.*

Sancti eritis, quia ego sanctus sum. *Levit.* 11. 45. *Item v.* 44.

Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Ibid.* 19. 2.

Sanctificamini, et estote sancti, etc. *Ibid.* 20. 7. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei (*scil. sancti*). *v.* 26.

Et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, etc. *Deut.* 26. 18. *Vide vers.* 19.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, etc. 1. *Thess.* 4. 3. *Vide v.* 7.

Sanctus, sanctificetur adhuc. *Apoc.* 22. 11.

*Sanctum Domini.*

Septimus dies erit vobis sanctus, Sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur. *Exod.* 35. 2.

*Declaratur quandò, et quomodò sacerdos ingredi debeat sanctuarium, ipsumque expiare unà cum tabernaculo, et altari. Levit. c.* 16. *Vide et c.* 23. *per totum.*

Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël potestas ejus. *Psal.* 113. 2.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras antè porcos. *Matth.* 7. 6.

*Sancti in cœlo sunt, et cum Deo regnant.*

*Dixit Jesus latroni* : Hodiè mecum eris in paradiso. *Luc.* 23. 43.

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me antè constitutionem mundi. *Ibid.* 17. 24.

Scimus enim, quoniàm si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis, etc. 2. *Cor.* 5. 1. (Per fidem enim ambulamus, et non per speciem) audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum. *v.* 7. *Vide et v.* 2.

*Cupio* dissolvi (*inquit Paulus*), et esse cum Christo. *Philipp.* 1. 23.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3. 21. *Vide c.* 2. 7. *et c.* 21. 7.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis : stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, etc. *Ibid.* 7. 9. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, etc. *v.* 14. 15.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. *Ibid.* 14. 13.

*Sancti tanquàm amici Dei, licitè et rectè coluntur cultu religioso.*

*Abraham, Lot, Josue, ado-*

*varunt proni in terram Angelos. Gen.* 18. 2. *et c.* 19. 1. *et Josue* 5. 15.

Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum (*inquit Deus*). 1. *Reg.* 2. 30.

*Abdias, potens aulicus, adoravit pronus Eliam Prophetam adhùc viventem, quia erat Propheta à Deo dilectus.* 3. *Reg.* 18. 7.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus. *Psal.* 138. 17.

*Sic ait Christus :* Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

*Invocatio Sanctorum præcipitur.*

Protegamque urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum. 4. *Reg.* 19. 34. *et c.* 20. 6. *Vide Isa.* 37. 35.

Ite ad servum meum Job — Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, etc. *Job* 42. 8.

*Sancti pro nobis orant.*

Et dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses et Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos à facie meâ, et egrediantur. *Jerem.* 15. 1.

Hic est fratrum amator, et populi Israël : hic est, qui multùm orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. 2. *Mach.* 15. 14.

Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. *Apoc.* 5. 8.

Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, etc. *Ibid.* 8. 3. *Vide v.* 4.

*Propter eorum preces et merita, multa nobis largitur Deus, quamvis illi vitâ functi sint.*

Ego sum Deus Abraham patris tui (*dixit Dominus ad Isaac*) : noli timere, quia ego tecum sum : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. *Gen.* 26. 24. *Vide et v.* 4. 5. *Item c.* 48. 16.

*Dixit Moyses ad Deum :* Recordare Abraham, Isaac, et Israël servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli : et universam terram hanc, de quâ locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum,

quod locutus fuerat adversùs populum suum. *Exod.* 32. 13. 14.

Verumtamen in diebus tuis (*Salomon*) non faciam, propter David patrem tuum : de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Jerusalem, quam elegi. 3. *Reg.* 11. 12. 13. Porrò una tribus remanebit ei (*Salomoni*), propter servum meum David, et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israël. *v.* 32.

Sed propter David dedit ei (*Abiæ*) Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem : eò quód fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ. *Ibid.* 15. 4. 5.

Protegamque urbem hanc, et salvabo eam (*ait Dominus*) propter me, et propter David servum meum. 4. *Reg.* 19. 34. *Vide c.* 20. 6. *Idemque verbatim habetur Isa.* 37. 35.

Et in Isaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem ejus. *Eccli.* 44. 24.

*Sanctos oramus sine injuriâ Mediatoris, ut pro nobis orent, sicut et petimus ab aliis hominibus preces.*

Dixeruntque (*filii Israël*) ad Samuelem : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. 1. *Reg.* 7. 8.

Obsecro ergò vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæâ, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis. *Rom.* 15. 30. 31.

Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi. *Coloss.* 4. 3. *Item Eph.* 6. 18. 19.

Fratres, orate pro nobis. 1. *Thess.* 5. 25.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess.* 3. 1.

Orate pro nobis; confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus, benè volentes conversari. *Hebr.* 13. 18.

*Nec mirum Sanctos preces nostras cognoscere, quia sunt sicut Angeli Dei.*

In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22. 30. *Vide Marc.* 12. 25. *Luc.* 20. 36.

Ità dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno

peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* 15. 10.

*Et offerunt Deo nostras preces.*

Quandò orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 12. 12.

Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Apoc.* 5. 8.

Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. *Ibid.* 8. 3.

*Nec huic contrarium est, quod Deus solus est inspector cordis, quia et homines cognoscunt secreta cordium, Deo revelante.*

*Cognovit Samuël secreta cordis Saülis.* 1. *Reg.* 9. 19.

At ille (*Eliseus*) ait (*Giezi*) : Nonne cor meum in præsenti erat, quandò reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. 4. *Reg.* 5. 26.

Dixitque unus servorum ejus (*regis Syriæ*) : Nequaquàm, Domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israël, indicat regi Israël omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. *Ibid.* 6. 12.

Tu, Rex, cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc : et qui revelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt. *Dan.* 2. 29. *Vide v.* 30.

*Sanctorum ministerio aliquandò tribuitur quod soli Deo præcipuè convenit.* Vide *Tit. Deo soli attributa, etc.*

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* 18. 15. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *v.* 18. *Item c.* 16, 19. *Joan.* 20. 23.

Dicunt ei illi (*duo Angeli Mariæ Magdalenæ*) : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum; et nescio ubi posuerunt eum. *Joan.* 20. 13.

Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, et

salvos faciam aliquos ex illis. *Rom.* 11. 14.

Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem : iis, qui sine lege erant, tanquàm sine lege essem (cum sine lege Dei non essem : sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 1. *Cor.* 9. 20. 21. *Vide v.* 22.

Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, et converterit quis eum : scire debet, quoniàm, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte. *Jacob.* 5. 19. 20.

*In Sanctorum memoriam Deum orare; docent nos majorum exempla.*

Dixitque Jacob : Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac : Domine, qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi. *Gen.* 32. 9.

Angelus, qui eruit me (*dicit Jacob benedicens filiis suis moriturus*) de cunctis malis, benedicat pueris istis : et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham, et Isaac, et crescant in multitudinem super terram. *Ibid.* 48. 16.

*Dixit Moyses ad Deum :* Recordare Abraham, Isaac, et Israël, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli : et universam terram hanc, de quâ locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. *Exod.* 32. 13.

*Iterùm dixit Moyses :* Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob : ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum. *Deut.* 9. 27.

Cùmque jàm tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta ait : Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israël, ostende hodiè, quia tu es Deus Israël, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc, etc. 3. *Reg.* 18. 36.

Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israël, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat. 1. *Par.* 29. 18. *Vide* 2. *Paral.* 6. 42. *Item Psal.* 131. 1. 10.

*Eliphaz amicum suum Job admonuit, dicens :* Ad aliquem Sanctorum convertere. *Job* 5. 1

Et apprehendens (*Raguel*) dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens : Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. *Tob.* 7. 15. *Vide Esther* 13. 15. *et c.* 14. 18.

Quarè errare nos fecisti, Domine, de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te? Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. *Isa.* 63. 17.

Ne quæsumus; tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum : neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israël sanctum tuum : quibus locutus es, pollicens, quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris. *Dan.* 3. 34.

*Sancti vitâ defuncti, rectè à nobis laudantur.*

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione suâ. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo, etc. *Eccli.* 44. 1. 2. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus, etc. *v.* 7. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem, etc. *v.* 14. Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. Noë inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, etc. *v.* 16. Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloriâ, qui conservavit legem Excelsi, etc. *v.* 20. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob, etc. *v.* 24. 25. *Vide totum caput.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

*In sanctis suis Deus laudatur.*

Laudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus. *Ps.* 150. 1.

*Sancti judicabunt.*
Vide *Judicium.*

*Sancti faciunt miracula.*

*Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virgâ percussam in sanguinem, quæ etiam faciunt Magi suis incantationibus : quam ob causam Pharao magis induratur. Exod.* 7. *Item c.*

8. 9. *v.* 10. *et* 11. *varias immittit Deus Ægyptiis plagas, etc.*

*Elias cœlum triennio claudit, primùmque pascitur à corvis, deinde à muliere Sarephtanâ, cujus hydria farinæ et lecythus olei non minuitur: filius autem ipsius oratione Eliæ resuscitatur.* 3. *Reg. c.* 17. *Item Luc.* 4. 26. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. *v.* 22.

*Claudit cœlum ne pluat. Ibid. v.* 1. Elias homo erat similis nobis, passibilis : et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. *Jacob.* 5. 17. *Item Luc.* 4. 25.

*Aperit clausum :* Et ait Elias ad Achab : Ascende, comede et bibe : quia sonus multæ pluviæ est. 3. *Reg.* 18. 41. Cùmque se verteret huc atque illuc, eccè cœli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis, etc. *v.* 45.

Et rursùm oravit (*Elias*), et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. *Jacob.* 5. 18.

*Elias pallio dividit aquas* : Tulitque Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas; quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo (*scilicet Elias et Eliseus individuus ejus comes*) per siccum. 4. *Reg.* 2. 8. *Idem. fecit post raptum Eliæ discipulus ejus Eliseus. v.* 14.

*Eliseus sanat aquas, misso in eas sale :* Egressus (*Eliseus*) ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait : Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non erit ultrà in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergò aquæ usquè in diem hanc juxta verbum Elisei, quod locutus est. *Ibid. v.* 21.

*Oleum multiplicat Eliseus viduæ pauperculæ, quo solvat creditoribus, etc. Ibid.* 4. 7.

*Eliseus excitat puerum mortuum viduæ Sunamitidis :* At ille reversus (*Eliseus*), deambulavit in domo, semel huc atque illuc : et ascendit, et incubuit super eum : et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. *Ibid. v.* 35.

*Mittit farinam in ollam, et aufert amaritudinem ejus :* Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait : Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in ollâ. *Ibid. v.* 41.

*Item viginti tantum panibus satiat centum viros*, qui comederunt, et superfuit. *Ibid. v.* 44.

*Naaman Syrum sanat Eliseus. Scidit Rex Israël vestimenta sua, quod jussisset Rex Syriæ, ut Naaman leprosum curaret, quem Eliseus septena in Jordane lotione mundat à leprâ, quæ Giezi propter munera mendacio extorta, et ab Eliseo spreta, perpetuo adhæ-*

*sit. Ibid. c.* 5. *per totum. Item Luc.* 4. 27.

*Facit ferrum natare :* Dixit autem homo Dei : Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergò lignum, et misit illuc : natavitque ferrum, et ait : Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud. *Ibid.* 6. 6. 7.

*Percutit cæcitate milites regis Syriæ ; quos cùm duxisset in Samariam, lumen oculorum eis restituit. Ib. v.* 18. 20.

*Eliseus mortuus per contactum ossium suorum operatur miraculum :* Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. *Ibid.* 13. 21. *Vide Eccli.* 48. 14. 15.

*Apostoli ejiciunt dæmonia:* Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros et sanabant. *Marc.* 6. 13. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, etc. *Ibid.* 16. 17. *Vide et v.* 18. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. *Luc.* 10. 17. *Vide Actor.* 16. 18.

*Joannes et Petrus sanant claudum :* Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi : quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. *Actor.* 3. 6. *Vide et versus sequentes.*

*Etiam sola umbra Petri sanat :* Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ità ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur (*omnes*) ab infirmitatibus suis. *Ibid.* 5. 14. 15. *Vide et v.* 16.

*Petrus excitat Thabitam :* Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, oravit ; et conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, exerit eam. Et cùm vocasset sanctos, et viduas, assignavit eam vivam. *Ibid.* 9. 40. 41.

*Paulus restituit claudum :* Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magnâ voce : Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. *Ibid.* 14. 7. 8. 9.

*Etiam per sudaria sua curat infirmos :* Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli ; ità ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria et semi-

cinctia : et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Ibid.* 19. 11.

*Reddit vitæ puerum ex lapsu mortuum:* Ad quem (*scilicet puerum mortuum*) cùm descendisset Paulus, incubuit super eum : et complexus dixit : Nolite turbari; anima enim ipsius in ipso est. *Actor.* 20. 10.

*Sancti quoque plura fecere miracula, quæ longum esset numerare :* Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et Prophetis : qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, etc. *Hebr.* 11. 32. 33. *Vide versus sequentes.*

SANGUIS.

*Sanguinis conspersio.*

*Dixit Moyses ad seniores Israël :* Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem. *Exod.* 12. 22.

Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare. *Ibid.* 24. 6.

Quem (*arietem*) cùm immolaveris, sumes de sanguine ejus, et pones super extremum auriculæ dexteræ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. *Ibid.* 29. 20. *Vide et v.* 21. *Item Lev.* 1. 5. *et* 11. *et c.* 3. 2. 8. *et* 13.

Cùmque intinxerit (*sacerdos*) digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino, contra velum sanctuarii. *Levit.* 4. 6. Inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus (*vituli*) in tabernaculum testimonii. *v.* 16. *Vide v.* 17. *et* 18. *imò totum caput.*

Idcircò ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto : sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. *Ibid.* 7. 2.

Tollet quoque (*Aaron*) de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. *Ibid.* 16. 14. *Vide v.* 15 *et* 18. 19. *Item c.* 8. 19. *et c.* 9. 9. 18.

Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino. *Ibid.* 17. 6.

Steteruntque (*sacerdotes et Levitæ*) in ordine suo, juxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei : Sacerdotes verò suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum. 2. *Par.* 30. 16.

Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu, et mundabis

illud, et expiabis. *Ezech.* 43. 20.

Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, etc. *Hebr.* 9. 13. Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aquâ et lanâ coccineâ, et hyssopo, (ipsum quoque) librum, et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. *v.* 19. 20. *Vide v.* 21. 22. *Item c.* 11. 28.

*Sanguinis Christi conspersio.*

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? *Hebr.* 9. 13. 14.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, etc. *Ibid.* 10. 19.

Accessistis ad — testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem meliùs loquentem, quàm Abel. *Hebr.* 12. 22. 24.

Secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritûs, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 2. *Vide* 1. *Joan.* 1. 7. *et Apoc.* 1. 5. *et c.* 5. 9.

*Sanguinis esus prohibitus.*

Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis, *Genes.* 9. 4.

Nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis. *Lev.* 3. 17.

Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tàm de avibus, quàm de pecoribus. *Ibid.* 7. 26.

Homo quilibet de domo Israël, et de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo. *Ibid. c.* 17. *v.* 10. Anima enim omnis carnis in sanguine est : undè dixi filiis Israël : Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est : et quicumque comederit illum, interibit. *v.* 14.

Non comedetis carnem cum sanguine. *Ibid.* 19. 26.

Sin autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide, et comede — absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram, quasi aquam effundes. *Deut.* 12. 15. 16. Hoc solùm cave, ne sanguinem comedas : sanguis enim eorum (*Armentorum, et pecorum*) pro anima est : et idcircò non debes animam comedere cum carnibus. *v.* 23.

Hoc solùm observabis, ut sanguinem eorum (*Armentorum et ovium*) non comedas; sed effundes in terram quasi aquam. *Ibid.* 15. 23.

Nuntiaverunt autem Saüli, dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis; volvite ad me jàm nunc saxum grande. Et dixit Saül: Dispergimini in vulgus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum, et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino, comedentes cum sanguine. 1. *Reg.* 14. 33. 34. *Vide v.* 32.

Abstineant se *conversi ex gentibus* — à sanguine, *Act.* 15. 20. *Vide v.* 29.

De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, judicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. *Ibid.* 21. 25.

*Sanguinis innocentis effusio, clamat vindictam coram Deo, Vide et Homicidium.*

Dixitque ad eum (*Dominus ad Caïn*): Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. *Gen.* 4. 10. *Vide Hebr.* 12. 24.

Jàm non silebo de impietatibus eorum, quæ irreligiosè agunt, nec sustinebo in his, quæ iniquè exercent: ecce sanguis innoxius et justus clamat ad me, et animæ justorum clamant perseveranter. 4. *Esdr.* 15. 8. *Vide v.* 9. *Item Apoc.* 6. 10.

*Sanguinis innocentis effusio.*

Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias: aut cùm esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit: percussor, homicidii reus erit. *Num.* 35. 20. 21.

Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. *Deut. Cap.* 19. *v.* 11, 12. *Vide v.* 10.

Maledictus qui clàm percusserit proximum suum: et dicet omnis populus, Amen. *Ibid.* 27. 24.

Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve, mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, etc. 2. *Reg.* 20. 9. 10. *Vide c.* 4. 7. 11. *de occisione Isboseth.*

At illi (*falsi testes*), scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum (*Naboth ob negatam regi Achab vineam*) testimonium coram multitudine: be-

nedixit Naboth Deum et regem : quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. ( *Scilicet jussu Jezabel accusatus lapidatur.* ) 3. *Reg.* 21. 13.

Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multùm nimis, donec impleret Jerusalem usquè ad os. 4. *Reg.* 21. 16. *Item c.* 24. 4.

Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Joïada pater illius secum, sed interfecit filium ejus. Qui cùm moreretur, ait : Videat Dominus, et requirat. 2. *Par.* 24. 22.

Ego misi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfecistis, et laniastis corpora eorum, quorum sanguinem exquiram, dicit Dominus. 4. *Esdr.* 1. 32.

Manus effundentes innoxium sanguinem, *odit Deus. Prov.* 6. 17.

Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usquè ad lacum fugerit, nemo sustinet. *Ibid.* 28. 17.

Eccè enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum : et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultrà interfectos suos. *Isa.* 26. 21.

Advenæ, et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc. *Jerem.* 7. 6. *Idem repetitur c.* 22. 3.

In sanguine tuo (*Jerusalem*) qui à te effusus est, deliquisti : et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es : et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum : propterea dedi te opprobrium Gentibus, et irrisionem universis terris. *Ezech.* 22. 4. *Vide v.* 12.

Et salvatus est sanguis innoxius in die illâ. *Dan.* 13. 62. *Vide v.* 53. *Item Exod.* 23. 7.

Ideò eccè ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem : ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi usquè ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare, etc. *Matth.* 23. 34. 35. 37. *Vide Gen.* 4. 8. *Idem habetur verbatim Luc.* 11. 50. 51. *et c.* 13. 34. *Item Apoc.* 6. 10.

Et in eâ ( *Babylone* ) sanguis prophetarum, et sanctorum inventus est, et omnium, qui interfecti sunt in terrâ. *Apoc.* 18. 24.

*Sanguine Christi empti sumus.*

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Actor.* 20. 28.

Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro. 1. *Cor.* 6. 20.

Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. *Ibid.* 7. 23.

Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis — sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati. 1. *Petr.* 1. 18. 19. *Vide Hebr.* 9. 14. *Item* 1. *Joan.* 1. 7.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniàm occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione, etc. *Apoc.* 5. 9. *Vide c.* 1. 5.

SAPIENTIA.

*Sapientia vera quæ.*

Eccè timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere à malo, intelligentia. *Job* 28. 28.

Quis sapiens, et custodiet hæc? et intelliget misericordias Domini? *Psal.* 106. 43.

Initium sapientiæ timor Domini. *Psal.* 110. 10. *Item Prov.* 1. 7. *et c.* 9. 10. *Item Eccli.* 1. 16. *et c.* 19. 18.

Qui custodit legem, filius sapiens est. *Prov.* 28. 7.

Cor sapientis intelligitur in sapientiâ, et auris bona audiet cum omni concupiscentiâ sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se à peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit. *Eccli.* 3. 31. 32.

Quæ autem desursùm est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, et fructibus bonis, etc. *Jacob.* 3. 17. *Vide et v.* 13. 15.

*Sapientiæ divinæ origo, proprietas, laus, et utilitas.*

Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna, etc. *Deut.* 4. 6.

Custodite ergò verba pacti hujus, et implete ea : ut intelligatis universa, quæ facitis. *Ibid.* 29. 9.

Undè ergò sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet, etc. *Job* 28. 20. 21. Et dixit homini : Eccè timor Domini ipsa est sapientia : et recedere à malo, intelligentia. *v.* 28. *Vide v.* 12. *imò ab hoc versu usquè ad finem.*

Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. *Ibid.* 32. 7. *Vide versus sequentes.*

Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia ; hoc autem plus habet eruditio

et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. *Eccles.* 7. 12. *Vide v.* 20. *et* 26. *Item c.* 8. 1.

Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam : Civitas parva, et pauci in eâ viri : venit contra eam rex magnus, et vallavit eam : extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in eâ vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis : et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine, etc. *Ibid.* 9. 13. *Vide reliqua verba hujus capitis.*

Clara est : et quæ nunquàm marcessit sapientia, et facilè videtur ab his, qui diligunt eam, etc. *Sap.* 6. 13. Cogitare ergò de illâ, sensus est consummatus : et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit. *Ibid.* 16. *Vide totum caput. Item c.* 1. 6.

*Cùm unus sit omnibus introitus ad vitam, et similis exitus, præ omnibus eligenda est sapientia, afferens secum cuncta bona, habens spiritum intelligentiæ multiplicem ; et quæ hic mirum in modum extollitur, quamque abundè auctor fuerat consecutus. Ibid c.* 7. *per totum*

*Cùm sapientiam comitentur omnia desiderabilia, summè ambienda est, et à Deo petenda, à quo solo datur continentia. Ibid. c.* 8. *per tot. Vide et c.* 9. *per totum.*

*Commendatur sapientia, quod servaverit, et à malis liberaverit Adam, Noe, Abraham, Lot, Jacob, Joseph, Moysen, per quem filios Israël de Ægypto duxit per mare rubrum, demersis in eo Ægyptiis. Ibid. c.* 10. *per totum.*

*Sapientia incomprehensibilis, et in creaturis relucens, ab æterno originem à solo Deo trahit, quam dat diligentibus ac timentibus ipsum. Nam timor Domini, qui hoc capite multipliciter commendatur, non solùm sapientiam, sed et reliquas secum affert virtutes : simplici autem corde ad Deum accedendum est. Eccli. c.* 1. *per totum. Vide c.* 4. *v.* 12. 28.

Omnis sapientia à Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. *Ibid.* 1. 1. Initium sapientiæ, timor Domini, etc. *v.* 16. *Et c.* 24. *toto capite enumerantur sapientiæ laudes, et origo describitur.*

Sapientia filiis suis vitam inspirat, etc. Et qui illam diligit, diligit vitam, etc. *Ib.* 4. 12. 13. *Vide versus sequentes, et v.* 28. 29. *Item. c.* 11. 1. 15.

Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *Ibid.* 21. 12. 13. *Vide v.* 15. 16.

Sapientiam ejus (*viri sapientis*) enarrabunt Gentes, et laudem ejus enuntiabit Ecclesia. *Ibid.* 39. 14. *Vide v.* 1. *et* 12.

Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt : verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. *Jerem.* 8. 9.

Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc. c.* 21. 15.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! *Rom.* 11. 33.

Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Christi. 1. *Cor.* 1. 17. *Vide v.* 19. *et seq.*

Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam verò non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, etc. *Ibid.* 2. 6. 7. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. *v.* 10. *Vide et v.* 1. 4. 5.

Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutiâ eorum. *Ibid.* 3. 19. *Vide v.* 20.

In quo (*Christo*) sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. *Coloss.* 2. 3.

Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. *Jac.* 1. 5. *Vide c.* 3. 13. *et seq. usquè ad finem capitis.*

### *Sapientia vera à Deo acquiritur.*

Et qui appropinquant pedibus ejus (*Dei*), accipient de doctrinâ illius. *Deut.* 33. 3.

Quia postulasti verbum hoc (*ait Deus Salomoni*), et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum : sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium : ecce feci tibi secundùm sermones tuos, etc. 3. *Reg.* 3. 11. 12. *Vide c.* 4. 29. 30. 31. *Item* 2. *Par.* 1. *v.* 10. 11. 12.

Sapientia verò ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terrâ suaviter viventium. *Job* 28. 12. 13. Trahitur autem sapientia de occultis. *v.* 18. *Vide totum caput.*

Quoniàm non cognovi litteraturam — Deus, docuisti me à juventute meâ. *Psal.* 70. 15. 17.

Super inimicos meos prudentem me fecisti. *Psal.* 118. 98.

Timor Domini, principium sapientiæ. *Prov* 1. 7. *Item*

*Psal.* 110. 10. *Eccli.* 1. 16. *et c.* 19. 18.

Fili mi : si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua : inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ : si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam : tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies : quia Dominus dat sapientiam : et ex ore ejus prudentia, et scientia. *Ibidem* 2. 1. *et sequentes. Vide versum* 10. *et caput.* 7. 4.

Principium sapientiæ, timor Domini. *Ibid.* 9. 10. *Vide tot. caput. Item c.* 8. *per totum.*

Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. *Eccles.* 10. 10. *Vide v.* 1. *Item c.* 7. 20. *c.* 8. 1. *c.* 9. 18.

Quoniàm in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* 1. 4. *Vide v.* 6.

Clara est, et quæ nunquàm marcescit sapientia, et facilè videtur ab his, qui diligunt eam et invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat, etc. *Ibid.* 6. 13. 14. *Vide totum caput.*

Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus : et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ, etc. *Ibid.* 7. 7. Et cùm sit una, omnia potest : et in se permanens, omnia innovat : et per nationes in animas sanctas se transfert, etc. *v.* 27. *Vide totum caput. Item capita* 8. 9 10. 11.

Omnis sapientia à Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. *Eccli.* 1. 1. Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundùm datum suum, et præbuit illam diligentibus se. *v.* 10. Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi, etc. *v.* 33. *Vide totum caput.*

Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam : et si dilexeris audire, sapiens eris. *Ibid.* 6. 34. *Vide v.* 35.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. *Ibid.* 21. 14. *Vide v.* 15.

Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu, sapientiam percipiet : quâ sapientiâ replebitur, etc. *Ibid.* 38. 25.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit. *Ibid.* 39. 1. 2. *Vide versus* 12. *et* 14.

Omnia autem Dominus fecit, et piè agentibus dedit sapientiam. *Ibid.* 43. 37.

Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, etc. *Isa.* 48. 17.

Quis ascendit in cœlum, et accepit eam (*sapientiam*), et eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, et invenit illam? — Non est qui possit scire vias ejus, etc. *Baruch* 3. 29. *Vide v.* 23. 28.

Sit nomen Domini benedictum à sæculo et usquè in sæculum : quia sapientia et fortitudo ejus sunt, etc. *Dan.* 2. 20. Ipse revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. *v.* 22. *Vide v.* 21. 23.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25. *Item Luc.* 10. 21.

Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo. — et dabitur ei. *Jac.* 1. 5. *Vide c.* 3. 13. *usquè ad finem capitis.*

*A stulto despicitur.*

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prov.* 1. 7.

Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est, etc. *Sap.* 3. 11.

Quàm aspera est nimiùm sapientia indoctis hominibus! et non permanebit in illâ excors. *Eccli.* 6. 21. *Vide v.* 23. *et seq.*

Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum, etc. *Isa.* 27. 11.

Et populus non intelligens, vapulabit. *Osee* 4. 14.

*A bonò exquiritur, quia ordinatur ad Deum.*

Hæc est enim vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna. *Deut.* 4. 6.

Et dixit (*Deus*) homini : Eccè timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere à malo, intelligentia. *Job* 28. 28.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3. 5.

Sapiens timet, et declinat à malo. *Ibid.* 14. 16.

Qui de luce vigilaverit ad illam (*sapientiam*), non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet, etc. *Sap.* 6. 15. *Vide totum caput.*

Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientiâ inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, etc. *Ibid.* 7. 28. 29.

Initium sapientiæ, timor Domini. *Eccli.* 1. 16. (*Item Psal.* 110. 10. *Prov.* 1. 7. *et c.* 9. 10.) Radix sapientiæ est timere Deum, et rami illius longævi. *v.* 25. Sapientia enim et

disciplina, timor Domini. *v.* 34. *Vide totum caput.*

Beatus vir, qui in sapientiâ morabitur, etc. *Ibid.* 14. 22. *Vide versus sequentes.*

Et non est sapientia, nequitiæ disciplina : et non est cogitatus peccatorum, prudentia. *Ibid.* 19. 19.

Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *Ibid* 21. 13. *Vide v.* 14. *et seq.*

Sapiens non odit mandata et justitias. *Ibid.* 33. 2.

Cor suum tradet (*sapiens*) ad vigilandum diliculò ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.—Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum; et ipse tanquàm imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino. *Ibidem* 39. 6. 8. 9. *Vide versus seq.*

Videte itaque, fratres, quomodò cautè ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniàm dies mali sunt. *Ephes.* 5. 15. 16. *Vide Coloss.* 4. 5.

Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

*Erga se ipsum.*

Ne sis sapiens apud temetipsum. *Prov.* 3. 7.

Sapientia callidi, est intelligere viam suam : et imprudentia stultorum errans. *Ibid.* 14. 8.

In facie prudentis lucet sapientia. *Ibid.* 17. 24.

Scientia sapientis tanquàm inundatio abundabit, etc. *Eccli.* 21. 16. *Vide c.* 27. 12.

Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, etc. Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. *Rom.* 12. 3. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *v.* 16.

Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. *Ibid.* 16. 19.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. *Cor.* 3. 18. *Vide v.* 19. 20.

*Erga proximum verbo.*

Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem. *Prov.* 27. 11.

Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. *Eccles.* 8. 5.

Verba oris sapientis, gratia. *Ibid.* 10. 12.

In linguâ enim sapientia dignoscitur : et sensus, et scientia et doctrina in verbo sensati. *Eccli.* 4. 29.

Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit. *Ibid.* 20. 13. Sapiens in verbis producet se ipsum, et homo prudens placebit magnatis. *v.* 29. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam. *v.* 32. 33.

Os prudentis quæritur in ecclesiâ, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. *Eccli.* 21. 20. *Vide v.* 16.

Vir sapiens plebem suam erudit, et fructus sensus illius fideles sunt. Vir sapiens implebitur benedictionibus, et videntes illum, laudabunt. *Ibid.* 37. 26. 27. *Vide vers.* 29.

Gratias ago Deo meo — quòd in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientiâ. 1. *Cor.* 1. 4. 5.

*Opere.*

Sapiens corde præcepta suscipit. *Prov.* 10. 8.

Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia. *Ibid.* 12. 15.

Sapientia hominis lucet in vultu ejus. *Eccles.* 8. 1. *Vide c.* 2. 14. *Item Prov.* 17. 24.

Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertiâ. Omnis astutus agnoscit sapientiam, et invenienti eam dabit confessionem. *Eccli.* 18. 27. 28.

Disciplinam in pace conservate, filii, etc. *Ibid.* 41. 17. *Vide totum. versum, et cap.* 18. *Item c.* 20. 32. 33.

Qui sapiens, et disciplinatus inter vos? ostendat ex bonâ conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Jac.* 3. 13. *Vide et versus sequentes, usquè ad finem capitis.*

*Decorat in bonis.*

Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiâ: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri; primi et purissimi fructus ejus: pretiosior est cunctis opibus: et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Prov.* 3. 13. 14. 15. *Vide et versus sequentes.*

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris. *Ibid.* 9. 12. *Vide totum caput.*

Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. *Eccles.* 7. 13. *Vide totum caput.*

Super salutem et speciem dilexi illam (*sapientiam*), et proposui pro luce habere illam: quoniàm inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, et innumerabilis honestas per manus illius, etc. *Sap.* 7. 10. 11. *Vide totum caput.*

Mitte illam (*Sapientiam, Domine*) de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobriè, et custodiet me in suâ potentiâ, etc. *Ibid.* 9. 10. 11. *Vide v.* 19.

Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. *Eccli.* 21. 24.

Est sapiens, animæ suæ sapiens : et fructus sensûs illius laudabilis. *Ibid.* 37. *v.* 25. Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum, *v.* 29. *Vide v.* 26. *et* 27.

*In bonis naturæ.*

Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. *Prov.* 1. 33.

Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit : consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris à viâ malâ, et ab homine, qui perversa loquitur. *Ibid.* 2. 10. *et seq.*

Gloriam sapientes possidebunt. *Ibid.* 3. 35.

Melior est enim sapientia cunctis ( *opibus* ) pretiosissimis : et omne desiderabile ei non potest comparari. *Ibid.* 8. 11. *Vide c.* 3. 15.

Vir sapiens, fortis est : et vir doctus, robustus et validus. *Ibid.* 24. 5.

Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. *Eccles.* 7. 12. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. *v.* 20. *Vide v.* 13.

Et si divitiæ appetuntur in vitâ, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? *Sap.* 8. 5. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis. *v.* 10. *Vide tot. c.*

*Sapientia mundi hujus vana, et stultitia mera, ideòque fugienda.*

*Deus*, qui apprehendit sapientes in astutiâ eorum, et consilium pravorum dissipat. *Job* 5. 13.

Ne sis sapiens apud temetipsum : time Deum, et recede à malo. *Prov.* 3. 7.

Ego sum Dominus — irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens : convertens sapientes retrorsùm : et scientiam eorum stultam faciens. *Isa.* 44. 24. 25.

Quia stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt, et vecordes : sapientes sunt ut faciant mala : benè autem facere nescierunt. *Jerem.* 4. 22.

Fratres — non sitis vobis ipsis sapientes, *sed Deo. Rom.* 11. 25.

Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. *Ibid.* 12. 3. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, etc. *v.* 16.

Et sermo meus ( *inquit Paulus* ), et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam verò

non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur, etc. 1. *Cor.* 2. 4. *et seq. Vide et v.* 7.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. *Ibid.* 3. 19. *Vide totum versum, et v.* 20. *Item Job* 5. 13.

In simplicitate cordis (*inquit Paulus*), et sinceritate Dei, et non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei, conversati sumus in hoc mundo : abundantiùs autem ad vos. 2. *Cor.* 1. 12.

Non est enim ista sapientia (*scil. mundi*) desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Jac.* 3. 15. *Vide ibidem egregiam differentiam inter sapientiam terrenam et cœlestem.*

*Sapientia mala, sive mundana, Deum provocat.*

Melior est homo, qui minuitur sapientiâ, et deficiens sensu in timore (*Dei*), quàm qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi. *Eccli.* 19. 21.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobis metipsis prudentes. *Isa.* 5. 21.

Claudet (*Dominus*) oculos vestros, prophetas, et principes vestros, qui vident visiones, operiet. *Ibid.* 29. 10. *Vide v.* 14. *Item Abd. v.* 8.

Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint. *Ibid.* 40. 23.

Et fiduciam habuisti (*Babylon*) in malitiâ tuâ, et dixisti : Non est qui videat me : Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te. *Ibid.* 47. 10.

Quomodò dicitis : Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? *Jer.* 8. 8. *Vide v.* 9. *et c.* 49. 7. *Item Ezech.* 28. 4. 5.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, etc. *Rom.* 12. 16.

Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo — Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientiâ non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 1. *Cor.* 1. 19. *et seq.*

*Peccatum multiplicat.*

Et non est sapientia nequitiæ disciplina : et non est cogitatus (*bonus*) peccatorum prudentia. Est nequitia, et in ipsâ execratio : et est insipiens, qui minuitur sapientiâ. — Est solertia certa, et ipsa iniqua. *Eccli.* 19. 19. *et seq.*

Sapientes sunt, ut faciant mala : bene autem facere nescierunt. *Jer.* 4. 22.

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1. 22.

Nam prudentia carnis mors est : prudentia autem spiritûs, vita et pax. Quoniàm sapientia

carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta : nec enim potest. *Ibid.* 8. 6. 7.

Scientia inflat, caritas verò ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondùm cognovit, quemadmodùm oporteat eum scire. 1. *Cor.* 8. 1. 2.

*Proximum molestat.*

*Sic Achitophel consilia contra David dedit Absaloni, cum dixit :* Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum : ut cùm audierit omnis Israël, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 2. *Reg.* 16. 21.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt. *Luc.* 16. 8.

Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, et mendaces esse adversùs veritatem. *Jac.* 3, 14. *Vide versus sequentes.*

*Ipsum hominem infamat.*

Vidisti hominem sapientem sibi videri ? magìs illo spem habebit insipiens. *Prov.* 26. 12.

Sapiens sibi videtur vir dives : pauper autem prudens scrutabitur eum. *Ibid* 28. 11.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. Est autem sapientia, quæ abundat in malo. *Eccli.* 21. 14. 15.

Stultus factus est omnis homo à scientiâ. *Jer.* 51. 17.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum, etc. 1. *Cor.* 3. 19. *Vide totum versum, et v.* 20.

*Satisfactio.* Vide *Pœnitentia.*

SCANDALUM.

*Vide et* MALUM EXEMPLUM.

*Scandalum seu offendiculum proximo, nec in vitâ, nec in doctrinâ ponendum.*

*Heva graviùs punitur à Deo, quàm Adam, quia ipsa induxit Adam ad peccandum. Gen.* 3. 16. *Vide et v.* 6.

Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. *Lev.* 4. 3. *Vide Num.* 31. 15. 16.

*Imperat Deus Israëlitis, ut Amalecitas delerent de terrâ, quia illos voluerunt impedire ab ingressu terræ promissæ. Deut.* 25. 17. *et seq. Confer Exod.* 17. 8.

Et erat ergò peccatum puerorum (*filiorum Heli*) grande nimis coram Domino : quia retrahebant homines à sacrificio Domini : *hinc tam graviter postèà à Deo punitur.* 1. *Reg.* 2. 17. *Vide v.* 34. *et c.* 4. 11.

Verumtamen, quoniàm blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur (*inquit Nathan ad regem David*). 2. *Reg.* 12. 14.

*Jeroboam, qui erexit idola, peccare fecit Israël : hinc de illo dicitur : quòd* operatus *sit* mala, super omnes, qui fuerunt ante *eum : et horribiles pœnæ per Ahiam Prophetam à Deo illi denuntiantur.* 3. *Reg.* 14. 9. *Confer c.* 12. 28. *et seq.*

Qui decipit justos in viâ malâ, in interitu suo corruet : et simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28. 10.

*Eleazarus noluit simulare, quod comederet carnem prohibitam :* Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum : et ipsi propter meam simulationem — decipiantur, etc. 2. *Mach.* 6. 24. 25.

*Petrus, cùm prohibere vellet Christum à passione suâ et morte, audivit à Christo :* Vade post me, Satana, scandalum es mihi. *Matth.* 16. 23. *Item Marc.* 8. 33.

Ut autem non scandalizemus eos, vade (*Petre*) ad mare, et mitte hamum : et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te. *Ibid.* 17. 26.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Ibid.* 18. 6.

Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me : bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria in collo ejus, et in mare mitteretur. *Marc.* 9. 41. *Vide c.* 4. 17.

Impossibile est, ut non veniant scandala : væ autem illi, per quem veniunt, etc. *Luc.* 17. 1. *Vide v.* 2. *Item Joan.* 16. 1.

Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum, etc. *Romanos.* 14. 1. Non ergo amplius invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. *v.* 13. Si enim propter cibum frater tuus contristatur : jam non secundùm caritatem ambulas. *v.* 15. *Vide v.* 21.

*Paulus ait, quod quanquàm idolothytis vesci non sit ex se illicitum, cùm idolum nullius sit efficaciæ aut potestatis ; non sunt tamen illa edenda aut repugnante conscientiâ, aut cum infirmorum offendiculo : neque ea edere aut non edere, hominem efficit meliorem.* 1. *Cor. c.* 8. *per totum. Vide præcipuè v.* 13. *ubi ait :* Quapropter si esca scandalizat fratrem meum : non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei, etc. *Ibid.* 10. 32.

Nemini dantes ullam offen-

sionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. *Cor.* 6. 3.

Ab omni specie malâ abstinete vos. 1. *Thess.* 5. 22.

*Quidquid nos scandalizat, vitemus.*

Cave, ne unquàm cum habitatoribus terræ illius (*gentilium*) jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. *Exod.* 34. 12. *Vide c.* 23. 32. 33.

*Nulla cum gentibus societas contrahenda. Deut. c.* 7. Percuties eas usquè ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum. *v.* 2. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tuî. *v.* 16. *Vide v.* 25. 26.

*Pseudopropheta à Deo avertens, occidi debet, quantumvis propinquus sit vel amicus; imò et urbs vastari debet funditùs, cujus habitatores id facere conati fuerint. Ibid. c.* 13.

*Mathathias videns Judæum publicè immolantem idolis*, insiliens trucidavit eum super aram, *ut hoc scandalum tolleret.* 1. *Mach.* 2. 23. 24.

Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum, etc. *Matth.* 5. 29. 30. *Item c.* 18. 8. 9.

Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me : bonum est ei magìs si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, etc. *Marc.* 9. 41. 42. *Vide v.* 44. 46.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis. *Rom.* 16. 17.

*Scandali Pharisaici, sive accepti, exempla.*

Et eccè offerebant ei (*Christo*) paralyticum, jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et eccè quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. *Matth.* 9. 2. 3. *Item Marc.* 2. 3. *et seq. Luc.* 5. 18. *et seq.*

Et factum est, discumbente eo (*Jesu*) in domo, eccè multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus : Quarè cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester. *Ibid. v.* 10. 11.

*Vide Marc.* 2. 16. *Luc.* 5. 30. *et c.* 15. 2.

*Nazaræi* scandalizabantur in eo (*Jesu, quòd esset fabri filius, etc. Ibid.* 13. 57. *Item Marc.* 6. 3. *Joan.* 6. 42.

Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei (*Jesu*) : Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? etc. *Ibid.* 15. 12. *Vide c.* 26. 31. 33. *Item Marc.* 14. 27. 29.

Et beatus est (*inquit Jesus*) quicumque non fuerit scandalizatus in me. *Luc.* 7. 23. *Item Matth.* 11. 6. *Vide Joan.* 16. 1.

*Scandalizati sunt Judæi in Jesu, quia dicebat carnem suam esse cibum et sanguinem suum potum. Joan.* 6. 62.

*Vide scandali Pharisaici egregium exemplum, Luc.* 7. 39. *Joan.* 7. 43. *Item c.* 8. 44. *Actor.* 4. 2. *c.* 11. 2. *c.* 13. 45. *c.* 28. 29.

SCORTATIO.

*Scortationis mala.* Vide *Fornicatio.*

*Scortationis damnatio et pœna.*

*Si in puellâ nuptâ non invenitur virginitas,* ejicient eam extra fores domûs patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur: quoniàm fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui. *Deut* 22. 21. *Vide Jer.* 29. 23. *Ezech.* 22. 11. 1. *Cor.* 5. 9.

Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël, etc. *Ibid.* 23. 17. *Vide et Exod.* 20. 14. *Luc.* 18. 20. *Jac.* 2. 11.

Pedes ejus (*meretricis*) descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. *Prov.* 5. 5. *per totum. Vide item c.* 6. 24. *et seq. et c.* 7. 5. *per totum, et c.* 31. 3.

Ego judico (*ait Jacobus*) non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum; sed scribere ad eos, ut abstineant se à — fornicatione. *Actor.* 15. 20. *Vide Rom.* 1. 19.

Sicut in die honestè ambulemus : non in comessationibus, et in ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, etc. *Rom.* 13. 13.

Neque fornicarii, etc. regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10. Nescitis, quoniàm corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? Absit — Fugite fornicationem, etc. *v.* 15. 18.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt unâ die viginti tria millia. *Ibid.* 10. 8. *Vide* 2. *Cor.* 12. 21.

Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc. *Gal.* 5. 19. *Vide Coloss.* 3. 5.

Hoc autem scitote intelligentes, quòd omnis fornicator — non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. *Ephes.* 5. 5. *Vide v.* 3.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos à fornicatione : ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione et honore : non in passione desiderii, sicut et Gentes, quæ ignorant Deum. 1. *Thess.* 4. 3. *et seq.*

Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

*Fornicatorum* pars — erit in stagno ardenti igne, et sulphure. *Apoc.* 21. 8.

*Scortationis punitæ exempla.*

*Sodomitæ, Gen.* 19. 24. *Sichimitæ, c.* 34. 25. *et seq. Israëlitæ, Num.* 25. 1. *Israëlita quidam, v.* 6. *et seq. Benjamitæ, Judic.* 20. 46. *per totum caput. Filii Heli, Ophni et Phinees*, 1. *Reg.* 2. 22. 34. *et c.* 4. 17. *Vide Jer.* 5. 7. *et seq.*

SCRIPTURA SACRA.

*Scriptura sacra undè sit, et quis ejus usus.*

Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josuë. *Exod.* 17. 14.

Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israël pepigi fœdus. *Ibid.* 34. 27.

Et nunc, Israël, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te : ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. *Deut.* 4. 1.

Accipiens (*rex*) exemplar (*legis in volumine*) à sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. *Ibid. cap.* 17. *v.* 18. 19.

Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israël. *Ibid.* 31. 9.

Non recedat (*ait Dominus ad Josuë*) volumen legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quæ scripta sunt in eo : tunc dirriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue* 1. 8.

Attulit ergò Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die primâ mensis septimi. Et legit in eo apertè in plateâ, quæ erat ante portam aquarum, de mane usquè ad mediam diem,

in conspectu virorum ac mulierum, et sapientium : et aures omnis populi erant erectæ ad librum. 2. *Esdr.* 8. 2. 3. *Vide v.* 8. *et* 18.

Et dixerunt Esdræ pontifici, et lectori, ut afferret legem Moysi, quæ tradita est à Domino Deo Israël. 3. *Esdr.* 9. 39. *Vide versus sequentes.*

Eccè loquere in aures plebis meæ sermones prophetiæ, quos immisero in os tuum, dicit Dominus. Et fac ut in charta scribantur, quoniàm fideles et veri sunt. 4. *Esdr.* 15. 1. 2.

Nunc ergò ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usquè in æternum. *Isa.* 30. 8.

Requirite diligenter in libro Domini, et legite ; unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit : quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. *Ibid.* 34. 16.

Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversùm Israël et judam, et adversùm omnes gentes, à die quâ locutus sum ad te, ex diebus Josiæ usquè ad diem hanc. *Jer.* 36. 2. Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori in introitu portæ novæ domûs Domini, audiente omni populo. *versum* 10. *Vide totum caput.*

Verbum, quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cùm scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, etc. *Ibid.* 45. 1.

Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joakim regis Juda, et ad aures universi populi venientis ad librum. *Baruch* 1. 3. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemni, et in die opportuno. *v.* 14.

Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum : omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam : qui autem dereliquerunt eam, in mortem, etc. *Ibid.* 4. 1.

Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scripturâ veritatis : et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. *Dan.* 10. 21.

Nos — habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. 1. *Mach.* 12. 9.

Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Matth.* 4. 4. *Vide Deut.* 8. 3. *Item Luc.* 4. 4.

Erratis (*ait Christus Sadducæis negantibus resurrectionem*) nescientes Scripturas,

neque virtutem Dei. *Ibid.* 22. 29. *Vide Marc.* 12. 24.

Habent Moysen, et Prophetas : audiant illos. *Luc* 16. 29.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me (*ait Christus Judæis.*) *Joan.* 5. 39.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc, etc. *Ibid.* 20. 30. *Vide c.* 21. 25. *Item Rom.* 1. 2.

Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis ubi per omne Sabbatum legitur. *Actor.* 15. 21.

Hi autem erant nobiliores eorùm, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, etc. *Ibid.* 17. 11.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* 15. 4. *Vide c.* 4. 23. *Item.* 1. *Cor.* 9. 9. *et c.* 10. 1.

Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniàm Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm Scripturas, etc. 1. *Cor.* 15. 3. *Vide v.* 4.

Assumite et gladium spiritûs (quod est verbum Dei.) *Ephes.* 6. 17.

Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis 2. *Tim.* 2. 15.

Tu verò permane in iis, quæ didicisti, et credita sunt tibi : sciens à quo didiceris. Et quia ab infantiâ sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *Ibid.* 3. 14. *et seq.*

Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 2. *Petr.* 1. 20. 21. *Vide Apoc.* 1. 19.

*Ad bonum adhortatur.*

In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi. *Psal.* 118. 11. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est. etc. *v.* 49. 50.

Quia mandatum lucerna est, et lex lux : et via vitæ, increpatio disciplinæ. *Prov.* 6. 23.

Cùm prophetiæ defecerit,

dissipabitur populus : qui verò custodit legem, beatus erit. *Ib.* 29. 18.

Respicite, quoniàm non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam. *Eccli.* 33. 18. *Item caput* 24. 47.

Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversùm Israël et Judam, et adversùm omnes gentes. *Jer.* 36. 2. *Vide totum caput.*

Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introîstis, et eos, qui introibant, prohibuistis. *Luc.* 11. 52.

Si Moysen et prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *Ibid.* 16. 31.

Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis : quomodò verbis meis credetis? *Joan.* 5. 46. 47.

Qui (*Thessalonicenses*) susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ità se haberent. *Actor.* 17. 11.

Vehementer enim Judæos revincebat publicè (*Apollo*), ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum. *Ibid.* 18. 28.

Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram. 1. *Cor.* 10. 11.

Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, etc. 2. *Tim.* 3. 16.

Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. 2. *Petr.* 1. 19.

Hanc eccè vobis, carissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem : ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. *Ibid.* 3. 1. 2.

*Virtuosis manifestatur.*

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. *Psal.* 118. 66.

Qui quærit legem, replebitur ab eâ : et qui insidiosè agit, scandalizabitur in eâ. *Eccli.* 32. 19.

Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum. *Matth.* 13. 11. *Vide Marc.* 4. 11.

Beatus es simon Bar-Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Ibid.* 16. 17.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant. *Luc.* 8. 10.

O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ! — Et incipiens à Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. *Ibid.* 24. 25. 27. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *v.* 45.

Scrutamini Scripturas, etc. *Joan.* 5. 39.

Si quis voluerit voluntatem ejus (*Dei*) facere : cognoscet de doctrinâ, utrùm ex Deo sit, etc. *Ibid.* 7. 17.

*Vitiosis obvelatur.*

Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum, usquè ad tempus statutum : plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia. *Dan.* 12. 4. Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usquè ad præfinitum tempus — Et impiè agent impii; neque intelligent omnes impii; porrò docti intelligent. *v.* 9.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis — Spiritum veritatis, etc. *Joan.* 14. 16. 17.

Scimus enim, quia lex spiritualis est. *Rom.* 7. 14.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritûs, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei — Spiritualis autem judicat omnia : et ipse à nemine judicatur — Nos autem sensum Christi habemus. 1. *Cor.* 2. 12. *et seq.*

Littera enim occidit : Spiritus autem vivificat. 2. *Cor.* 3. 6.

Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. *Ibid.* 4. 3. 4.

In captivitatem rediguntes omnem intellectum, in obsequium Christi. *Ibid.* 10. 5.

Stultas autem et sine disciplinâ quæstiones devita. 2. *Tim.* 2. 23.

Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. *Ibid.* 3. 7.

Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit, etc. 2. *Petr.* 1. 20. *Vide v.* 21. *Item* 2. *Tim.*

*Scriptura difficilis est intellectu.*

Et difficile æstimamus quæ in terrâ sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum (*Dominus*) quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum

Sanctum tuum de altissimis? etc. *Sap.* 9. 16. 17.

Interpretabatur illis (*Christus duobus discipulis*) in omnibus Scripturis. *Luc.* 24. 27. Tunc aperuit illis (*Apostolis*) sensum, ut intelligerent Scripturas. *v.* 45.

Accurrens autem Philippus (*ad Eunuchum*), audivit eum legentem Isaïm Prophetam, et dixit : Putasne intelligis quæ legis? Qui ait : Et Quomodò possum, si non aliquis ostenderit mihi? etc. *Actor.* 8. 30. 31. *Vide versus sequentes.*

Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit, etc. 2. *Petr.* 1. 20. *Videv.* 21.

*In Epistolis Pauli* sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. *Ib.* 3. 16.

### *In Scripturis non omnia scriptis mandata sunt.*

Cætera verba bellorum Judæ (*Machabæi*), et virtutum, quas fecit, et magnitudinis ejus, non sunt descripta : multa enim erant valdè. 1. *Mach.* 9. 22.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. *Joan.* 20. 30.

Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. *Ibid.* 21. 25.

Cætera autem, cùm venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34.

Itaque, fratres, state : et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan. v.* 12.

Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. 3. *Joan. v.* 13.

### *Scriptura, nec lex est judex, sed Sacerdos.*

Postquàm autem (*Rex*) sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit se cum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, etc. *Deut.* 17. 18. 19.

Et cùm fuerit controversia, stabunt (*sacerdotes*) in judiciis meis, et judicabunt : leges meas, et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient. *Ezech.* 44. 24.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia

Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

SEDITIO. VIDE ET CONJURATIO.

*Seditionis exempla et punitio.*

*Core, Dathan, et Abiron cum* 250. *viris, Num.* 16. 1. *usque ad v.* 36. *Israëlitæ, v.* 41. *et seq. et c.* 20. 3. *et seq. Ephraimitæ, Judic.* 12. 1. *per tot. Absalom,* 2. *Reg.* 15. 10. *Ejusdem punitio, c.* 18. 9. *et seq. Semei, c.* 16. 5. 6. *Punitio ejus,* 3. *Reg.* 2. 46. *Seba filius Bochri,* 2. *Reg.* 20. 1. *Ejus punitio, v.* 22. *Zambri,* 3. *Reg.* 16. 9. *Punitio ejus, v.* 18. 19. *Sedecias,* 4. *Reg.* 24. 20. *et c.* 25. 6. 7. *Mallotæ et Tharsenses,* 2. *Mach.* 4. 30. *Barabbas, Marc.* 15. 7. *Luc.* 23. 19. *Theodas cum suis, Actor.* 5. 36. *Judas Galilæus, v.* 37. *Quidam Judæi, c.* 15. 12. *Demetrius cum suis, c.* 19. 23. *et seq. usq. ad finem capitis.*

SEMEN.

*Semen divini verbi sapienter seminatur.*

Eccè exiit qui seminat, seminare. *Matth.* 13. 3.

Eccè exiit seminans ad seminandum. *Marc* 4. 3. *Item Luc.* 8. 5.

*Fraudulenter depravatur.*

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania medio tritici, et abiit. Cùm autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania, etc. *Matth.* 13. 25. 26. (*Vide et versus sequentes.*) Zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus, etc. *v.* 38. 39.

*Differenter acceptatur.*

Et dùm seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt ea. *Matth.* 13. 4.

Qui seminat, verbum seminat. *Marc.* 4. 14.

Semen est verbum Dei. *Luc.* 8. 11.

Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem. *Hebr.* 6. 7. 8.

*Prudenter segregatur*

Mittite falces, quoniàm maturavit messis — quia multiplicata est malitia eorum. *Joel* 3. 13. *Vide Apoc.* 14. 15. *et seq.*

Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergò dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. *Matth.* 9. 37. 38. *Item Luc.* 10. 2.

Servi autem dixerunt ei (*patrifamilias*) : Vis, imus, et colligimus ea (*zizania*)? Et ait : Non—Sinite utraque cres-

cere usquè ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, etc. *Ibid.* 13. 28. *et seq.* Messis verò consummatio sæculi est — Sicut ergò colliguntur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi (*hujus*). *v.* 39. 40. *Vide v.* 44.

Nonne vos dicitis, quòd adhùc quatuor menses sunt, et messis venit? Eccè dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jàm ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam : ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. *Joan.* 4. 35. 36. Ego misi vos metere, quod vos non laborâstis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introîstis. *v.* 38.

*Semen divini promissi honorificum.*

Et benedicentur in semine tuo (*Abraham*) omnes gentes terræ : quia obedisti voci meæ. *Gen.* 22. 18. *Vide caput* 12. 3. *caput* 18. 18. *caput* 26. 4. *cap.* 28. 14.

Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. *Actor.* 3. 25.

Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus. *Gal.* 3. 16. *Vide v.* 8.

*Semen boni operis fructiferum.*

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Psal.* 125. 5. 6.

Seminanti autem justitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18.

Seminate vobis in justitiâ, et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale. *Oseæ* 10. 12.

Qui parcè seminat, parcè et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet 2. *Cor.* 9. 6.

*Semen mali operis lethiferum.*

Recordare, obsecro te, quis unquàm innocens periit? aut quandò recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, etc. *Job* 4. 7. *et seq.*

Qui seminat iniquitatem, metet mala, et virga iræ suæ consummabitur. *Prov.* 22. 8.

Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. *Eccli.* 7. 3.

Arâstis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. *Oseæ* 10. 13.

SENECTUS.

*Senectus virtuosa à bonis honoratur.*

Coram cano capite consurge, et honora personam senis : et time Dominum Deum tuum. *Levit.* 19. 32.

In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. *Job* 12. 12.

Igitur Eliu expectavit Job loquentem : eò quòd seniores essent qui loquebantur — Respondensque — dixit : Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcircò demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam. Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. *Ibid.* 32. 4. *et seq.*

Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. *Prov.* 16. 31.

Dignitas senum, canities. *Ibid.* 20. 29.

Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. *Sap.* 4. 8. 9.

In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, etc. *Eccli.* 6. 35.

Ne spernas hominem in suâ senectute : etenim ex nobis senescunt. *Ibid.* 8. 7. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectùs — Non te prætereat narratio seniorum — quoniàm ab ipsis disces intellectum, etc. *v.* 9. *et seq.*

Quàm speciosum canitiei judicium! — Quàm speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium! Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. *Ibid.* 25. 6. *et seq.*

Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. 1. *Tim.* 5. 1.

Tu — loquere quæ decent sanam doctrinam : Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ. Anus similiter in habitu sancto, etc. *Tit.* 2. 1. *et seq.*

Adolescentes, subditi estote senioribus. 1. *Petr.* 5. 5.

*Vitiosa reprobatur.*

Tres species odivit anima mea — pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum. *Eccli.* 25. 3. 4. *Vide versus sequentes.*

Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. *Isa.* 65. 20.

Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. *Dan.* 13. 5. Inveterate dierum malorum. *v.* 52.

*Sentire idem. Vide Concordia fratrum.*

SEPULTURA.

*Sepelire mortuos, est opus misericordiæ.*

Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre. *Gen.* 23. 19.

Et deficiens (*Abraham*) mortuus est in senectute bonâ, provectæque ætatis, et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac et Ismaël filii sui in speluncâ duplici, quæ sita est in agro Ephron, etc. *Ibid.* 25. 8. 9. *Vide c.* 35. 8.

Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in viâ, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. *Ibid.* 35. 19. Consumptusque ætate (*Isaac*) mortuus est : et appositus est populo suo senex et plenus dierum : et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui. *v.* 29. *Vide c.* 49. 29. 31.

En morior (*ait Jacob*) : in sepulcro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur (*ait Joseph*), et sepeliam patrem meum, ac revertar. *Ibid.* 50. 5. Et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in speluncâ duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. *v.* 13. *Vide v.* 25.

Mortuaque est ibi (*in Cades*) Maria (*soror Moysi*), et sepulta in eodem loco. *Num.* 20. 1.

Filii autem Israël moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus et sepultus est. *Deut.* 10. 6.

Non permanebit cadaver ejus (*qui suspensus est in patibulo*) in ligno, sed in eâdem die sepelietur : quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno. *Ibid.* 21. 23.

Et post hæc, mortuus est Josuë filius Nun servus Domini, centum et decem annorum : sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ, etc. *Josue* 24. 29. 30. *Vide v.* 32. *et* 33. *Item Judic.* 2. 9.

Et mortuus est (*Jephte*), ac sepultus in civitate suâ Galaad. *Judic.* 12. 7. *Vide v.* 10. 12. *et* 15. *Item c.* 8. 32. *et c.* 16. 31.

Mortuus est autem Samuël, et congregatus est universus Israël, et planxerunt eum : et sepelierunt eum in domo suâ in Ramatha. 1. *Reg.* 25. 1. *Item c.* 28. 3.

Veneruntque Jabes Galaad, et combusserunt ea ibi : et tulerunt ossa eorum (*Saül regis et filiorum ejus*), et sepelierunt in nemore Jabes. *Ibid.* 31. 12. 13.

Misit ergò David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos : Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam

hanc cum Domino vestro Saül, et sepelîstis eum, etc. 2. *Reg.* c. 2. *v.* 5. Tuleruntque (*servi David*) Asaël, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem. *v.* 32.

Cùmque sepelîssent Abner (*Joab et populus*) in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus: *Ibid.* 3. 32.

Dormivit igitur David cum patribus suis: et sepultus est in civitate David. 3. *Reg.* 2. 10. *Vide Actor.* 2. 29.

Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui. *Ib.* 11. 43. *Vide* 2 *Paral.* 9. 31.

Tulit ergò Prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum—Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo: et planxerunt eum. *Ibid.* 13. 29. 30. *Vide v.* 31.

Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David. *Ibid.* 14. 31. *Vide caput* 15. 8. 24. *c.* 16. 6. 28. *Item* 2. *Paral.* 12. 6.

Sepultusque est (*Amasias*) in Jerusalem cum patribus suis in civitate David. 4. *Reg.* 14. 20. *Vide c.* 10. 35. *et c.* 12. 21. *et c.* 14. 20. *et c.* 15. 38. *et c.* 16. 20. *et c.* 21. 18. 26. *et c.* 23. 30.

*Mortuus est Asa*, et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in civitate David, etc. 2. *Paral* 16. 14. *Vide c.* 21. 1. *et c.* 22. 9.

Senuit autem Jojada plenus dierum, et mortuus est — Sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, etc. *Ibid.* 24. 15. 16. *Vide v.* 25. *et c.* 25. 28. *c.* 26. 23. *c.* 27. 9. *c.* 28. 27. *c.* 32. 33. *c.* 34. 28.

Mortuusque est (*Josias*) et sepultus in mausoleo patrum suorum: et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum. *Ibid.* 35. 24.

Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepulcro, et dabo tibi primam sessionem in resurrectione meâ. 4. *Esdr.* 2. 23.

Cùm — rex Sennacherib — iratus multos occideret ex filiis Israël, Tobias sepeliebat corpora eorum. *Tob.* 1. 21.

Cùmque abiisset (*filius Tobiæ*), reversus nuntiavit ei (*patri suo*), unum ex filiis Israël jugulatum jacere in plateâ. Statimque exiliens — jejunus pervenit ad corpus. Tollensque illud, portavit ad domum suam occultè, ut dùm sol occubuisset, cautè sepeliret eum. *Ibid.* 2. 3. 4. *Vide v.* 7. 9. *et* 16.

Cùm acceperit Deus animam meam (*dixit Tobias filio suo*), corpus meum sepeli: et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. *Ibid.* 4. 3. *Vide v.* 5. *Item c.* 8. 13. 14. *c.* 14. 2. 12. *et* 16.

Quandò orabas cum lacry-

mis (*dixit Angelus Raphaël ad Tobiam*), et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Ibid.* 12. 12.

Mortuo non prohibeas gratiam. *Eccli.* 7. 37.

Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundùm judicium contege corpus illius; et non despicias sepulturam illius. *Ibid.* 38. 16.

*Judæi accusatores impii Menelai fuerunt per judicem iniquum morte damnati.* Quam ob rem Tyrii quoque indignati, ergà sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. 2. *Mach.* 4. 49.

Et accedentes discipuli ejus, (*Joannis Baptistæ*), tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud : et venientes nuntiaverunt Jesu. *Matth.* 14. 12. *Vide Marc.* 6. 29.

Hic (*Joseph ab Arimathæâ*) accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone mundâ, et posuit illud in monumento suo novo, etc. *Ibid.* 27. 58. *et seq. Item Marc.* 15. 46. *Luc.* 23. 53.

Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergò corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut est mos Judæis sepelire. *Joan.* 19. 39. 48. *Vide v.* 41. 42. *Item Actor.* 13. 29. 1. *Cor.* 15. 4.

*Sepulturâ honorificâ carere afflictio est, et iræ divinæ ac vindictæ signum.*

*Inquit Jehu :* Ite, et videte maledictam illam (*Jezabel ejus jussu è fenestrâ præcipitatam*), et sepelite eam : quia filia regis est. Cùmque îssent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu : Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens : In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel, et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ, etc. 4. *Reg.* 9. 34. *et seq.*

Mortuusque est (*Joram*) in infirmitate pessimâ, et non fecit ei populus, secundùm morem combustionis, exequias, sicut fecerat majoribus ejus — Ambulavitque non rectè, et sepelierunt eum in civitate David : verumtamen non in sepulcro regum. 2. *Par.* 21. 19. 20.

Effuderunt sanguinem eorum (*servorum Dei*) tanquàm aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. *Psal.* 78. 3.

*Quia peccaverunt Domino Judæi,* non colligentur, et non

sepelientur : in sterquilinium super faciem terræ erunt. *Jerem.* 8. 2. *Item c.* 14. 16. *c.* 16. 4. *c.* 25. 33.

Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim — regem Juda : Non plangent eum, etc. Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. *Ibid.* 22. 18. 19. *Vide c.* 36. 30.

Et corpora eorum non sinent poni in monumentis. *Apoc.* 11. 9. *Vide v.* 8.

*Sermo Christianorum.* Vide *Loquenda sunt etc.*

SERPENS.

*Serpens æneus erigitur.*

Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergò Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. *Num.* 21. 7. *et seq.*

*Tollitur et appellatur Nohestan.*

Ipse (*Ezechias*) dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses : siquidem usquè ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum : vocavitque nomen ejus Nohestan. 4. *Reg.* 18. 4.

*Cujus typum gesserit.*

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ità exaltari oportet Filium hominis : ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 14. 15.

SERVITUS ET SERVUS.

*Servorum et ancillarum officium.* Vide *Titul. Famulorum famularumque officium Item Dominorum officium, etc.*

*Servorum bonorum exempla.*

*Servus Abrahami, Gen.* 24. 10. *per totum caput. Jacob dicens ad Laban :* Tu nosti, quomodò servierim tibi — Modicum habuisti, antequàm venirem ad te, et nunc dives effectus es : benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. *c.* 30. 29. *Sic etiam Joseph fidelis servus Putipharis, c.* 39. 8. *per totum caput.*

Dixeruntque servi regis (*David*) ad eum : Omnia, quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur (*nos*) servi tui. 2. *Reg.* 15. 15. *Sic etiam fideles illi servi, Matth.* 18. 28. 32. *et c.* 24. 45. *et c.* 25. 16. 17. *Item nobilis cujusdam servi, mnas habentes, Luc.* 12. 37. *et c.* 19. 16. 18. *Item servi Cornelii, Act.* 10. 7.

*Servorum malorum exempla.*

*Pincerna et Pistor, duo*

*Eunuchi regis Pharaonis. Genes.* 40. 1.

*Servi Semei, aufugientes à domino suo.* 3. *Reg.* 2. 39.

*Giezi servus Elisei, qui munera invito domino suo et inscio, mendax extorsit à Naaman.* 4. *Reg.* 5. 20. *et seq. usquè ad fin. capitis.*

Surrexerunt autem servi ejus (*Joas*), et conjuraverunt inter se, percusseruntque *dominum suum*, et mortuus est. *Ibid.* 12. 20. 21. *Vide idem* 2. *Par.* 24. 25.

*Sic etiam servi Amon tetenderunt insidias domino suo*, et interfecerunt *eum. Ibid.* 21. 23.

*Sic etiam duo janitores palatii Assueri* voluerunt que insurgere in regem, et occidere eum; *quod fidelis Mardochæus impedivit. Esther* 2. 21. *Vide et alios malos servos, Matth.* 24. 48. *et c.* 25. 18. 30. *Item Luc.* 12. 45. *et c.* 19. *v.* 20. 22.

*Servitus divina singularis.*

Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. *Deut.* 6. 13. *Item c.* 10. 20.

Usquequo claudicatis in duas partes (*ait Elias ad populum Israël*)? Si Dominus est Deus, sequimini eum. 3. *Reg.* 18. 21.

Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Matth.* 4. 10. *Item Luc.* 4. 8.

Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. *Ibid.* 6. 24. *Item Luc.* 16 13.

Domino Christo servite. *Coloss.* 3. 24.

*Virtualis.*

Dixit autem Samuël ad populum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc: verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. 1. *Reg.* 12. 20. Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro. *v.* 24.

Tu autem Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario. 1. *Par.* 28. 9.

Servite Domino in timore. *Psal.* 2. 11.

Servite Domino in lætitiâ. *Psal.* 99. 1.

Servus tuus (*Domine*) sum ego: da mihi intellectum, etc. *Psal.* 118. 125.

Eccè sicut oculi servorum — sicut oculi ancillæ — ita oculi nostri ad Dominum nostrum, etc. *Psal.* 122. 2.

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* 2. 1.

Servus meus es tu (*Israël*) elegi te, et non abjeci te. *Isa.* 41. 9. *Vide v.* 8.

Quis autem vestrûm habens servum arantem aut pascentem (*boves*), qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recum-

be : et non dicat ei : Para quod cænem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam : et post hæc tu manducabis et bibes? Numquid gratiam habet servo illi : quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* 17. 7. *et seq.*

Vos scitis (*ait Paulus*) à primâ die, quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, etc. *Actor.* 20. 18.

Liberati autem à peccato, servi facti justitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem : ità nunc exibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Rom.* 6. 18. 19. *Vide a. v.* 16. *usq. ad fin.*

Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur, ità ut serviamus in novitate Spiritûs, et non in vetustate litteræ. *Ibid.* 7. 6. *Vide v.* 25.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, etc. 1. *Cor.* 4. 1.

Non estis vestri; empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro. *Ibid* 6. 19. 20. *Vide c.* 7. *v.* 21. 22. *et* 23.

Nam cùm liber essem ex omnibus (*ait Paulus*), omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. *Ibid.* 9. 19.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, etc. 2. *Cor.* 6. 4.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. 2. *Tim.* 2. 4. *Vide v.* 3. *et* 24.

Itàque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam : per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentiâ. *Hebr.* 12. 28,

*Salutaris.*

Custodit Dominus animas sanctorum suorum. (*scil. servorum.*) *Psal.* 96. 10.

Filii servorum tuorum (*Domine*) habitabunt : et semen eorum in sæculum dirigetur. *Psal.* 101. 29.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam; quoniàm ego servus tuus sum. *Psal.* 142. 12.

Eccè intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. *Isa.* 52. 13.

Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem : finem verò vitam æternam. *Rom.* 6. 22.

*Servus malus profectum domini negligit.*

Quis est Omnipotens, ut

serviamus ei? *Job* 21. 15. *Vide Malach.* 3. 14.

Qui autem unum acceperat (*talentum*), abiens, fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. *Matth.* 25. 18. 25. *Vide Luc.* 19. 20.

Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. *Rom.* 16. 18.

*Malum pœnæ incurrit.*

Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire : et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis : veniet dominus servi illius, in die quâ non sperat, et horâ quâ ignorat : et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. *Matth.* 24. 48.

Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui — et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luc.* 12. 47. 48. *Vide v.* 45. *et* 46.

*Servitus peccati in se vitiosa.*

Amen, amen dico vobis : quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. *Joan.* 8. 34. *Vide v.* 35.

Nescitis, quoniàm cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? *Rom.* 6. 16. *Vide versus sequentes, usquè ad finem capitis.*

Libertatem illis promittentes cùm ipsi servi sint corruptionis : à quo enim quis superatus est, hujus et servus est. 2. *Petr.* 2. 19.

*Homini damnosa.*

Servus autem non manet in domo in æternum. *Joan.* 8. 35. *Vide v.* 34.

Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6. 12. Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergò fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. *v.* 20. *Vide totum caput.*

*Servitus humana onerosa.*

Evigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. *Genes.* 9. 24. 25. *Vide v.* 27.

Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi (*ait Dominus Rebeccæ*) ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. *Ibid.* 25. 23. *Vide Rom.* 9. 13.

Eme nos in servitutem regiam (*dixerunt Ægyptii ad Joseph*), et præbe semina, ne pereunte cultore, redigatur

terra in solitudinem. *Ibid.* 47. 19.

Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet. *Prov.* 12. 24.

Prætio empti estis, nolite fieri servi hominum. 1. *Cor.* 7. 23. *Vide v.* 21. 22. *Item c.* 6. 20.

*Servus bonus fideliter operatur.*

Filio doloso nihil erit boni : servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigetur via ejus. *Prov.* 14. 15.

Servus sapiens dominabitur filiis stultis, etc. *Ibid.* 17. 2.

Servo sensato liberi servient. *Eccli.* 10. 28.

Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri : sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, etc. *Ephes.* 6. 5. 6. *Vide v.* 7. *et* 8.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus : scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis, etc. *Coloss.* 3. 22. *et seq.*

Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt : sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti. 1. *Tim.* 6. 1. 2.

*Doce* servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, etc. *Tit.* 2. 9. 10.

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, etc. *Ibid.* 3. 1. *Vide et v.* 2.

Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis : sed etiam dyscolis. 1. *Petr.* 2. 18. *Vide v.* 16.

*A domino suo utiliter remuneratur.*

Acceptus est regi minister intelligens, etc. *Prov.* 14. 35.

Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. *Ibid.* 22. 29.

Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua : non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. *Eccli.* 7. 22. 23.

Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua : quasi fratrem sic eum tracta — Si

læseris eum injustè, in fugam convertetur. *Ibid.* 33. 31. 32.

Et vos, domini, eadem facite illis (*servis vestris*), remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis : et personarum acceptio non est apud eum. *Ephes* 6. 9.

Domini, quòd justum est et æquum, servis præstate : scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo. *Coloss.* 4. 1.

*Servus malus oscitanter operatur.*

Cibaria, et virga, et onus asino : panis, et disciplina, et opus servo. Operatur in disciplinâ, et quærit requiescere : laxa manus illi, et quærit libertatem. *Eccli.* 33. 25. 26.

*A domino decenter coarctatur.*

Servus verbis non potest erudiri : quia quod dicis, intelligit, et respondere contemnit. *Prov.* 29. 19. Qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, posteà sentiet eum contumacem. *v.* 21.

Jugum et lorum curvant collum durum : et servum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura, et compedes : mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum : sic enim condecet illum. Quod si non obedierit, curva illum compedibus, etc. *Eccli.* 33. 27. *et seq.*

SEVERITAS.

*Severitatis Dei erga delinquentes exempla.*

*Erga Hevam, Gen.* 3. 16. *Adamum, v.* 17. *et seq. Erga totum mundum in diluvio, c.* 7. 23. *Sodomitas, c.* 19. 25. *Pharaonem. Exod.* 14. 28. *Amalecitas, c.* 17. 13. *Israëlitas vitulum aureum adorantes,* 32. 27. 28. *Blasphemum, Levit.* 24. 14. 23. *Populum Israëliticum, Num. c.* 11. *v.* 33. *Colligentem ligna in die Sabbati. c.* 15. 36. *Core, Dathan, et Abiron, c.* 16. 31. 32. *Moysen et Aaronem, c.* 20. 12. *Achan, Josuë.* 7. 25. *Tribum Benjamin, quæ jubente Domino, tota, exceptis sexcentis viris, est deleta, Judic.* 20. 47. 48. *Bethsamitas,* 1. *Reg.* 6. 19. *Saülem, c.* 13. 14. *et c.* 15. *v.* 23. 26. 28. *Filios Saülis,* 2. *Reg.* 21. 9. *Ezechiam,* 4. *Reg.* 20. 17. *Sarajam, Sophoniam, et tres janitores, c.* 25. 18. *Ozam,* 1. *Paral.* 13. 10. *Oziam,* 2. *Paral.* 26. 19. *Filias Sion, Isa.* 3. 16. *et seq. Babylonem, Jerem.* 51. 1. *per totum. Heliodorum,* 2. *Mach.* 3. 25. *Antiochum, c.* 9. 8. *et seq. Servum nequam, Matth.* 18. 34. *Hominem non habentem vestem nuptialem, c.* 22. 13. *Servum inutilem, c.* 25. 30. *Ananiam, Actor.* 5. 5. *Saphiram, v.* 10. *Herodem, c.* 12. 23.

SIGNUM.

*Signa futurorum.*

*Dixit Dominus ad Noë, et filios ejus :* Hoc est signum fœderis, quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas : arcum meum (*id est iridem*) ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram, etc. *Gen.* 9. 12. *Vide v.* 17.

Videte, ut sabbatum meum custodiatis : quia signum est inter me et vos in generationibus vestris. *Exod,* 31. 13. *Vide c.* 3. 12. *et c.* 16. 28. *et seq.*

*Exploratores occultati à meretrice Rahab in urbe Jericho,* dixerunt ad eam : Innoxii erimus à juramento hoc, quo adjurasti nos : si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos. *Josue* 2. 17. 18. *Vide v.* 12.

*Signum, quod petiit Gedeon à Domino in vellere lanæ. Judic.* 6. 36. *et seq. usquè ad finem capitis.*

Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, et Phinees : in die uno morientur ambo. 1. *Reg.* 2. 34.

Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem : Cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas : et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, etc. *Ibid.* 10. 1. 2. *Vide et versus sequentes, præcipuè v.* 7. *et* 9.

Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium : quia tunc egredietur Dominus antè faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. 2. *Reg.* 5. 24. *Item* 1. *Paral.* 14. 15.

Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum : Comede hoc anno quæ repereris : in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur : porrò in tertio anno seminate, et metite : plantate vineas, et comedite fructum earum, etc. 4. *Reg.* 19. 29. *Vide Isa.* 37. 30.

Chirographum — illius (*Gabeli*) penes me habeo (*dixit Tobias filio suo*) ; quod dùm illi ostenderis, statim restituet (*pecuniam*). *Tob.* 5. 3.

Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est. Eccè ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsùm decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat, *Isa.* 38. 7. 8. *Vide c.* 5. 26. *c.* 7. 11. *c.* 18. 3. *c.* 19. 20.

Et hoc vobis signum (*dixit Angelus ad pastores in Christi nativitate*) : Invenietis infan-

tem pannis involutum, et positum in præsepio. *Luc.* 2. 12.

*Signa in memoriam præteritorum.*

*Dixit Dominus ad Moysen et Aaron:* Loquimini ad universum cœtum filiorum Israël, et dicite eis : Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas, etc. *Exod.* 12. 3.

Loquere filiis Israël (*ait Dominus ad Moysen*), et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, etc. *Num.* 15. 38. *Vide c.* 16. 38.

Dixitque Dominus ad Moysen : Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, et quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur. *Ibid.* 17. 10. *Vide Josuë c.* 4. 6.

*Signa et miracula fiunt, ut per ea omnipotentia, veritas, justitia, et bonitas Dei innotescant.*

*Moyses tribus signis à Deo acceptis, in Ægyptum cum uxore proficiscitur.* Dixit ergò (*Deus*) ad eum : Quid est quod tenes in manu tuâ ? Respondit : Virga. *Exod.* 4. 2. Dixitque Dominus rursùm : Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterùm, et erat similis carni reliquæ. *v.* 6. 7. Virgam quoque hanc sume in manu tuâ, in quâ facturus es signa. *v.* 17. *Vide totum caput. Item c.* 7. 3. *c.* 8. 23. *c.* 10. 1. 2.

Hæc igitur dicit Dominus : In hoc scies quod sim Dominus ; eccè percutiam virgâ, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem, etc. *Ibid.* 7. 17.

Audivi murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos : Vesperè comedetis carnes, et manè saturabimini panibus : scietisque quòd ego sum Dominus Deus vester. *Ibid.* 16. 12.

In hoc, inquit (*Josuë*), scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestrî est, et disperdet in conspectu vestro Chananœum, et Hethæum, Hevæum, et Pherezæum, Gergesæum quoque, et Jebusæum, et Amorrhæum. Eccè Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem, etc. *Josuë* 3. 10. 11. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem : et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. *v.* 14.

Cumque audisset rex (*Jeroboam*) sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens : Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat

contra eum : nec valuit retrahere eam ad se. 3. *Reg.* 13. 4. *Vide v.* 3. *et* 5.

Hæc autem dicit Dominus Deus Israël (*ait Elias viduæ Sarephtanæ*) : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usquè ad diem, in quâ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. *Ibid.* 17. 14.

Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. *Ibid.* 18. 38. 39. *Vide c.* 20. *v.* 13. 14. 28.

Descendit (*Naamam leprosus*), et lavit in Jordane septies, juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. 4. *Reg.* 5. 14.

Cui (*Ezechiæ*) ait Isaias : Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est. Vis, ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus. *Ibid.* 20. 9. *Vide Isa.* 38. 7. 8.

Et dicit eis (*discipulis*) Jesus : Quid timidi estis modicæ fidei ? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26. *Vide Marc.* 4. 39. 40. *et Luc.* 8. 24. 25.

Et eccè offerebant ei (*Jesu*) paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ibid.* 9. 2. *Vide Marc.* 2. 3. *et sequentes. Item Luc.* 5. 18. *et sequentes.*

Respondens autem Petrus, dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de naviculâ, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. *Ibid.* 14. 28. *Vide versus sequentes. Item c.* 12. 38. 39. *c.* 16. 4. *Luc.* 11. 29. *Joan.* 6. 30. *et* 1. *Cor.* 1. 22. *et c.* 14. 22.

*Silere est valdè utile.*

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est : et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* 17. 27.

Tempus tacendi, et tempus loquendi. *Eccles.* 3. 7.

Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. *Eccli.* 20. 6. *Vide versus* 5. *et* 7. *Item caput* 19. 28.

Et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba tædii, et murmurationum, et tempus causabitur. *Ibid.* 29. 6.

In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens. *Ibid.* 32. 12. *Vide versus* 9. 10. *et* 13. *Item Jacob.* 1. 19.

SIMONIA.

*Simonia non est licita.*

Ad quæ respondens Daniel (*scilicet quod rex obtulerat ei præmia pro interpretatione litterarum in pariete scriptarum, si indicaret illi*), ait coram rege : Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da : scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi. *Dan.* 5. 17.

*Alcimus accedens ad Demetrium regem, accusavit Judam Machabæum, et obtulit regi coronam auream, et alia dona, quibus effecit, ut summum sacerdotium ei à rege conferretur.* 1. *Mach.* 7. 5. *et* 2. *Mach.* 14. 3. *et seq.*

*Ait Jesus Apostolis :* Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10. 8.

Cùm vidisset autem Simon (*à quo accepit Simonia nomen*), quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniàm donum Dei existimasti pecunia possideri, etc. *Actor.* 8. 18. *et seq.*

Omnia ostendi vobis (*dixit Paulus*), quoniàm sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniàm ipse dixit : Beatius est magis dare, quàm accipere. *Ibid.* 20. 35. *Vide v.* 33. 34.

Ego autem nullo horum usus sum (*scil. de Evangelio non vixi, neque de altari, ne vobis offendiculum darem*). Non autem scripsi hæc, ut ità fiant in me, etc. 1. *Cor.* 9. 15. *Vide v.* 18.

Et cùm essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat, supplevérunt fratres, qui venerunt à Macedoniâ : et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo. 2. *Cor.* 11. 9. *Vide v.* 7. *Item* 1. *Thess.* 2. 9.

Quid est enim, quod minùs habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos ? *Ibid.* 12. 13. *Vide* 2. *Thess.* 3. 8.

*Simonia pœnis gravibus percutitur.*

*De impio rege Jeroboam narratur :* Fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum : quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ. 3. *Reg.* 13. 33. 34.

*Simoniacus fuit Giezi, servus Elisei, quia pro gratiâ spirituali, Naaman Syro à domino suo collata, vestes accepit*

*et argentum ; sed ob hoc crimen in sempiternum cum semine suo factus est* leprosus quasi nix. 4. *Reg.* 5. 26. 27.

*Impiissimus Jason, oblatis plurimis argenti talentis, ab Antiocho summum comparavit sacerdotium ; ob quam causam Dei cultus et sacrificia planè contempta fuerunt, et ad gentium ritum translata. Ipse verò Jason propterea miserè periit.* 2. *Mach.* 4. *v.* 7. *et seq. Item v.* 14. *et* 26.

*Menelaüs, triennio postquàm Jason factus est summus sacerdos, majorem pecuniam obtulit Antiocho, et Pontificatum obtinuit, nihil dignum habens sacerdotio. Sed funestè posteà, et tragicè, Deo vindice, mortuus est. Ibid. v.* 24. *et c.* 13. 4. *et seq. Vide etiam terribilem mortem Alcimi impiissimi Simoniaci,* 1. *Mach.* 9. 55. 56.

*Judas proditor vendendo Christum Dei Filium, detestandam commisit Simoniam, et ob id laqueo se suspendens,* crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. *Actor.* 1. 18. *Vide Matth.* 27. 5.

Non est tibi pars, neque sors in sermone isto (*dixit Petrus Simoni mago*) : cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hâc nequitiâ tuâ : et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, etc. *Ib.* 8. 21. 22. *Vide versus* 20. 23. *et* 24.

SIMPLICITAS ET SIMPLEX.

*Simplicitas commendatur et describitur.*

Melior est pauper ambulans in simplicitate tuâ, quàm dives in pravis itineribus. *Prov.* 28. 6. Qui ambulat simpliciter, salvus erit. *v.* 18. *Vide c.* 11. 3. 5. *et c.* 19. 1.

Estote ergò prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16.

*Christiani primi erant* quotidiè — perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, etc. *Actor.* 2. 46. *Vide* 3. *Reg.* 9. 4.

Volo vos sapientes esse in bono (*inquit Paulus*), et simplices in malo. *Rom.* 16. 19. *Vide* c. 12. 8.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientâ carnali, sed in gratiâ Dei, conversati sumus in hoc mundo. 2. *Cor.* 1. 12.

Altissima paupertas eorum (*commendat Paulus Macedones*) abundavit in divitias simplicitatis eorum. *Ibid.* 8. 2. *Vide* 1. *Mach.* 2. 37.

Ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. *Ibid.* 9. 11. *Vide v.* 13. *et c.* 11. 3. *Item Job* 2. 9. *et c.* 12. 4.

Ut sitis sine querelâ, et simplices filii Dei, sine reprehensione. *Philipp.* 2. 15.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. *Coloss.* 3. 22. *Vide Ephes.* 6. 5.

*Simplicibus et abjectis hominibus revelat Deus subindè suum verbum, et abscondit illud sapientibus in oculis suis.*

Inventisque est in eâ (*civitate*) vir pauper, et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. *Eccles.* 9. 15. *Vide Prov.* 29. 10. *Sap.* 1. 1.

Et audient in die illâ surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. *Isa.* 29. 18. Et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem. *v.* 24.

Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et planè. *Ib.* 32. 4.

Et eccè Angelus Domini stetit juxta illos (*pastores*), et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. *Luc.* 2. 9. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. *v.* 15.

Quod (*miraculum*) cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens, Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. *Ibid.* 5. 8.

In ipsâ horâ exultavit (*Christus*) Spiritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, et revelasti ea parvulis. Etiam Pater, quoniàm placuit ante te. *Ibid.* 10. 21. *Idem habetur Matth.* 11. 25. 26.

Videntes autem (*principes Judæorum, etc.*) Petri constantiam, et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur : et cognoscebant eos, quoniàm cum Jesu fuerant. *Actor.* 4. 13.

Ubi sapiens ? ubi Scriba ? ubi conquisitor hujus sæculi ? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ! Nam quia in Dei sapientiâ non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 1. *Cor.* 1. 20. 21. *Vide reliquum capitis.*

Et ego, cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. *Ibid.* 2. 1.

*Simplex et rectus.*

Dixitque ad eum (*Abime*

*lech* ) Deus : Et ego scio, quòd simplici corde feceris : et ideò custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi, ut tangeres eam ( *Scil. Saram uxorem Abraham* ). *Genes.* 20. 6. *Vide v.* 5. *et c.* 25. 27.

Dixitque Dominus ad eum ( *Satanam* ) : Numquid considerâsti servum meum Job, quod non sit ei similis in terrâ, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens à malo ? *Job* 1. 8. *Vide et v.* 1. *Item c.* 2. 3. *et c.* 33. 3.

Eccè ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergò prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16. *Vide Actor.* 2. 46.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt ; et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium. *Rom.* 16. 17. 18.

Servi, obedite dominis carnalibus, cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. *Ephes.* 6. 5.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. *Coloss.* 3. 22.

Simplici ex corde invicem diligite attentiùs. 1. *Petr.* 1. 22.

SIMULATIO.

*Simulatio, et Hypocrisis fugienda.* Vide et *Hypocrisis.*

Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job* 15. 34.

Ne sis incredibilis timori Domini : et ne accesseris ad illum duplici corde. *Eccli.* 1. 36. *Vide et v.* 37. *et* 40.

Stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuam faciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. *Isa.* 32. 6. *Vide v.* 5. *et* 7.

Habitatio tua ( *Israël* ) in medio doli : in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus, etc. *Jerem.* 9. 6. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occultè ponit ei insidias. *v.* 8. *Vide Psal.* 27. 3.

Non enim ætati nostræ dignum est, inquit ( *Eleazarus* ), fingere : ut multi adoloscentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum ; et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur :

et per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram, etc. 2. *Mach.* 6. 24. 25. *Vide Matth. c.* 23. *per totum. Item* 1. *Petr.* 2. 1.

SOBRIETAS. *Vide* ABSTINENTIA, *et* TEMPERANTIA.

*Sobrietas commendatur.*

Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ: et superveniat in vos repentina dies illa, *mortis. Luc.* 21. 34. *Vide Eccli.* 31. 32. *et seq.*

Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13. 14. *Vide Gal.* 5. 16. 17. *Item* 1. *Petr.* 2. 11.

Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 6. *Vide v.* 8. *Item* 1. *Tim.* 3. 2. *Item* 2. *Tim.* 1. 7. *et c.* 4. 5. *Tit.* 1. 8. *et c.* 2. 2. 3. *et seq.*

Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo *Tit.* 2. 12. *Vide Ephes.* 5. 18.

Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, etc. 1. *Petr.* 1. 13.

Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret, etc. *Ib.* 5. 8.

SOCIETAS. *Vide etiam* CONSORTIUM.

*Societas bonorum quærenda, et ejus fructus exempla.*

*Considerandum est valdè, quòd si inventi fuissent Sodomis decem viri justi, propter illos pepercisset Dominus universis. Gen.* 18. 32.

*Dixit Jacob ad Laban:* Modicum habuisti antequàm venirem ad te, et nunc dives effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. *Ibid.* 30. 30.

*Jacob habuit Deum socium et propterea dixit familiaribus suis:* Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Domino: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. *Ibid.* 35. 3.

Benedixitque Dominus domui Ægyptii (*Putiphar*) propter Joseph, et multiplicavit tàm in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam. *Ib.* 39. 5.

Servivitque Israël Domino cunctis diebus Josuë, et seniorum — qui noverunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israël. *Josue* 24. 31.

*Ex parte Saülis missi sunt lictores ad capiendum David morantem cum Samuële in Ramatha, et prophetaverunt et ipsi: venit autem et Saül ad ipsos prophetantes, qui prophetavit et ipse cum eis.* 1 *Reg.* 19. 20. *Vide reliquos versus hujus capitis.*

Cum sancto sanctus eris, et cum robusto perfectus. Cum electo electus eris: et cum perverso perverteris. 2. *Reg.* 22. 26. 27.

*Propter honorem Josaphat regis Juda, Deum colentis, Eliseus propheta impetravit aquas pro exercitu, in quo erant duo alii mali reges.* 4. *Reg.* 5. 14. *et seq.*

*Homines Deum timentes volebat habere secum Tobias in convivio. Tob.* 2. 2. *Et hoc ipsum docuit filium suum, dicens:* Noli — manducare, et bibere cum peccatoribus. *c.* 4. 18. *Item diligenter voluit scire, cum quo socio iturus esset filius suus. c.* 5. *v.* 4. 16. *et* 19.

*Dicebat Sara filia Raguelis:* Nunquàm cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. *Ibid.* 3. 17.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job* 31. 1.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris: et cum electo electus eris, et cum perverso perveteris. *Psal.* 17. 26. 27.

Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas, etc. *Psal.* 25. 4. *et seq.* Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam, etc. *v.* 8. 9.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. *Prov.* 13. 20.

In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere: ut omnem narrationem Dei possis audire. — Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Eccli.* 6. 35. 36. *Vide c.* 8. *v.* 9. 10. 11. *et* 12.

Secundùm virtutem tuam cave te à proximo tuo, et cum sapientibus, et prudentibus tracta. Viri justi sint tibi convivæ, etc. *Ibid.* 9. 21. 22.

Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. *Ib.* 13. 20.

*Egresso crudeli mandato regis Nabuchodonosor, quo debebant interfici cuncti sapientes Babylonis, hortatus est Daniel socios suos, ut quærerent simul misericordiam à Domino: et revelata est nocte visio Danieli. Unde occasione Danielis servi sui pepercit rex Magis et Sapientibus Babylonis. Dan.* 2. 12. *et seq. per totum caput.*

*Post obitum Judæ Machabæi emerserunt iniqui, et facta est fames valida, et impios constituit Bacchides dominòs regionis; et facta est tribulatio magna in Israël: quæ omnia mala forsitan non accidissent,*

*si Israëlitæ adhuc Judam socium habuissent.* 1. *Mach.* 9. 23.

*Cùm primus septem fratrum Machabæorum in sartagine torreretur, cæteri cum matre ad moriendum fortiter se invicem hortabantur.* 2. *Mach.* 7. 3. 5.

*Veniebat Judas Machabæus ad capiendum Scythopolim civitatem; sed propter Judæos, qui intus habitabant, erga quos Scythopolytæ benigni erant, nil eis mali fecit: imò gratias agens hortatus est eos*, de cætero erga genus suum benignos esse. *Ib.* 12. 30. 31.

*Quandiù Petrus fuit cum Apostolis, firmus et securus mansit, sed postquàm fuit in atriâ principis sacerdotum, cum ministris ejus et ancillis se calefaciens, Dominum negare cæpit. Math.* 26. 58. 69. *et seq. Marc.* 14. 66. *et seq. Luc.* 22. 55. *et seq. Joan.* 18. 16. *et seq.*

*Statim ac cæcus natus à Domino luce donatus, extra Synagogam à Pharisæis ejectus fuit, Dominus noster inter suos fideles eum recepit. Joan.* 9. 35.

*Cùm essent omnes discipuli pariter perseverantes unanimiter in oratione in cœnaculo, venit Spiritus Sanctus super eos, etc. Actor.* 2. 3. 4.

*Homines, qui erant cum Paulo in navi, gravissimâ tempestate exortâ, occasione Pauli, quem habebant socium, fuerunt omnes salvati; nam dixit ei Angelus Domini:* Ne timeas, Paule — eccè donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. *Ibid.* 27. 24. *et* 44. *Vide totum caput.*

*Societas malorum fugienda, et ejus fructuum exempla.*

*Salubriter exivit Abraham de Chaldæâ, ubi erant homines corrupti idololatriâ. Gen.* 12. 5. *Undè posteà hoc pro beneficio Dominus commemorat, dicens*: Ego Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum, etc. *c.* 15. .7

*Quàm difficile sit malorum consuetam societatem dimittere, patet in Lot cum suis, qui de medio Sodomorum vix per Angelum extrahi potuerunt.* Cùmque esset manè, cogebant eum (*Lot*) Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes: ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi, etc. *Ibid.* 19. 15. 16.

*Ludus Ismaëlis cum Isaac displicuit Saræ. Ibid.* 21. 9.

*Noluit Jacob ambulare cum malo fratre, licèt placasset eum muneribus, et valdè instaret, et signa dilectionis ostenderet. Ibid.* 33. 12. *et seq.*

Dixit (*Moyses*) ad turbam (*filiorum Israël*): Recedite à

tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. *Num.* 16. 26.

*Dixit Dominus Moysi :* Præcipe filiis Israël, et dic ad eos : Quandò transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius—Sin autem nolueritis interficere — qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, etc. *Ibid.* 33. 51. 55.

*Occasione Achan, qui tulit de anathemate Jericho, fuit populus in prælio superatus ab hostibus. Josuæ* 7. 5. *per tot. cap.*

Quod si volueritis ( *ait Josuë Israëlitis* ) gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere : et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare : jàm nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terrâ hâc optimâ, etc. *Ibid.* 23. 12. 13.

Cum sancto sanctus eris ; et cum robusto perfectus. Cum electo electus eris ; et cum perverso perverteris. 2. *Reg.* 22. 26. 27. *Item Psal.* 17. 26. 27.

Cui (*Josaphat*) occurrit Jehu filius Hanani videns, et ait ad eum : Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, et idcircò iram quidem Domini merebaris : sed bona opera inventa sunt in te, eo quòd abstuleris lucos de terrâ Juda, et præparaveris cor tuum, ut requireres Dominum Deum patrum tuorum. 2. *Par.* 19. 2. 3.

*Eliseus propheta dixit Josaphat regi Juda :* Quia habuisti fœdus cum Ochoziâ, percussit Dominus opera tua, etc. *Ibid.* 20. 37.

Noli æmulari in malignantibus : neque zelaveris facientes iniquitatem. *Psal.* 36. 1.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Prov.* 1. 10. *Vide versus sequentes.*

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab eâ, nec transeas per illam : declina, et desere eam, etc. *Ibid.* 4. 14.

Non concupiscat pulchritudinem ejus ( *mulieris* ) cor tuum, nec capiaris nutibus illius : pretium enim scorti vix est unius panis : mulier autem viri pretiosam animam capit. *Ibid.* 6. 25. 26. *Vide vers. seq.*

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur. *Ibid.* 13. 20.

Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis. *Ib.* 20. 19.

Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Ibid.* 22.

10. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, etc. *v.* 24. *Vide versus* 25. *et* 26.

Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus. *Ibid.* 23. 6. Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto totâ die. *v.* 17. *Vide v.* 20.

Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis. *Ibid.* 24. 1. Time Dominum, fili mi, et regem : et cùm detractoribus non commiscearis. *v.* 21. *Vide et v.* 19.

Abominantur justi virum impium : et abominantur impii eos, qui in rectâ sunt viâ. *Ib.* 29. 27.

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

Non litiges cum homine potente, ne fortè insidas in manus illius. *Ibid.* 8. 1. Cum audace non eas in viâ, ne fortè gravet mala sua in te : ipse enim secundùm voluntatem suam vadit, et simul cum stultitiâ illius peries. *v.* 18. *Vide totum caput. Item totum caput* 9.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ : et qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Ibid.* 13. 1. *Vide v.* 2.

*Non fuit inter fideles Christi numeratus cæcus ille natus, quem Dominus videre fecit, donec à synagogâ fuit à Pharisæis ejectus. Joan.* 9. 35.

Cùm autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis (*Paulus*), segregavit discipulos, quotidiè disputans in scholâ tyranni cujusdam. *Act.* 19. 9.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? 2. *Cor.* 6. 14. *Vide versus seq. Item* 1. *Cor* 5. 9. *et seq.*

Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. *Ephes.* 5. 11. *Vide* 2. *Thess.* 3. 14.

Alexander ærarius multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundùm opera ejus : quem et tu devita. 2. *Tim.* 4. 14. 15.

Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem : Exite de illâ (*Babylone*), populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. *Apoc.* 18. 4.

*Sodomia.* Vide *Impudicitia contra naturam.*

SOL.

*Sol et luna creantur.*

Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos : ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ità. *Gen.* 1. 14. 15. *Vide Psal.* 135. 7. 8. 9. *Item Jerem.* 31. 35.

*Steterunt ad imperium Josuë.*

Tunc locutus est Josuë Domino, in die quâ tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis : Sol, contra Gabaon ne movearis, et Luna, contra vallem Ajalon. Steteruntque Sol et Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, etc. *Josuë* 10. 12. 13. *Vide Eccli.* 46. 5.

*Retrocessit Sol decem gradibus ad petitionem Ezechiæ, et preces Isaïæ.*

Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram (*Solis*) per lineas, quibus jàm descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. 4. *Reg.* 20. 11. *Vide Isa.* 38. 8.

*Amittit lumen suum.*

A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super universam terram, usquè ad horam nonam. *Matth.* 27. 45. *Idem testatur Marc.* 15. 33. *Item Luc.* 23. 44. 45.

SOLLICITUDO.

*Sollicitudo nimia improbanda.*

Sex diebus operaberis : septimo die cessabis arare, et metere. *Exod.* 34. 21.

Quod si dixeritis : Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras ? Dabo benedictionem meam vobis (*inquit Dominus*) anno sexto, et faciet (*terra*) fructus trium annorum. *Levit.* 25. 20. 21. *Vide totum contextum.*

Afflixit te (*Deus*) penuriâ, et dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi, quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei *Deut.* 8. 3.

Quid est homo (*Domine*), quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ? Visitas eum diluculò, et subitò probas illum. *Job* 7. 17. 18. *Vide Psal.* 8. 5.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo. *Psal.* 54. 23.

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 15. 16. *Vide Psal.* 103. 27. 28.

Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet. *Prov.* 10. 3.

Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis. *Ibid.* 13. 25.

Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonnè anima plus est quàm esca, et corpus plus

quàm vestimentum? *Matth.* 6. 25. *Vide v.* 31. *et* 34.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, etc. *Ibid.* 10. 9. *Vide Marc.* 6. 8. *Item Luc.* 9. 3. *et c.* 10. 4.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum (*Dei*) audit, et sollicitudo sæculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. *Ibid.* 13. 22. *Vide Marc.* 4. 19.

At illi (*discipuli*) cogitabant intra se, dicentes : quia panes non accepimus. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? etc. *Ibid.* 16. 7. 8. *Vide Marc.* 8. 16. *et seq.*

Quod autem in spinas cecidit : hi sunt qui audierunt, et à sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, et non referunt fructum. *Luc.* 8. 14.

Cùm autem inducent vos in synagogas, etc. nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsâ horâ quid oporteat vos dicere. *Ibid.* 12. 11. 12. Ideò dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum. *v.* 22. 23. *Vide v.* 26. *et* 29. *Item Matth.* 10. 19. 20.

Et cœperunt (*invitati ad cœnam*) simul omnes excusare. Primus dixit : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. Rogo te, habe me excusatum, etc. *Ib.* 14. 18. *Vide versus sequentes. Item Matth.* 22. 5.

Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est. 1. *Cor.* 7. 32. 33.

Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. 1. *Tim.* 6. 8. *Vide totum contexť. Item Prov.* 27. 27.

Sint mores sine avaritiâ, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam, etc. *Hebr.* 13. 5.

Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis : omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniàm ipsi cura est de vobis. 1. *Petr.* 5. 6. 7.

### SOMNIA.

*Somnia et Visiones, quibus olim Deus suam voluntatem aperiebat.*

Venit autem Deus ad Abi-

melech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum. *Gen.* 20. 3.

Viditque (*Jacob*) in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : Terram, in quâ dormis, tibi dabo, et semini tuo, etc. *Ibid.* 28. 12. 13.

Viditque (*Laban, Jacob fugientem insequens*) in somnis dicentem sibi Dominum : Cave, ne quidquam asperè loquaris contra Jacob. *Ibid.* 31. 24. *Vide et v.* 11. *Item c.* 37. *et c.* 40. 8. 16.

Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ et crassæ nimis : et pascebantur in locis palustribus, etc. *Ibid.* 41. 1. *et seq. Vide v.* 5. *et seq.*

Profectusque Israël cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum juramenti : et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum, per visionem noctis, vocantem se, et dicentem sibi : Jacob, Jacob : cui respondit : Eccè adsum. Ait illi Deus : Ego sum fortissimus Deus patris tui : noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. *Ibid.* 46. 1. *et seq.*

Dixit (*Deus*) ad eos (*Aaronem et Mariam sororem Moysi*) : Audite sermones meos : Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, etc. *Num.* 12. 6.

Cùmque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo : — Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere : cùmque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditùs coæquavit. Respondit is, cui loquebatur : Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israëlitæ : tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus. Cùmque audîsset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit : et reversus est ad castra Israël, et ait : Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian, etc. *Judic.* 7. 13. *et seq.*

*Samüel quater à Domino vocatus, revelationem accepit.* 1. *Reg. c.* 3. *per totum.*

Consuluitque (*Saül*) Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. *Ibid.* 28. 6.

Dixitque Nathan ad regem (*David*) : Omne quod est in corde tuo, vade, fac : quia Dominus tecum est. Factum est autem in illâ nocte, et eccè

sermo Domini ad Nathan, dicens : Vade, et loquere ad servum meum David : Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum! etc. 2. *Reg.* 7. 3. *Item* 1. *Paral.* 17. 2. *et seq.*

Abiit itaque (*Salomon*) in Gabaon, ut immolaret ibi : illud quippè erat excelsum maximum : mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis, ut dem tibi, etc. 3. *Reg.* 3. 4. 5. *Item* 2. *Paral.* 1. 7. *et seq.*

Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. *Job* 7. 14.

Semel loquitur Deus — Per somnium in visione nocturnâ, quandò irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo : tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplinâ. *Ib.* 33. 14. *et seq.*

In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo. *Dan. c.* 2. *v.* 1. *Vide totum caput. Item aliud somnium Nabuchodonosor. c.* 4. *per totum.*

*Visio Danielis de quatuor bestiis, quatuor regna designantibus, etc. Ibid. c.* 7. *per totum caput. Item visio de ariete duorum cornuum, et hirci cornu unius, et posteà quatuor cornuum, etc. c.* 8. *per tot. Vide* 2. *Mach.* 15. 11. *et seq.*

Hæc autem eo cogitante (*scil. Joseph*), eccè Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est, etc. *Matth.* 1. 20.

Et responso accepto (*Magi*) in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Qui cùm recessissent, eccè Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usquè dùm dicam tibi, etc. *Ib.* 2. 12. 13. *Vide et v.* 19. *et* 22.

Cùm autem pertransîssent Mysiam (*Paulus et Timotheus*), descenderunt Troadem : et visio per noctem Paulo ostensa est : Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. *Actor.* 16. 8. 9.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere, et ne taceas. Propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi, ut noceat te : quoniàm populus est mihi multus in hâc civitate. *Ib.* 18. 9. 10.

Sequenti autem nocte assistens ei (*Paulo*) Dominus, ait : Constans esto : sicut enim tes-

tificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari. *Ibid.* 23. 11.

Astitit enim mihi (*Paulo*) hâc nocte Angelus Dei, cujus sum ego, et qui deservio, dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere : et eccè donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. *Ibid.* 27. 23. 24.

*Somnia et visiones, quæ non conveniunt cum doctrinâ Christi et Ecclesiæ, sunt contemnenda.*

Si surrexerit in medio tuî prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, et in totâ animâ vestrâ. *Deut.* 13. 1. *et seq. Vide v.* 5. *Item Jerem.* 27. 9.

Vana spes, et mendacium viro insensato : et somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia, etc. *Eccli.* 34. 1. 2. *Vide v.* 3.

Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. *Jerem.* 23. 16. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes : Somniavi, somniavi. Usquequò istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? etc. *v.* 25. 26. *Vide v.* 32.

Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrûm, et divini vestri : et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis : quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo : et non misi eos, dicit Dominus. *Ibid.* 29. 8. 9. *Vide c.* 14. 14. *et c.* 27. 9.

*Observatio profana.*

Non augurabimini, nec observabitis somnia. *Levit.* 19. 26.

Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur : nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum : multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. *Eccli.* 34. 6. 7.

*Soror.* Vide *Fraternitas.*

SORS.

*Sortium missionis praxis.*

*Sacerdos* duos hircos stare faciet coram Domino — mittensque super utrumque sortem — cujus exierit sors Do-

mino, offeret illum pro peccato — *alterum* statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem. *Levit.* 16. 7. *et seq.*

Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem : singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio : ità duntaxàt ut sors terram tribubus dividat et familiis. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. *Num.* 26. 54. *et seq. Vide c.* 36. 2. *Item Deut.* 1. 38. *et c.* 31. 7.

Ego enim dedi vobis illam (*terram Chanaan*) in possessionem, quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ità tribuetur hæreditas. *Ibid.* 33. 53. 54. *Vide Josue* 15. 1. *et c.* 16. 1. *et c.* 17. 1. *et c.* 19. 1. 51. *et c.* 22. 7.

*Exploratâ urbe Haï, cedit populus Israël hostibus propter furtum de anathemate Jericho; quapropter, missâ sorte, Achan lapidatur jussu Domini. Jos. c.* 7. *per totum caput.*

Itaque perrexerunt (*viri à Josuë missi*), et lustrantes eam (*terram*), in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josuë in castra Silo. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israël in septem partes. *Ibid.* 18. 9. 10. *Vide v.* 6. *et* 11. *Item* 1. *Paral.* 24. 5. *et c.* 25. 8. 9. *et c.* 26. 13. *Luc.* 1. 9.

*Ungitur Saül in regem à Samüele, datis ac succedentibus signis, prophetat inter prophetas, et missis sortibus à Samüele confirmatur in regem, etc.* 1. *Reg.* 10. 20.

*Sorte Jonathas captus est, et vix mortem evasit. Ibid.* 14. 42.

Habitaverunt autem, principes populi in Jerusalem : reliqua verò plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sanctâ, novem verò partes in civitatibus. 2. *Esdr.* 11. 1.

Missa est sors in urnam, — quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici. *Esth.* 3. 7.

Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. *Psal.* 21. 19. *Vide Matth.* 27. 35. *Marc.* 15. 24. *Luc.* 23. 34. *Joan.* 19. 24.

Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. *Prov.* 16. 33.

Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat. *Ibid.* 18. 18. *Vide Isa.* 34. 17.

Et dixit vir ad collegam suum : Venite, et mittamus sortes, et sciamus quarè hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes : et cecidit sors super Jonam. *Jonæ* 1. 7.

Et dederunt sortes eis (*Joseph et Matthiæ*), et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. *Actor.* 1. 26. *Vide et v.* 17.

*Sors spiritualis.*

Convertantur à tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos, per fidem, quæ est in me (*ait Jesus Paulo*). *Actor.* 26. 18.

In quo etiam (*Christo*) et nos sorte vocati sumus, prædestinati, etc. *Ephes.* 1. 11.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. *Coloss.* 1. 12.

SPES.

*Spes justorum non in temporalibus rebus, sed in Deo, ejusque promissionibus fundatur.*

Et multiplicabo semen tuum (*ait Deus ad Isaac*) sicut stellas cœli : daboque posteris tuis universas regiones has : et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias, legesque servaverit. *Gen.* 26. 4. 5. *Vide c.* 12. 3. *c.* 18. 18. *c.* 22. 17. 18. *c.* 20. 14. *c.* 48. 4. *Item. Actor.* 3. 25.

Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Median in manus ejus : ne glorietur contra me Israël, et dicat : Meis viribus liberatus sum. *Judic.* 7. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon : adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos : et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat : quem ire prohibuero, revertatur. *v.* 4. *Vide tot. caput.*

Et reversus est populus (*Israël*) ad castra : dixeruntque majores natu de Israël : Quarè percussit nos Dominus hodiè coram Philisthiim ? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostrî, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. 1. *Reg.* 4. 3.

Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodiè, et dabit te Dominus in manu meâ, etc. *Ibid.* 17. 45. 46. *Vide c.* 22. 3.

Et accedens unus vir Dei, dixit ad (*Achab*) regem Israël : Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium : dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tuâ, et scietis quia ego sum Dominus. 3. *Reg.* 20. 28.

*Dixit Joab fratri suo Abisaï*

Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri : Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet. 1. *Par.* 19. 13. *Item* 2. *Reg.* 10. 12.

Vos ergò confortamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro (*ait Azarias ad regem Asa*). 2. *Par.* 15. 7.

In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei : Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcircò evasit Syriæ regis exercitus de manu tuâ, etc. *Ibid.* 16. 7. *Vide c.* 25. 8.

In nobis quidem non est tanta fortitudo (*ait Josaphat*), ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te (*Deus*). *Ibid.* 20. 12. Audite me, viri Juda, et omnes habitatores Jerusalem (*ait idem Rex*) : credite in Domino Deo vestro, et securi eritis : credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. *v.* 20. *Vide et v.* 15.

Viriliter agite, et confortamini : nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem, quæ est cum eo : multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum : nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. *Ibid.* 32. 7. 8.

Capiatur (*Domine Holofernes*) laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis caritatis meæ, etc. *Judith* 9. 13.

Etiamsi occiderit me (*Deus*), in ipso sperabo. *Job* 13. 15.

Sperent in te qui noverunt nomen tuum ; quoniàm non dereliquisti quærentes te, Domine. *Psal.* 9. 11. *Vide Psal.* 4. 6. 10. *et Psal.* 5. 12.

Ego autem in misericordiâ tuâ speravi (*Domine*). Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi : et psallam nomini Domini altissimi. *Psal.* 12. 6.

Quoniàm Dominus in generatione justâ est, consilium inopis confudistis : quoniàm Dominus spes ejus est. *Psal.* 13. 6. *Vide Psal.* 17. 2.

Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. *Psal.* 19. 8.

In te (Domine) speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos, etc. *Psal.* 21 5. Quoniàm tu es, qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ, etc. *v.* 10. *Vide v.* 6. *et* 9. *Item Psal.* 20. 8.

Deus meus, in te confido, non erubescam : neque irrideant me inimici mei. *Psal* 24. 2. 3.

Expecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Psal.* 26. 14. *Vide versum* 3. *et Psal.* 27. 7.

Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias : *nam in te, Domine, speravi, etc. Psal.* 30. 3. *Vide v.* 7. 15. 20. *et* 25. *Item Psal.* 70. *v.* 1. 5. 14.

Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. *Psal.* 31. 10.

Eccè oculi Domini super metuentes eum : et in eis, qui sperant super misericordiâ ejus. *Psal.* 32. 18. *Vide vers.* 21. *et* 22. *Item Psal.* 33. 9. 23. *et* 35. 8.

Spera in Domino, et fac bonitatem; et inhabita terram, et pascêris in divitiis ejus. *Psal.* 36. 3. *Vide v.* 5. *et* 40. *Item Psal.* 37. 16.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas. *Psal.* 39. 5.

Quarè tristis es, anima mea? et quarè conturbas me? Spera in Deo, quoniàm adhùc confitebor illi : salutare vultûs mei, et Deus meus. *Psal.* 41. 6. 7. *Vide v.* 12. *Item Psal.* 42. 5. *et* 51. 10. *et* 54. 24. 55. 5. 11. *et* 56. 2.

In Deo salutare meum, et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sperate in eo, omnis congregatio populi, etc. *Psal.* 61. 8. 9. *Vide Psal.* 63. 11.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longè. *Psal.* 64. 7.

Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Domino Deo spem meam. *Psal.* 72. 27. *Vide Psal.* 77. 7. *Psal.* 83. 13. *Psal.* 85. 2. *Psal.* 118. *v.* 42. 43. 49. 74. 81. 114. 147.

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum. *Psal.* 90. 2. *Vide v.* 4. 9. 14.

Domus Israël speravit in Domino : adjutor eorum, et protector eorum est. *Psal.* 113. 9. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : adjutor eorum, et protector eorum est, *v.* 11. *Vide et v.* 10.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine : bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. *Psal.* 117. 8. 9. *Vide Psal.* 124. 1.

A custodiâ matutinâ usquè ad noctem, speret Israël in Domino. *Psal.* 129. 6. *Vide v.* 5. *Item Psal.* 130. 3.

Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium. *Psal.* 141. 6. *Vide Psal.* 143. 2.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia

quæ in eis sunt. *Psal.* 145. 5. 6. *Vide Psal.* 146. 11.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3. 5. *Vide c.* 14. 26.

Qui sperat in Domino, beatus est. *Ibid.* 16. 20.

Ut sit in Domino fiducia tua, undè et ostendi eam tibi hodiè. *Ibid.* 22. 19.

Qui se jactat, et dilatat, jurgia concitat : qui verò sperat in Domino, sanabitur. *Ibid.* 28. 25.

Qui timet hominem, citò corruet : qui sperat in Domino, sublevabitur. *Ibid.* 29. 25.

Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. *Ibid.* 30. 5.

Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum (*justorum*) immortalitate plena est. *Sap.* 3. 4. Qui confidunt in illo (*Deo*), intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi : quoniàm donum et pax est electis ejus. *v.* 9.

Crede Deo, et recuperabit te : et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce. *Eccli.* 2. 6. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? etc. *v.* 12. *Vide v.* 9.

Humiliare Deo, et expecta manus ejus. *Ibid.* 13. 9.

In benedictione Dei et ipse speravi. *Ibid.* 33. 17.

Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. *Ibid.* 34. 14. *Vide sequentes versus.*

Et erit in die illâ — innitetur (*Israël*) super Dominum Sanctum Israël in veritate. *Isa.* 10. 20.

Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. *Ibid.* 26. 4. *Vide c.* 14. 32.

Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israël exultabunt. *Ibid.* 29. 19.

Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, etc. *Ibid.* 30. *c.* 1. Quia hæc dicit Dominus Deus Sanctus Israël : Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis : in silentio, et in spe erit fortitudo vestra. *v.* 15.

Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; et super equitibus, quia prævalidi nimis; et non sunt confisi super Sanctum Israël, et Dominum non requisierunt. *Ibid.* 31. 1. *Vide Mich.* 5. 10. *et seq.*

Quod si responderis mihi : In Domino Deo nostro confidimus : nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa, et

altaria, et dixit Judæ et Jerusalem : Coram altari isto adorabitis? etc. *Ibid.* 36 7. *Vide* 4. *Reg.* 18. 22.

Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Qui dat lasso virtutem, et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. *Ibid.* 40. 28. 29. *Vide v.* 31. *Item c.* 50. 10.

Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, etc. *Jerem.* 2. 33.

Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. *Ibid.* 7. 4.

Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, et non glorietur fortis in fortitudine suâ, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terrâ : hæc enim placent mihi, ait Dominus. *Ibid.* 9. 23. 24.

Benedictus vir, qui confidit in Domino; et erit Dominus fiducia ejus. *Ibid.* 17. 7. *Vide v.* 17. *Item Joel.* 3. 16.

Et liberabo te in die illâ, ait Dominus : et non traderis in manus virorum, quos tu formidas : sed eruens liberabo te, et gladio non cades; sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. *Ibid.* 39. 17. 18. *Vide c.* 48. 7.

Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea expectabo eum. *Thren.* 3. 24. *Vide v.* 25.

Et scient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus : pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israël. *Ezech.* 29. 6.

Et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. *Oseæ* 12. 6.

Nolite credere amico : et nolite confidere in duce : ab eâ, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. *Mich.* 7. 5. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum : audiet me Deus meus. *v.* 7.

Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis : et sciens sperantes in se. *Nahum* 1. 7.

Et ait Judas : Facile est concludi multos in manu paucorum : et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis, etc. 1. *Mach.* 3. 18. *Vide versus sequentes. Item* 2. *Machab.* 15. 7.

Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est

me dignus. *Matth.* 10. 37. *Vide Luc.* 14. 26.

Et in nomine ejus Gentes sperabunt. *Ibid.* 12. 21. *Vide Rom.* 15. 12.

Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! *Marc.* 10. 24.

Spe — salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. *Rom.* 8. 24. 25.

Non simus fidentes in nobis, sed in Deo. 2. *Cor.* 1. 9. *Vide v.* 7. *et* 10.

Quibus voluit Deus (*scil. sanctis suis*) notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, etc. *Coloss.* 1. 27.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis — memores operis fidei vestræ, et laboris, et caritatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, antè Deum et Patrem nostrum. 1. *Thess.* 1. 2. 3.

Paulus Apostolus Jesu Christi secundùm imperium Dei, Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ. 1. *Tim.* 1. 1.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.) *Ibid.* 6. 17.

Christus verò tanquàm filius in domo suâ, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usquè ad finem firmam retineamus. *Hebr.* 3. 6. *Vide c.* 6. *v.* 11. 18. 19. *et c.* 10. 23.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelationem Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 13. Qui per ipsum (*Christum*) fideles estis in Deo, qui suscitavit eum à mortuis — ut fides vestra, et spes esset in Deo. *v.* 21. *Vide c.* 3. 15.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (*Deum*) : quoniàm ipsi cura est de vobis. *Ibid.* 5. 7. *Vide Psal.* 54. 23.

Et omnis qui habet hanc spem in eo (*Deo*), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

*Spes non facit securos, nec excludit timorem.* Vide etiam *Timor.*

*Spes impiorum evanescet, et vana sunt omnia, in quibus confidunt.*

An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se. 4. *Reg.* 18. 21. *Vide Isa.* 36. 6.

Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. *Job* 8. 13. *Vide v.* 14.

Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ. *Ib.* 11. 20.

Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur : et hominem ergò similiter perdes. *Ibid.* 14. 19.

Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Ibid.* 20. 4. *Vide c.* 40. 28.

Expectatio justorum lætitia : spes autem impiorum peribit. *Prov.* 10. 28.

Justitia simplicis diriget viam ejus : et in impietate suâ corruet impius. *Ibid.* 11. 5. Desiderium justorum omne bonum est; præstolatio impiorum furor. *v.* 23. *Vide c.* 25. 19.

Quoniàm spes impii tanquàm lanugo est, quæ à vento tollitur : et tanquàm spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur : et tanquàm fumus, qui à vento diffusus est : et tanquàm memoria hospitis unius diei prætereuntis, etc. *Sap.* 5. 15. *Vide c.* 3. 11.

Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis, et vindictæ. *Eccli.* 5. 10. *Item Prov.* 11. 28.

Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cùm transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. *Isa.* 28. 15. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans, cùm transierit, eritis ei in conculcationem, etc. *v.* 18. *Vide v.* 17.

Propterea hæc dicit Sanctus Israël : Pro eo quòd reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumniâ, et in tumultu, et innixi estis super eo, etc. *Ibid.* 30. 12. Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare à te ultra doctorem tuum; et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, etc. *v.* 20. *Vide v.* 2. *et* 3. *Item c.* 31. 1. *et c.* 47. 10.

Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud, quarè perierit terra, et exusta sit quasi desertum, eo quòd non sit qui pertranseat? etc. *Jer.* 9. 12.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. *Ibid.* 17. 7. *Vide v.* 5. *et* 17. *Item c.* 48. 7.

*Spes ex præteritis et jàm compertis beneficiis concipienda.*

Minor sum (*inquit Jacob*)

cunctis miserationis tuis (*Domine*), et veritate tuâ, quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum : et nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo, etc. *Gen.* 32. 10. 11.

Noli metuere (*Israël*) sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis — Non timebis eos, etc. *Deut.* 7. 18. 21. *Vide totum caput. Item* 2. *Paral.* 20. 7.

Si exieris (*Israël*) ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus, et currus, et majorem quàm tu habeas adversarii exercitûs multitudinem, non timebis eos : quia Dominus tuus tecum est, qui eduxit te de terrâ Ægypti. *Ibid.* 20. 1.

Et ait David : Dominus, qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. 1. *Reg.* 17. 37.

Non timebo millia populi circumdantis me — Quoniàm tu (*Domine*) percussisti omnes adversantes mihi sine causâ. *Psal.* 3. 7. 8.

Quoniàm tu es (*Dominus*), qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me, etc. *Psal.* 21. 10. *et seq. Item Psal.* 70. 5. 6.

Fidelis Deus, per quem vocati estis. 1. *Cor.* 1. 9. *Ipse* et confirmabit vos usquè in finem sine crimine. *v.* 8.

*Deus*, qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus, quoniàm et adhùc eripiet. 2. *Cor.* 1. 10.

Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usquè in diem Christi Jesu. *Philipp.* 1. 6. *Vide* 1. *Thess.* 5. 24. *Item* 2. *Petr.* 1. 3.

Liberavit me Dominus ab omni opere malo ; et salvum faciet in regnum suum cæleste. 2. *Tim.* 4. 18.

*Sperantium in Deum exempla.*

*Ezechias* in Domino Deo Israël speravit : itàque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda ; sed neque in his, qui antè eum fuerunt, etc. 4. *Reg.* 18. 5.

Humiliatique sunt filii Israël in tempore illo, et vehementissimè confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum. 2. *Par.* 13. 18.

Et fuit Dominus cum Josaphat, quia — non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, etc. *Ibid.* 17. 3. 4. *Vide c.* 20. 15. *et seq.*

Dixit Judith : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, etc. *Judith* 13. 17. *Vide tot. Librum.*

Etiamsi occiderit me (*Deus*)

in ipso sperabo — et ipse erit Salvator meus. *Job* 13. 15. 16. *Vide c.* 19. 27.

Non sis tu (*Deus*) mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. *Jerem.* 17. 17.

Hæc recolens in corde meo, ideò sperabo. *Thren.* 3. 21. *Vide v.* 29.

*Liberata à morte Susanna*, exclamavit — omnis cœtus voce magnâ, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. *Dan.* 13. 60. Erat enim cor ejus (*Susannæ*) fiduciam habens in Domino. *v.* 35.

*Fratres Machabæi ob eximiam spem, quàm habebant in Deo, morti se tradiderunt. Vide totam præclarissimam de hâc re historiam. 2. Mach. c.* 7.

*Paulus habebat magnam spem in Deo, etc. Actor.* 24. 15. *Vide Ephes.* 1. 12. *Item* 1. *Tim.* 4. 10.

SPINÆ.

*Spinæ et tribuli propter peccatum Adæ.*

Spinas et tribulos germinabit tibi (*terra, ô Adam*) — In sudore vultûs tui vescêris pane. *Gen.* 3. 18. 19.

*Spinæ appellantur sollicitudines hujus mundi, divitiæ, et voluptates vitæ mundanæ.*

Alia autem (*semina*) ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverant ea. *Matth.* 13. 7. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. *v.* 22.

Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. *Ibid.* 19. 22. *Idem habetur Marc.* 10. 22.

Et aliud (*semen*) cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. *Luc* 8. 7. Quod autem in spinas cecidit hi sunt qui audierunt, et à sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. *v.* 14. *Idem habetur Marc.* 4. 7. 18. *et* 19.

Adhùc unum tibi deest (*ait Jesus juveni diviti*) : Omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est. *Ibid.* 18. 22. 23.

SPIRITUS.

*Spiritus Sanctus est verus Deus.*

Spiritus Dei ferebatur super aquas. *Gen.* 1. 2.

Spiritus Domini (*ait David*) locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. 2. *Reg.* 23. 2. *Vide Isa.* 48. 16.

Spiritus ejus (*Dei*) ornavit cœlos, etc. *Job* 26. 13.

Spiritus Dei fecit me. *Ibid.* 33. 4.

Verbo Domini cœli firmat

sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* 32. 6.

Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, etc. *Ps.* 103. 30.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum. *Sap.* 1. 7. *Vide v.* 5.

*Israëlitæ* ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt spiritum *Sanctum*. *Isa.* 63. 10. Spiritus Domini ductor ejus (*Israël*) fuit : sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. *v.* 14. *Vide et v.* 11.

Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matth.* 10. 19. 20. *Vide Marc.* 13. 11. *Luc* 12. 11. 12.

Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus. Spiritûs autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Ibid.* 12. 31. 32. *Vide Marc.* 3. 28. 29, *Luc.* 12. 10.

Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. *Ibid.* 28. 19.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, etc. *Joan.* 14. 26. *Vide v.* 16. 17. *etc.* 15. 26. *etc.* 16. 7.

Dixit autem Petrus (*ad Ananiam*) : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, etc. Non es mentitus hominibus, sed Deo. *Actor.* 5. 3. 4. *Vide et v.* 9. *de Saphirâ.*

Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. *Ibid.* 13. 2. *Vide v.* 4. *et* 9.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Ibid.* 20. 28. *Vide v.* 23.

Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26. *Vide v.* 9. 11. 14. 15. 16. *et* 27.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei — *nam* quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 1. *Cor.* 2. 10. 11. *Vide versus sequentes.*

Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis; Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. 1. *Ibid.* 3. 16. 17. *Vide c.* 6. 11.

Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. *Ibid.* 6. 11. *Vide v.* 19.

*Variis dantur varia Spiritus Sancti charismata.* Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. *Ibid.* 12. 11. *Vide v.* 13.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis. 2. *Cor.* 13. 13.

Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis. *Eph.* 4. 30.

Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis. 2. *Tim.* 1. 14.

*Deus* secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum : ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 5. *et seq.*

Et Spiritus est, qui testificatur, quoniàm Christus est veritas. Quoniàm tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. 1. *Joan.* 5. 6. 7.

Qui habet autem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. *Apoc.* 2. 7. *Quæ verba pluries repetuntur tàm in hoc capite, quàm in sequenti.*

*Spiritus Sanctus promittitur.*

Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam : effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. *Isa.* 44. 3.

Et dabo eis cor unum, et Spiritum novum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum. *Ezech.* 11. 19. *Idem repetitur c.* 36. 26. 27.

Et non abscondam ultrà faciem meam ab eis, eò quòd effuderim Spiritum meum super omnem domum Israël, ait Dominus Deus. *Ibid.* 39. 29.

Effundam Spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. *Joel.* 2. 28. *Vide v.* 29. *Item Ac.* 2. 17. 18.

Ego quidem (*dicebat Joannes*) baptizo vos in aquâ in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare ; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. *Matth.* 3. 11. *Vide Marc.* 3. 8. *Luc.* 3. 16. *Joan.* 1. 33. *Ac.* 1. 5. 8. *et* 16. *Item c.* 11. 16. *et c.* 19. 2.

Hoc autem dixit (*Jesus*) de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondùm enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus. *Joan.* 7. 39.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis,

ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, etc. *Ibid.* 14. 16. 17. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *v.* 26.

Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Ibid.* 15. 26.

Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. etc. *Ib.* 16. 7. *Vide v.* 13. *et seq.*

*Mittitur Spiritus Sanctus.*

Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes (*discipuli*) pariter in eodem loco: et factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm advenientis Spiritûs vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, etc. *Actor.* 2. 1. *Vide totum caput. Item c.* 10. 44. *et seq. et c.* 19. 6.

*Spiritus Dei edocet mentes.*

Perge igitur (*ait Dominus ad Moysen*), et ego ero in ore uo, docceboque te quid loquaris. *Exod.* 4. 12.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in viâ hâc, quâ gradieris: firmabo super te oculos meos. *Psal.* 31. 8.

*Ego ponam, ait Dominus*, universos filios tuos doctos à Domino, et multitudinem pacis filiis tuis. Et in justitiâ fundaberis. *Isa.* 54. 13. 14.

Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Matth.* 10. 19. 20.

Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illâ horâ, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. *Marc.* 13. 11.

Cùm autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsâ horâ, quid oporteat vos dicere. *Luc.* 12. 11. 12.

Ponite ergò in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodùm respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Ibid.* 21. 14.

Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me. *Joan.* 6. 45.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æter-

num, Spiritum veritatis, etc. *Ibid.* 14. 16. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *v.* 26.

Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Ib.* 15. 26.

Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, etc. *Ibid.* 16. 13. *Vide v.* 7. *et* 14.

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. *Rom.* 8. 16. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *v.* 26. *Vide v.* 9. 11. 14. *et.* 27.

Qui (*Deus*) et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. *Cor.* 1. 22.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. *Ibid.* 5. 5.

In quo (*Christo*) et vos cùm audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, etc. *Ephes. c.* 1. *v.* 13. 14. *Vide c.* 4. 23. 30.

Et vos unctionem, quàm accepistis ab eo (*Deo*), maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos : manete in eo, etc. 1. *Joan.* 2. 27.

### *Spiritus probandi sunt, an ex Deo sint.*

Et dixerunt illi (*Judith.*) Ozias, et presbyteri : Omnia, quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. *Judith* 8. 28. Et dixit illis Judith : Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis : ità quod facere disposui, probate, si ex Deo est, etc. *v.* 30. *et* 31.

Prophetæ autem duo, aut tres dicant, et cæteri dijudicent. 1. *Cor.* 14. 29.

Omnia autem probate : quod bonum est, tenete. 1. *Thess.* 5. 21.

Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint : quoniàm multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. *Joan.* 4. 1. *Vide v.* 2. *et* 3.

SPONSUS.

### *Sponsus spiritualis Ecclesiæ est Christus.*

Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum

nomen ejus : et redemptor tuus Sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur. *Isa.* 54. 5.

Non vocaberis ultrà derelicta : et terra tua non vocabitur ampliùs desolata : sed vocaberis voluntas mea in eâ, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te : et terra tua inhabitabitur. *Ib.* 62. 4. *Vide v.* 5. *et* 12.

Usquequò deliciis dissolvêris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum. *Jerem.* 31. 22.

Et transivi per te (*Jerusalem*), et vidi te : et eccè tempus tuum, tempus amantium : et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi, etc. *Ezech.* 16. 8. *Vide versus seq.*

Et ait illis Jesus (*discipulis Joannis*) : Nunquid possunt filii sponsi lugere quandiù cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt. *Matth.* 9. 15.

Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. *Ibid.* 25. 1. *Vide versus sequentes usquè ad v.* 13. *Item c.* 22. 2. *et seq.*

Et ait illis Jesus (*discipulis Joannis :* Nunquid possunt filii nuptiarum, quandiù sponsus cum illis est, jejunare? quanto tempore habent secum sponsum non possunt jejunare. *Marc.* 2. 19. *Idem habetur Luc.* 5. 34. 35.

Qui habet sponsam, sponsus est (*ait Joannes*) ; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergò gaudium meum impletum est. *Joan.* 3. 29.

Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 2.

Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ità et mulieres viris suis in omnibus. *Ephes.* 5. 24. *Vide totum contextum.*

Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei (*Deo*) : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. *Apoc.* 19. 7. *Vide v.* 9.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam, ornatam viro suo. *Ibid.* 21. 2. *Vide v.* 9.

*Sponsa Christi.* Vide *Ecclesia.*

STRAGES.

*Terribilis hominum et aliorum animalium strages fuit, quandò tempore Noë omnes homines, præter octo, diluvio perierunt. Gen.* 7. 21. *Vide totum caput. Item* 1. *Petr.* 3. 20.

*Illi quatuor reges, qui debellaverunt quinque reges, magnam cædem hominum fecerunt, pugnando contra illos,*

*licèt eorum numerus non sit scriptus :* Et percusserunt omnem regionem. *Ibid.* 14. 7.

*Numerus hominum, qui variis plagis perierunt in Ægypto, et qui submersi sunt in mari rubro, nequit omninò supputari. Exod. c.* 12. *et c.* 14.

*De sexcentis millibus hominum bellatorum, à viginti annis et suprà, nullus intravit terram promissionis, sed omnes interierunt in deserto variis calamitatibus, præter Caleb et Josuë. Num.* 11. 21. *et c.* 14. 30.

*Filii Israël, præcepto Moysis, de Madianitis maximam fecerunt cædem; quod patet ex hoc, quia* omnes mares occiderunt; *et Moyses præcepit eis, dicens :* Cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis : et mulieres — jugulate. *Ibid.* 31. 7. *et* 17.

*De cæde urbis Jericho, ejusque habitatorum, vide Josuë* 7. 21. *et* 24. *Item de cæde urbis Hai, habitatorum, imò et regis ejus, vide ibid.* 8. *à v.* 19. *usq. ad* 30.

*Multa millia hominum temporibus Debboræ, Gedeonis et Jephte fuerunt occisa. Judic. c.* 4. *usq. ad* 13.

*Percussit Jephte* viginti civitates — plaga magna nimis. *Ibid.* 11. 32.

*Samson excæcatus et illusus ab hostibus, plures interfecit moriens, quàm vivus : nam vivus cum maxillâ asini mille viros interfecit. Ibid.* 15. 16. *Sed moriens destruxit totam domum quæ* erat plena virorum ac mulierum, *et in quâ erant* omnes principes Philisthinorum : ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexûs spectantes ludentem Samson, *omnes interfecit secum. c.* 16. 27.

*Occasione uxoris Levitæ, fuerunt occisa plurima millia hominum bellatorum de tribu Benjamin, præter mulieres et parvulos :* nec erat ulla requies morientium. *Ibid.* 20. 43.

*In diebus Heli, quandò fuit capta arca Domini,* facta est plaga magna nimis : et ceciderunt de Israël triginta millia peditum, etc. 1. *Reg.* 4. 10.

*Percussit Jonathas et armiger ejus plagâ primâ viginti viros; sed posteà facta est* cædes magna nimis. *Ibid.* 14. 14. *et* 20.

Percussitque Saül Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur. *Ibid.* 15. 7.

*Interfecto per David Goliath, multi Philisthæi fuerunt occisi. Ibid.* 17. 52.

*In morte Saül et filiorum ejus multi de Israël ceciderunt. Ibid.* 31. 1. 2. *Item* 1. *Paral.* 10. 1. 2.

*Pro peccato à David in numeratione populi commisso,* mortui sunt ex populo — septuaginta millia virorum. 2. *Reg.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

*Vide stragis magnæ descriptionem*, 3. *Reg.* 20. 21. *et* 29.

*Percussit Angelus Domini in unâ nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, propter Rabsacis blasphemias, et ipse Sennacherib rex surgens diluculò, et videns corpora mortuorum, recedens interfectus est à filiis suis in templo idolorum suorum.* 4. *Reg.* 19. 35. *et seq. Vide* 2. *Paral.* 32. 21. *Isa.* 37. 36. 1. *Mach.* 7. 41. 2. *Mach.* 8. 19. *et c.* 15. 22.

*Abia percussit et vulneravit* ex Israël quingenta millia virorum fortium. 2. *Par.* 13. 17.

*Aza Zaram regem Æthiopum cum exercitu mille millium divino auxilio concidit ad internecionem. Ibid.* 14. *a v.* 9. *usq. ad fin.*

Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Judâ centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores : eò quòd reliquissent Dominum, etc. *Ibid.* 28. 6. *Vide v.* 8.

*Occiderunt Judæi in regno Assueri septuaginta quinque millia hominum. Esth.* 9. 16.

*Occisi sunt uno die centum millia hominum de Antiochenis.* 1. *Mach.* 11. 48. *Vide v.* 74. *et c.* 10. 85.

*Tanta cædes hominum fuit in Jerusalem, quandò Antiochus eam cepit, ut toto triduo interfecti fuerint octoginta millia, quadraginta millia vincti, non minùs autem venundati.* 2. *Mach.* 5. 14.

Adversus Galatas — sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cœlo. *Ibid.* 8. 20.

*Judas Machabæus occidit in primo conflictu* super novem millia hominum *de illis, qui erant cum Nicanore. Ib. v.* 24. *Deinde cum Timotheo et Bacchide* super viginti millia. *v.* 30.

*Iterùm plus quam viginti millia peremit. Ibid.* 10. 23.

*Rursùs undecim millia peditum, et equitum millia sexcenta interfecit. Ibid.* 11. 11. *Lege totum librum, et invenies innumerum numerum occisorum.*

STULTITIA.

*Stultiloquium mulierum.* Vide *Mulierum stultiloquium.*

*Stultorum et stultitiæ, seu stultè factorum exempla.*

*Ait Laban ad Jacob* : Stultè operatus es, etc. *Gen.* 31. 28.

*Aaron et soror ejus Maria detraxerunt Moysi; et ideò Maria leprâ repentè infecta est: quamobrem Aaron* ait ad Moysen: Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus. *Num.* 12. 11. *Sic et Israëlitæ stulti vocantur. Deut.* 32. 6. *et Jerem.* 4. 22. *et c.* 5. 21. *Item Saül; uti arguit eum Samuël.*

1. *Reg.* 13. 13. *Sic et Saül de se ipso fatetur*, Apparet enim quod stultè egerim, etc. *Ibid.* 26. 21.

*David apud Achis regem Geth, stultum se et dementem præ timore simulat.* 1. *Reg.* 21. 13.

*Vide historiam de stulto Nabal, qui certè ob stultitiam suam periisset, nisi prudens ejus uxor Abigail pro eo apud David intercessisset. Ib.* 25. 25.

*Verè stultè nimis egit David in numeratione populi, uti pœnitens hic confitetur Deo.* 2. *Reg.* 24. 10. *Item* 1. *Paral.* 21. 8.

*Hanani propheta regi Asa dixit:* Stultè igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent: *sed nihilominùs perrexit Asa in stultitiâ suâ, et pœnam sensit.* 2. *Paral.* 16. 9. *et seq.*

*Job uxori suæ respondit:* Quasi una de stultis mulieribus locuta es, etc. *Job* 2. 10. *Vide c.* 5. 2. *et seq.*

Intelligite, insipientes in populo: et stulti, aliquandò sapite. *Psal.* 93. 8.

Qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Prov.* 14. 29. *Vide v.* 1. 3. 7. 8. 9. 14. 16. 18. *et* 24. *Item caput* 15. *v.* 2. 5. 7. 14. 20. *et* 21.

Honor est homini, qui se separat à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis. *Ibid.* 20. 3. *Vide c.* 12. 15. 23. *et c.* 13. 16. *et c.* 17. 16. 28. *et c.* 18. *v.* 2. 6. 7. *et* 13. *et c.* 19. *v.* 3. 10.

Quomodò nix in æstate, et pluviæ in messe: sic indecens est stulto gloria. *Ibid.* 26. 1. *Vide v.* 4. *et seq.*

Si contuderis stultum in pilâ quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. *Ibid.* 27. 22. *Vide c.* 10. *v.* 8. 14. 23. *et c.* 24. *v.* 7. 8. 9. *et c.* 30. 2. 32.

Stultorum infinitus est numerus. *Eccles.* 1. 15. *Vide c.* 4. *v.* 5. 13. *et* 17. *Item c.* 6. 8. *et c.* 7. *v.* 5. 6. 10. *et* 18. *et c.* 10. *per plures versus.*

Cor sapientis in dexterâ ejus, et cor stulti in sinistrâ illius. *Ibid.* 10. 2. *Vide vers.* 3. 6. 14. *et* 15.

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens, vix tacitè ridebit. *Eccli.* 21. 23. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum. *v.* 29. *Vide v.* 17. 19. 21. 25. 26. 27. *et* 28. *Item c.* 22. *v.* 7. 14. *et seq. et c.* 33. 5.

Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. *Isa.* 19. 11. *Vide v.* 13. *et c.* 32. 6.

Non est audita (*disciplina*) in terrâ Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terrâ est, negotiatores Merrhæ, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ, et intelligentiæ;

viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. *Baruch* 3. 22. 23. *Vide v.* 28.

Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam, etc. *Matth.* 7. 26. *Vide c.* 25. 2. 3. 8. *Item Marc.* 7. 22. *Luc.* 6. 44.

*Stultos appellat Christus Pharisæos. Ibid.* 23. 17.

*Avaro bona colligenti in annos plurimos, dicitur:* Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cujus erunt? *Luc.* 12. 20.

O stulti et tardi corde ad credendum! (*ait Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus.*) *Ibid.* 24. 25.

Quia cùm (*Gentes*) cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, etc. *Rom.* 1. 21. 22. *Vide Galat.* 3. 1. 3.

Nec nominetur in vobis — aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. *Ephes.* 5. 3. 4. *Vide Rom.* 1, 31.

*Stultitia est apud Deum sapientia hujus mundi.*

Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. 1. *Cor.* 1. 18. Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. *v.* 23. *Vide v.* 21. 25. *et* 27.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutiâ eorum. *Ibid.* 3. 19. *Vide c.* 4. 10.

STUPOR.

*Stuporis exempla.*

*Isaac cùm benedixisset Jacob, adveniente postmodum Esaü,* expavit — stupore vehementi: et ultra quàm credi potest admirans, ait, etc. *Gen.* 27. 33.

*Regina Saba*, postquàm vidit sapientiam — Salomonis, et domum quam ædificaverat, necnon et cibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum — et victimas, etc. non erat præ stupore ultrà in eâ spiritus. 2. *Paral.* 9. 3. 4. *Vide* 3. *Reg.* 10. 5.

*Ozias et Presbyteri Bethuliæ cùm vidissent Judith,* stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem ejus. *Judith* 10. 7. *Quod et contigit exploratoribus Assyriorum:* erat *enim* in oculis eorum stupor, quoniàm, etc. *v.* 14.

*Valdè obstupuit Nabuchodonosor, videns tres pueros sine læsione ambulantes in me-*

*dio ignis. Dan.* 3. 91. *Sic et Daniël ipse stupuit ad visionem, quam habuit anno tertio regis Balthassar. c.* 8. 27.

Et stupebant omnes turbæ (*propter miracula Christi*), et dicebant: Nunquid hic est filius David? *Matth.* 12. 23. *Vide Marc.* 6. 51. *Luc.* 2. 47. *et c.* 5. 26. *et c.* 9. 44.

Sic et stupebant (*omnes*) super doctrina ejus (*Jesu*): erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. *Marc* 1. 22. *Vide Luc.* 4. 32.

Stupor enim circumdederat eum (*Petrum*), et omnes, qui cum illo erant, in capturâ piscium, quam ceperant. *Luc.* 5. 9.

*Paulus* tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? (*in suâ miraculosâ conversione*). *Act.* 9. 6. *Sic et viri*, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. *v.* 7. *Vide c.* 8. 13. *de stupore Simonis magi.*

SUBDITI ET SUPERIÔRES.

*Subditi Principem facilè imitantur.*

Ibat enim populus ad adorandum vitulum usquè in Dan, *quia et rex Jeroboam hoc præceperat, idolumque ipse posuerat.* 3. *Reg.* 12. 30.

Et tradet Dominus Israël propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israël. *Ibid.* 14. 16. *Vide et* 4. *Reg.* 10. 5. 6.

*Filii Israël non audierunt vocem Domini*, sed seducti sunt à Manasse, ut facerent malum super gentes, etc. 4. *Reg.* 21. 9. *usquè ad v.* 17. *Vide* 2. *Paral.* 33. 9.

Secundùm judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in eâ. Rex insipiens perdet populum suum. *Eccli.* 10. 2. 3. *Vide et Prov.* 29. 12.

*Subditorum officium.*

Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. *Exod.* 22. 28. *Vide Actor.* 25. 5.

Responderùntque ad Josue (*filii Israël*), atque dixerunt: Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus: et quocumque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ità obediemus et tibi. *Jos.* 1. 16.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Animæ dolosæ errant in peccatis; justi autem misericordes sunt, et miserantur. *Prov.* 13. 13.

Sicut rugitus leonis, ità et terror regis: qui autem provocat eum, peccat in animam suam. *Ibid.* 20. 2.

Time Dominum, fili mi, et regem: et cum detractoribus non commiscearis, etc. *Ibid.* 24. 21.

Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. *Ibid.* 25. 6.

Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi. *Eccli.* 8. 2.

Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usquè in finem. *Ibid.* 10. 16.

Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: et orate pro eâ ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis. *Jerem.* 29. 7.

Et orate pro vitâ Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vitâ Baltassar filii ejus, ut — et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum. *Baruch* 1. 11. 12.

Accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? *Matth.* 17. 23. *Vide versus sequentes.*

Tunc ait illis (*Jesus*): Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo. *Ibid.* 22. 21. *Vide Marc.* 12 17. *Item Luc.* 20. 25.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. *Rom.* 13. 1. Reddite ergò omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. *v.* 7. *Vide v.* 2. *et seq.*

Obsecro igitur primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus, et omnibus qui in sublimitate *constituti* sunt. 1. *Tim.* 2. 1. 2.

Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, etc. *Tit.* 3. 1.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis. *Hebr.* 13. 17.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. 1. *Petr.* 2. 13. 14. *Vide v.* 17.

*Subditi debent: Primò agnoscere gubernatores suos, non casu, sed Dei consilio præfectos esse.*

*Poterat David regem Saül inimicum suum pluries occidere; sed noluit, dicens:* Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. 1. *Reg.* 24. 7. *Vide totum cap.*

*Sic in alio casu, ubi itidem Saül inciderat in manus David,* dixit David ad Abisai: Ne

interficias eum : quis enim extendet manum suam in Christum Domini, et innocens erit? Et dixit David : vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit : propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. *Ibid.* 26. 9. *et seq. Vide tot. cap.*

*Dixit Abisai* : Nunquid pro his verbis non occidetur Semeï : quia maledixit Christo Domini? 2. *Reg.* 19. 21.

*Dixit Miphiboseth accusatus apud David :* Tu autem domine, mi rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. *Ibid. v.* 27. *Vide c.* 14. 17. *et* 20.

*Dixit Adonias ad Bethsabee:* Tu, inquit, nosti quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israël sibi in regem : sed translatum est regnum, et factum est fratris mei *Salomonis :* à Domino enim constitutum est ei. Nunc ergò petitionem unam precor à te, etc. 3. *Reg.* 2. 15. 16.

Audivit itaque omnis Israël judicium, quod judicasset rex (*Salomon*), et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum judicium. *Ibid.* 3. 28.

Tu rex regum es : et Deus cœli, regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi, etc. *Dan.* 2. 37.

*Secundò, favore et reverentiâ et amore eos prosequi.*

Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo : qui benedicens illi, et interrogatus ab eo : — respondit — Et benedicto rege, egressus est foràs. *Gen.* 47. 7. *et* 10.

Itaque cùm ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem (*David*), cecidit coram eo super terram, et adoravit, etc. 2. *Reg.* 14. 4. *Dixitque ei hæc mulier :* Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex : ut nec benedictione, nec maledictione moveatur : undè et Dominus Deus tuus est tecum. *v.* 17. *Vide et v.* 22.

Et respondit Ethai regi (*David*), dicens : Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quoniàm in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus. *Ibid.* 15. 21. Cùmque ascenderet David summitatem montis — occurrit ei Chusai Arachites, scissâ veste, et terrâ pleno capite, etc. *v.* 32.

Berzellai quoque Galaadites descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. Erat autem Berzellai, Galaadites senex valdè, id est octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cùm moraretur in castris; fuit quippe vir dives nimis. *Ibid.* 19. 31. 32.

Tunc juraverunt viri David, dicentes : Jàm non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël. *Ib.* 21. 17.

*Cùm janitores regis Assueri vellent occidere regem, et istud Mardochæum non lateret, hic statim*, nuntiavit reginæ Esther, et illa regi — et appensus est uterque eorum in patibulo. *Esth.* 2. 22. 23.

Daniel regi *Dario* respondens, ait : Rex in æternum vive. *Dan.* 6. 21. *Vide v.* 6. *et c.* 3. 9. *et c.* 5. 10.

*Tertiò, præstare legibus et mandatis eorum, pietati et honestati consentaneis, debitam obedientiam.*

*Missi exploratores in urbem Jericho* reversi sunt. — narraveruntque ei (*Josuë*) omnia quæ acciderant sibi. *Josuë* 2. 23.

*Dixit Josuë ad Rubenitas et Gaditas :* Fecistis omnia quæ præcepit vobis. Moyses famulus Domini : mihi quoque in omnibus obedistis. *Ibid.* 22. 2.

Dixit autem Samuël ad populum : Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, etc. 1. *Reg.* 11. 14. 15.

Adjuravit autem Saül populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem, usquè ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem. *Ibid.* 14. 24.

Misit ergò Saül nuntios ad Isaï, dicens : Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. Tulit itaque Isaï asinum plenum panibus, et lagenam vini, et hœdum de capris unum, et misit per manum David filii sui Saüli. *Ibid.* 16. 19. 20.

Dixeruntque servi regis (*David*) ad eum : Omnia, quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur servi tui. 2. *Reg.* 15. 15.

*Quartò, conferre sumptus ad gubernationem necessarios.*

*Dixit Samuël ad filios Israël:* Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, etc. 1. *Reg.* 8. 11. *Vide sequentes versus.*

Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Matth.* 22. 21. *Item Marc.* 12. 17. *Luc.* 20. 25.

Reddite ergò omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal, etc. *Rom.* 13. 7.

*Quintò, æquo animo accipere eorum sententiam et justas pœnas.*

Tu autem domine, mi rex, sicut Angelus Dei es, fac (*cum accusato me*) quod placitum est tibi. 2. *Reg.* 19. 27.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* 13. 2.

Si autem malum feceris, time : non enim sine causâ (*princeps*) gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei, qui malum agit, etc. *Ibid. v.* 4.

*Sextò, timere eos, et leviora quædam errata iis condonare, ac tolerare eorum injurias, et sibi temperare ab eorum cæde, nec ipsis detrahere.*

In die illo magnificavit Dominus Josuë coram omni Israël, ut timerent eum, sicut timuerunt Moysen. *Josuë* 4. 14.

Dixitque (*David*) ad Saül : — Eccè hodiè viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu meâ in speluncâ : et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus : dixi enim : Non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus Domini est. 1. *Reg.* 24. 10. *Vide c.* 26. 23.

Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes. 1. *Par.* 14. 17.

In cogitatione tuâ regi ne detrahas, etc. *Eccles.* 10. 20.

*Septimò, petere à magistratu auxilium et defensionem.*

Itaque cùm ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem (*David*), cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit : Serva me, rex, etc. 2. *Reg.* 14. 4.

Cùmque rex Israël transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens : Salva me, domine mi rex. 4. *Reg.* 6. 26.

Reversa est mulier (*Sunamitis*) — et egressà est, ut interpellaret regem pro domo suâ, et pro agris suis. *Ibid.* 8. 3.

*Octavò, externis gestibus suam erga magistratum declarare reverentiam.*

Veneruntque ad eum (*Joseph*) fratres sui; et proni adorantes in terram, dixerunt : Servi tui sumus. *Genes.* 50. 18.

Itaque cùm ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem (*David*), cecidit coram eo super terram, et adoravit. 2 *Reg.* 14. 4.

*Nonò, imitari pietatem, et cæteras virtutes bonorum gubernatorum.*

Servivitque Israël Domino cunctis diebus Josuë, et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josuë, et qui noverunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israël. *Josuë* 24. 31.

Abstulit ergò Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israël : et fecit omnes, qui residui erant in Israël, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt à Domino Deo patrum suorum. 2. *Paral* 34. 33.

Secundùm judicem populi,

sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in eâ. *Eccli.* 10. 2.

*Decimò, orare pro magistratu, et felicissima quæque ei precari.*

Et clamavit omnis populus, et ait : Vivat rex. 1. *Reg.* 10. 24. *Item* 3. *Reg.* 1. 39.

Et ingressi servi regis, benedixerunt domino nostro regi David, dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum ejus super thronum tuum. 3. *Reg.* 1. 47.

Et plaudentes manu, dixerunt *omnes :* Vivat rex. 4. *Reg.* 11. 12. *Item* 2. *Paral.* 23. 11.

Et quærite pacem civitatis et orate pro eâ, etc. *Jerem.* 29. 7.

Et orate pro vitâ Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vitâ Baltassar filii ejus : ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram : et ut det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbrâ — regis — et sub umbra — filii ejus, et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum. *Baruch.* 1. 11. 12.

Dixeruntque (*Chaldæi*) Nabuchodonosor regi : Rex in æternum vive. *Dan.* 3. 9. *Item c.* 5. 10. *et c.* 6. 6. *et* 21.

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones — pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. 1. *Tim.* 2. 1.

*Superiorum, Judicum, et Rectorum officium, et auctoritas in subditos. Vide Princeps et Rex.*

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippè Dei factus est homo. *Genes.* 9. 6. *Vide Matth.* 26. 52. *Item Apoc.* 13. 10.

Surrexit intereà rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph : et ait ad populum suum : Eccè populus filiorum Israël multus, et fortior nobis est, etc. *Exod.* 1. 8. 9. *Vide totum caput* 5.

Alterâ autem die sedit Moyses ut judicaret populum, qui assistebat Moysi à manè usquè ad vesperam. *Ibid.* 18. 13. At ille (*Jethro cognatus ejus*) : bonam, inquit, rem facis. *v.* 17.

Eccè autem egressus filius mulieris Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israël, jurgatus est in castris cum viro Israëlitâ, etc. *Levit.* 24. 10. Locutusque est Moyses ad filios Israël, et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, et lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israël sicut præceperat Dominus Moysi. *v.* 23.

Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum. *Num.* 11. 16. Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa tabernaculum. *v.* 24.

Ait (*Dominus*) ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israël. *Ibid.* 25. 4.

Date ex vobis (*dixit Moyses ad filios Israël*) viros sapientes, et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. *Deut.* 1. 13. Nulla erit distantia personarum, ità parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. *v.* 17. *Vide c.* 16. 18.

Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem, in quo est macula, aut quidpiam vitii: quia abominatio est Domino Deo tuo. *Ibid.* 17. 1.

Stabunt ambo, quorum causa est, antè Dominum in conspectu sacerdotum et judicum, qui fuerint in diebus illis. *Ibid.* 19. 17.

Præcepitque Josuë principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, etc. *Josuë* 1. 10.

Dimisit ergò Josuë populum, et abierunt filii Israël unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israël. *Judic.* 2. 6. 7. Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus. *v.* 16. *Confer Josuë* 24. 31.

Et ait Samuël ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniàm non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait: Vivat rex. 1. *Reg.* 10. 24. *Vide* 3. *Reg.* 3. 7. *et* 2. *Paral.* 1. 8. 9.

Constituitque (*Josaphat*) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca. 2. *Par.* 19. 5. In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israël, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. *v.* 8. *Vide v.* 6. 7. 9. *et* 10.

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 30.

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes impe-

rant, et potentes decernunt justitiam. *Prov.* 8. 15. 16.

Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem ubi multa consilia. *Ibid.* 11. 14. Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet. *Ibid.* 12. 24.

Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. *Ibid.* 16. 10. *Vide v.* 12. 13. 14. *et* 15.

Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. *Ibid.* 20. 8. Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem. *v.* 26.

Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. *Ibid.* 29. 4. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. *v.* 12. Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in veritate firmabitur. *v.* 14.

Noli regibus, ô Lamuël, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas. *Ibid.* 31. 4.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. *Sap.* 1. 1.

*Reges et judices ad sapientiam, et justitiam sectandam exhortatur Sapiens, ostendens quàm grave maneat injustis rectoribus judicium, etc. Ibid. caput* 6. *per totum caput, quod Regibus, et Principibus summum debet terrorem incutere.*

Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundùm judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in eâ. Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. *Eccli.* 10. *v.* 1. *et seq.* Brevem langorem præcidit medicus : sic et rex hodiè est, et cras morietur. *v.* 12. *Vide totum caput. Item c.* 32. 1. 8.

Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant : et causa viduæ non ingreditur ad illos. *Isa.* 1. 23. Et restituam judices tuos, ut fuerunt priùs, et consiliarios tuos, sicut antiquitùs : post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. *v.* 26.

Væ qui condunt leges iniquas, etc. *Isa.* 10. 1. *Vide v.* 2.

Eccè in justitiâ regnabit rex, et principes in judicio præerunt. *Ibid.* 32. 1.

Inventi sunt in populo meo impii (*judices*) insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. *Jerem.* 5. 26. *Vide v.* 28. *Item Zach.* 7. 9. *et seq.*

Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes super solium David; tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini

per portas istas. *Ibid.* 22. 2. *Vide totum caput. Item c.* 19. 3. *et seq.*

Eccè principes Israël singuli in brachio suo fuerunt in te (*Jerusalem*) ad effundendum sanguinem, etc. *Ezech.* 22. 6. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem : usuram et super-abundantiam accepisti, et avarè proximos tuos calumniabaris : meîque oblita es, ait Dominus Deus. *v.* 12. *Vide v.* 27. *Item Mich.* 3. 11. *et Soph.* 3. 3.

Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiat vobis, principes Israël : iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium et justitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus. *Ib.* 45. 9.

Et ipse (*Deus*) mutat tempora et ætates : transfert regna, atque constituit : dat sapientiam sapientibus : et scientiam intelligentibus disciplinam. *Dan.* 2. 21.

Ubi est rex tuus ? maximè nunc salvet te (*Israël*) in omnibus urbibus tuis : et judices tui, de quibus dixisti : Da mihi regem, et principes. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione meâ. *Oseæ* 13. 10. 11.

Et dixi : Audite, principes Jacob, et duces domûs Israël, etc. *Mich.* 3. 1. *et seq.* Audite hoc, principes domûs Jacob, et judices domûs Israël, quia abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, etc. *v.* 9. *Vide totum caput.*

Dic ergò nobis (*dixerunt Pharisæi ad Jesum*), quid tibi videtur, licet sensum dare Cæsari; an non ? etc. *Matth.* 22. 17. Tunc ait illis : Reddite ergò quæ sunt Cæsaris; Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. *v.* 21. *Idem habetur Marc.* 12. 14. 17. *et Luc.* 20. 22. 25.

Non haberes potestatem adversùs me ullam (*ait Jesus Pilato*), nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. *Joan.* 19. 11.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. *Rom.* 13. 1. *Vide versus sequentes usquè ad versum* 8.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, etc. *Tit.* 3. 1. *Vide* 1. *Tim.* 2. 1.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, etc. *Hebr.* 13. 17.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive Regi, quasi præcellenti : sive ducibus, tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. 1. *Petr.* 2. 13. 14. *Vide v.* 17.

*Superiores boni.* Vide *Principes boni.*

*Superiores mali.* Vide *Principes mali.*

SUPERBIA.

*Superbia prohibetur, committitur, et punitur.*

Adæ verò dixit (*Deus*) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. *Genes.* 3. 17. *Heva autem superba facta est propter verba serpentis :* Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum. *v.* 5.

*Superbia volentium ædificare turrim usquè ad cælum, punita fuit per confusionem linguarum. Gen.* 11. 7.

*Agar, ancilla Saraï,* concepisse se videns, despexit dominam suam. *Ibid.* 16. 4.

*Dominus pluit super Sodomam sulphur et ignem. Ibid.* 19. 24. *quia* hæc fuit iniquitas Sodomæ (*ait Ezech.* 16. 49.) — superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, etc.

Responderunt fratres ejus (*Joseph*) : Nunquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ ? Hæc ergò causa somniorum, atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. *Ib.* 37. 8. *Vide v.* 10.

At ille (*Pharao*) respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israël ? Nescio Dominum, et Israël non dimittam. *Exod.* 5. 2.

Ait Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus, et equites eorum. *Ibid.* 14. 26.

Et conteram superbiam duritiæ vestræ : daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam, etc. *Levit.* 26. 19.

*Dixerunt Aaron et Maria :* Num per solum Moysen locutus est Dominus ? nonne et nobis similiter est locutus (*Dominus*) *? Hinc iratus Dominus percussit Mariam leprâ, etc. Num.* 12. 1. 2. *et* 10.

*Rebellio Core et aliorum facta contra Moysen, ex superbiâ processit : nam dixit illis Moyses :* Multùm erigimini, filii Levi. *Ibid.* 16. 7. *Hinc eos terra vivos absorbet, ignis interfecit* 250. *viros et alios* 14700. *consumpsit incendium. v.* 31. 32. 35. *et* 49. *Vide Psal.* 105. 17. 18.

Locutus sum (*inquit Moyses filiis Israël*), et non audistis : sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbiâ, ascendistis in montem. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi : et

cecidit de Seir usquè Horma. Cùmque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. *Deut.* 1. 43. *et seq.*

*Cave ne* elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui. *Ibid.* 8. 14.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israël : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ. *Ibid. cap.* 17. 12. 13. Nec elevetur cor ejus (*regis*) in superbiam super fratres suos, etc. *v.* 20.

*Percussus Abimelech à muliere*, vocavit citò armigerum suum, et ait ad eum : Evagina gladium tuum, et percute me; ne fortè dicatur, quod à fœminâ interfectus sim. *Judic.* 9. 54. *Vide etiam superbiam Gaal, v.* 28. *Vide et* 1. *Reg.* 31. 4. *de Saül. Item* 1. *Paral.* 10. 4.

*Saül petiit à Samuële, ut eum coram senioribus populi honoraret.* 1. *Reg.* 15. 30.

*Philisthæis contra Israëlem ad pugnam congregatis, Goliath gigantem in armis et fortitudine confidentem, inermis David occidit, præcisumque caput, diffusis Philisthæis, ad Saülem tulit. Ibid. c.* 17. *per totum.*

Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David ? et quis est filius Isaï ? hodiè increverunt servi, qui fugiunt dominos suos, etc. *Ibid.* 25. 10. *Sed ob hanc superbiam David mortem ei intulisset, nisi Abigaïl sedasset iram ejus. v.* 25. *et seq.*

*Absalom conciliato sibi populi favore, adversùs patrem conjurat.* 2. *Reg.* 15. 10. *Sed tandem miserè de quercu pendens periit. c.* 18. 14. 15. *Vide et* 3. *Reg.* 1. 5. *de Adoniâ fratre Absalom.*

Et populum pauperem salvum facies (*mi Deus*), oculisque tuis excelsos humiliabis. *Ibid.* 22. 28.

*Graviter fuit punitum peccatum elationis David, quandò jussit numerari populum sibi subjectum : nam per pestilentiam 70,000 virorum pericrunt. Ibid.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

*Libido, quam habuit Jeroboam dominandi, timens ne populus reverteretur ad domum David, fecit ut excogitaret duos vitulos aureos, quos fecit à populo adorari : et maluit eos recedere à Deo suo, quàm à domino suo.* 3. *Reg.* 22. 28. *Vide et v.* 14. *superbiam Roboam filii Salomonis, ob quam regnum divisum est.*

An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit

eam? sic est Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se. 4. *Reg.* 18. 21. *Vide Eccli.* 48. 20. *Item Isa.* 36. 6.

*Inquit Dominus ad Ezechiam, loquens de Sennacherib :* Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas : ponam : itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. *Ibid.* 19. 28. *Vide v.* 22. *et seq. Item Isa.* 37. 23. *usque ad v.* 30.

*Amasias respondit Prophetæ :* Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te 2. *Paral.* 25. 16. *Sed vide postea, quàm insigniter superbus hic rex sit punitus. v.* 23. 24.

*Ozias superbè sacerdotis officium usurpans, ad diem usquè mortis à Domino leprâ percussus est. Ibid.* 26. 16. *et seq.*

Ægrotavit Ezechias usquè ad mortem, et oravit Dominum : exaudivitque eum, et dedit ei signum. Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus — Humiliatusque est postea, eò quòd exaltatum fuisset cor ejus, tàm ipse, quàm habitatores Jerusalem ; et idcircò non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 24. *et seq. Vide etiam superbiam Ezechiæ in ostendendo nuntiis regis Babylonis omnes divitias, et thesauros suos, propter quod à Deo punitus fuit.* 4. *Reg.* 28. 13. *et seq. Item Isa. c.* 39. *per totum.*

*Israëlitæ post tot accepta beneficia* superbè egerunt, et non audierunt mandata *Dei*, etc. 2. *Esdr.* 9. 29. *Vide versum* 16.

*Post victoriam obtentam de Arphaxad rege Medorum*, exaltatum est regnum Nabuchodonosor (*regis Assyriorum*), et cor ejus elevatum est. *Judith* 1. 7.

Præceperat enim illi (*Holoferni*) Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicèt, ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentiâ subjugari. *Ibid.* 3. 13. *Sed Holofernis et simul Nabuchodonosor superbia punita fuit. c.* 13. 10. *et seq.*

Fac, Domine (*ait Judith*), ut gladio proprio ejus superbia amputetur (*scil. Holofernis*). *Ibid.* 9. 12. Erit enim hoc memoriale nominis tui, cùm manus feminæ dejecerit eum. Non enim — superbi ab initio placuerunt tibi. *v.* 15. 16.

Eccè caput Holofernis (*ait Judith ad Achior*), qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israël contempsit, et tibi interitum minabatur, etc. *Ibid.* 13. 28.

*Videns superbus Aman, quod Mardochæus ipsum adorare nollet, suasit regi, ut totus Judæorum populus deleretur. Esther* 3. 5. 9.

*Superbia Aman eò pervenit, ut ipse iratus et indignatus cùm omnia bona haberet, nihil se habere putaret. Ibid.* 5. 13. *Vide et c.* 16. 12.

Suspensus est itaque (*superbus*) Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo. *Ibid.* 7. 10.

Si ascenderit usquè ad cœlum superbia ejus (*hypocritæ*), et caput ejus nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdetur : et qui eum viderant, dicent : Ubi est? etc. *Job* 20. 6. 7. *Vide versus sequentes usq. ad fin.*

Dedit ei (*impio*) Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam : oculi autem ejus sunt in viis illius. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. *Ibid.* 24. 23. 24.

Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. *Ibid.* 40. 6. *Vide c.* 41. 25.

Quoniàm tu (*Deus*) populum humilem salvum facies : et oculos superborum humiliabis. *Ps.* 17. 28.

Et retribuet (*Dominus*) abundanter facientibus superbiam. *Psal.* 30. 24. *Vide v.* 19. *et Psal.* 35. 12. *et* 58. 13. *et* 73. 3. 23. *et* 100. 5. 7.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et eccè non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. *Psal.* 36. 35. 36. *Vide Psal.* 72. 6. *Psal.* 88. 11. *Psal.* 118. *v.* 21. 51. 69. 78. 122.

Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, etc. *abominatur Deus. Prov.* 6. 17.

Timor Domini odit malum : arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Ibid.* 8. 13.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. *Ibid.* 11. 2.

Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ. *Ibid.* 13. 10.

In ore stulti virga superbiæ, etc. *Ibid.* 14. 3.

Domum superborum demolietur Dominus : et firmos faciet terminos viduæ. *Ibid.* 15. 25.

Abominatio Domini est omnis arrogans : etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. *Ibid.* 16. 5. Contritionem præcedit superbia : et antè ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum mitibus : quam dividere spolia cum superbis. *v.* 18. *et* 19.

Antequàm conteratur, exaltatur cor hominis : et antequàm glorificetur, humiliatur. *Ibid* 18. 12.

Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende hùc, quàm ut humilieris coram principe. *Ibid.* 25. 6. 7.

Superbum sequitur humilitas : et humilem spiritu suscipiet gloria. *Ibid.* 29. 23.

Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra, et cinis? *Eccli.* 10. 9. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo — Quoniàm initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. *v.* 14. *et* 15. *Vide v.* 17. 18. 21. *et* 22.

Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt ; qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. *Ibid.* 11. 16. *Vide v.* 4. *et* 32. *Item c.* 16. 8. 9. 10.

Tres species odivit anima mea (*ait Dominus*) — Pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum. *Ibid.* 25. 3. 4.

Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum. *Isa.* 2. 11. *Vide v.* 17.

*Signa superbiæ detestatur Dominus per Prophetam, dicens ;* Pro eo quòd elevatæ sunt (*per superbiam*) filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, etc. *Ibid.* 3. 16. *Vide versus sequentes.*

Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. *Ibid.* 5. 15. *Vide c.* 10. 12, *et seq. et c.* 13. 11. 19.

Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israël. Et sciet omnis populus Ephraïm, et habitantes Samariam, in superbiâ, et magnitudine cordis dicentes : Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus, etc. *Ibid.* 9. 8. *et sequentes.*

Quomodò cecidisti de cœlo, lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. *Ibid.* 14. 12. *et seq. Vide v.* 11. *imò totum caput.*

Audivimus superbiam Moab : superbus est valdè : superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plus quàm fortitudo ejus. Idcircò ululabit Moab ad Moab, universus ululabit. *Ibid.* 16. 6. *et seq. Vide c.* 28. 1. 3. *Item Ezech.* 7. *v.* 10. 20. *et* 24.

Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum : ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates

ejus. *Ib.* 27. 10. *Vide c.* 29. 4. 20.

*Ait Rabsaces nuntiis suis* : Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ, loquentes : Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens : Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum. *Ibid.* 37. 10. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino (*o Sennacherib*), et dixisti : in multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani : et succidam excelsa cedrorum ejus, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus, etc. *v.* 24. *Vide v. seq. usq. ad fin.*

Lætatus est autem super eis (*nuntiis regis Babylonis*). Ezechias, et ostendit eis cellam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. *Sed male fecit, et pœnam subiit. Ibid.* 39. 2. *Vide tot. caput. Item* 4. *Reg.* 20. 13. *et seq.*

Et nunc audi hæc, delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et non est præter me ampliùs : non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem, etc. *Ibid.* 47. 8. *Vide c.* 51. 9.

Hæc dicit Dominus : Sic putrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem multam. *Jerem.* 13. 9.

Audivimus superbiam Moab : superbus est valdè : sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis ejus, etc. *Ibid.* 48. 29. *Vide v.* 26. *et* 30.

Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui : qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis : cùm exaltaveris quasi aquila nidum tuum, indè detraham te, dicit Dominus. *Ibid.* 49. 16.

Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum. *Ibid.* 50. 32. *Vide v.* 31.

Eccè hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus ; et manum egeno et pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49. *Vide v.* 56.

Fili hominis, dic principi Tyri : Hæc dicit Dominus Deus : Eò quòd elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedrâ Dei sedi in corde maris : cùm sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei, etc. *Ibid.* 28. 2. *Vide versus sequentes usq. ad v.* 11. *Item c.* 31 11. *et seq. per totum.*

Tu es rex (*ait Daniël regi Nabuchodonosor*), qui magnificatus es, et invaluisti : et magnitudo tua crevit, et pervenit usquè ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ, etc. *Dan.* 4. 19. Responditque

rex, et ait : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloriâ decoris mei ? *v.* 27.

Quandò autem elevatum est cor ejus (*Nabuchodonosor*), et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est, etc. *Ibid.* 5. 20. *Vide v.* 21.

*Baltassar quoque filius Nabuchodonosor non humiliavit cor suum*, sed adversùm Dominatorem cœli elevatus est, *et ideò interfectus, et Darius ei successit in regnum. Ibid. v.* 22. *et seq.*

Superbia cordis tui (*Edom*) extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum : qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram ? etc. *Abdiæ v.* 3. *Vide Amos* 8. 7.

Ascendit (*Antiochus*) Jerosolymam in multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbiâ, et accepit altare aureum, etc. 1. *Mach.* 1. 22. Et locutus est in superbiâ magnâ. *v.* 25. *Vide et v.* 4. *de Alexandro.*

*Cùm vidisset Nicanor holocausta, quæ offerebantur à Judæis pro rege*, irridens sprevit eos, et polluit ; et locutus est superbè. *Ibid.* 7. 34. *Vide v.* 47. *Item c.* 2. 47. 49.

*Antiochus æstimabat* se præ superbiâ terram ad navigandum, pelagus verò aditer agendum deducturum, propter mentis elationem. 2. *Mach.* 5. 21.

Elatus autem (*Antiochus*) in irâ, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere : ideòque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cœlesti eum judicio perurgente, eò quòd ità superbè locutus est, se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulcri Judæorum eam facturum. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili — plagâ : ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta : et quidem satis justè, quippè qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licèt ille nullo modo à suâ malitiâ cessaret. *Ibid.* 9. 4. *et seq. Vide v.* 7. *et* 11.

*Nicanor Judæis dicentibus :* Est Dominus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit agi septimam diem — Et ego (*respondit*) potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. *Ibid.* 15. 4. 5. Et Nicanor quidem summâ superbiâ erectus cogitaverat commune trophæum statuere de Judâ, *v.* 6. *Sed miserè demùm periit. v.* 30. *et seq.*

Et tu, Capharnaum, nunquid usquè in cœlum exaltaberis ? usquè in infernum descendes. *Matth.* 11. 23.

Dispersit superbos mente cordis sui : deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* 1. 51. 52.

Et tu, Capharnaum, usquè ad cœlum exaltata, usquè ad infernum demergeris. *Ibid.* 10. 15.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. *Ibid.* 14. 11. *Item c.* 18. 14. *et Matth.* 23. 12.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum; raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. *Ibid.* 18. 11.

Facta est autem et contentio inter eos ( *Apostolos* ), quis eorum videretur esse major. *Ibid.* 22. 24.

Statuto autem die, Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos ( *Tyrios et Sidonios* ). Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo : et consumptus à vermibus, expiravit. *Actor.* 12. 21. *et seq.*

Detractores : Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, etc. *tradidit Deus in reprobum sensum. Rom.* 1. 30.

Noli altum sapere, sed time. *Ibid.* 11. 20. *Vide c.* 12. 16.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, etc. *Gal.* 5. 26. *Vide Philipp.* 2. 3.

*Episcopus non sit* in superbiam elatus. 1. *Tim.* 3. 6. *Vide c.* 6. 4. *Tit.* 1. 7.

Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, etc. 2. *Tim.* 3. 2.

Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. *Petr.* 5. 5. *Vide Jacob.* 4. 6.

Superba enim vanitatis loquentes ( *impii* ) pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos; qui paululùm effugiunt, etc. 2. *Petr.* 2. 18.

Ili sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstûs causâ. *Judæ v.* 16.

Quantùm glorificavit se ( *Babylon* ), et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum et luctum; quia in corde suo dicit : Sedeo regina : et vidua non sum : et luctum non videbo. *Apoc.* 18. 7. *Vide totum caput.*

*Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu.*

Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo : et veniens is,

qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco : ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* 14. 8. *et seq. Vide Matth.* 23. 12.

*Humilitas vera Deum attendit.*

Humiliare Deo : et expecta manus ejus. *Eccli.* 13. 9.

Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* 17. 10.

*Se ipsam vilipendit.*

Ego autem sum vermis et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. *Psal.* 21. 7.

Humilia valdè spiritum tuum : quoniàm vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Eccli.* 7. 19.

Attende, ne seductus in stultitiam humilieris. Noli esse humilis in sapientiâ tuâ, ne humiliatus in stultitiam seducaris. *Ibid.* 13. 10. 11.

Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* 18. 13. *Vide Matth.* 23. 12.

Tanquàm purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usquè adhuc. 1. *Cor.* 4. 13. *Vide v.* 7.

*Proximum magnipendit.*

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Rom.* 12. 16.

Subjecti invicem, in timore Christi. *Ephes.* 5. 21.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, etc. 1. *Petr.* 5. 5.

*Humilitas ficta malum intendit.*

Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo : et est qui se nimium submittit à multâ humilitate : et est qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est : et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. *Eccli.* 19. 23. *et sequentes.*

*Humilitas Deo grata est.*

Dixitque ei (*Agar*) Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. *Gen.* 16. 9.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. *Psal.* 33. 19.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est

humilitas, ibi et sapientia. *Prov.* 11. 2.

SUSPICIO.

*Suspicio et judicium temerarium.*

Respondit Abraham : Cogitavi mecum dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto : et interficient me propter uxorem meam. *Gen.* 20. 11. *Simile accidit Isaac. Cap.* 26. 7. *et seq.*

*Suspicatus est Laban, quòd Jacob furatus sit Deos ejus, et ob hanc causam perscrutatus est totam supellectilem. Ibid.* 31. 30. 32. 34. *et* 37.

*Videns Jacob vestimenta Joseph sanguine cruentata, putavit eum esse mortuum, et à ferâ pessimâ devoratum. Ib.* 37. 33.

*Cùm uxor Puthipharis pallium castissimi Joseph marito suo monstrasset, iste*, nimiùm credulus verbis conjugis iratus est valdè. *Ibid.* 39. 19.

*Fratres Joseph, malam habuerunt suspicionem erga Joseph, conscientiâ urgente : nam præcipiente Josepho dispensatori ut introduceret eos ad comedendum secum, illi exterriti, crediderunt quòd vellet eos subjicere servituti. Ibid.* 43. 18.

*Rubenitæ et Gaditæ redeuntes ad possessiones suas, ædificaverunt altare juxta Jordanem. Quo audito, filii Israël turbati sunt, nescientes, quarè hoc fecissent illi ; et putaverunt quòd vellent se ab eorum lege penitùs separare. Josue* 22. 10. *et seq. per totum caput.*

*Cùm ivisset Samson ad visendam uxorem suam, et* cubiculum ejus — vellet intrare, prohibuit eum, pater illius, dicens : Putavi, quòd odisses eam, et ideò tradidi illam amico tuo, etc. *Judic.* 15. 1. 2.

*Heli videns Annam labia movere, et nullum verbum proferre, æstimavit eam temulentam. 1. Reg.* 1. 13. *et seq.*

*Misit David nuntios ad regem Ammon, ut consolarentur eum super patris interitu : Principes autem regni putaverunt, eos venisse ad explorandam civitatem, non ad consolandum regem. 2. Reg.* 10. 2. 3.

*Cùm rex Assuerus reperisset* Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, *ut rogaret eam pro animâ suâ, putans rex, quod ipse vellet vim inferre, excandescens ait :* Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo meâ. *Esth.* 7. 7. 8.

*Jeremiam euntem ad terram Benjamin, comprehendit custos portæ, putans eum profugere ad Chaldæos. Jer.* 37. 12.

*Sic nuntiante hoc Prophetâ voluntatem Domini populo, dixerunt ei quidam :* Mendacium tu loqueris : non misit te Dominus — sed Baruch filius Neriæ incitat te adversùm nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum. *Ibid.* 43. 2. 3.

*Tortores, qui Eleazárum ducebant ad supplicium*, in iram conversi sunt, propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. 2. *Mach.* 6. 29.

At illi (*discipuli*) ut viderunt eum (*Jesum*) ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. *Marc.* 6. 49. *Vide Matth.* 14. 26.

*Simon Pharisæus, videns mulierem peccatricem ad pedes Domini flentem*, ait intra se, dicens : Hic si esset Propheta, sciret utique quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum : quia peccatrix est. *Luc.* 7. 39.

*Videntes Judæi Apostolos Domini, post effusionem Spiritûs Sancti loquentes variis linguis, dicebant quidam eorum* : Quia mustò pleni sunt isti. *Actor.* 2. 13.

*Omnes discipuli Christi timebant Saulum post conversionem suam*, non credentes quòd esset discipulus : *donec Barnabas rem Apostolis manifestavit. Ibid.* 9. 26.

*Tribunus cohortis temerè Paulum allocutus, ait ipsi* : Nonnè tu es Ægyptius, qui antè hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? *Ibid.* 21. 38.

*Cum vidissent* Barbari pendentem bestiam de manu ejus (*Pauli*), ad invicem dicebant : Utique homicida est homo hic, qui cùm evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere — At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subitò casurum et moriturum. *Ibid.* 28. 4. 6.

*Suspiciones malæ ex pugnis verborum, et quæstionibus proficiscuntur.* 1. *Tim.* 6. 4.

SUSURRO.

*Susurrones damnantur.*

Non eris criminator, nec susurro in populo. *cap. Levit.* 19. 16.

Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis ; et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. *Prov.* 26. 20. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. *v.* 22.

Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut *fiant* susurrones, etc. *Rom.* 1. 28. 29.

*Cavete, ne forte* susurrationes — sint inter vos. 2. *Cor.* 12. 20.

TEMPERANTIA. *Vide* ABSTINENTIA, *et* SOBRIETAS.

*Temperantia in cibo, et potu, et concubitu commendatur.*

Hi namque (*dixit Angelus Raphaël Tobiæ juniori*), qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, et à suâ mente excludant, et suæ libidini ità vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet potestatem dœmonium super eos. Tu autem — *inter-*

*dum* continens esto — *et* orationibus vacabis. *Tob.* 6. 17. 18.

Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccli.* 37. 34. *Vide v.* 32. *et* 33. *Item c.* 31. *v.* 24. 31. *et seq.*

Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensâ regis, neque de vino potûs ejus : et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur. *Dan.* 1. 8. *Vide v.* 12.

Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21. 34.

Abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus : non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione : sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13. 12. *et seq.*

Non est enim regnum Dei, esca, et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. *Ibid.* 14. 17. *Vide v.* 20. *et* 21.

Fructus autem Spiritûs est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversùs hujusmodi non est lex, etc. *Gal.* 5. 22. 23.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto. *Ephes.* 5. 18.

Ministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam, in scientiâ autem abstinentiam, in abstinentiâ autem patientiam, etc. 2. *Petr.* 1. 5. 6.

Vigilemus, et sobrii simus. 1. *Thess. c.* 5. *v.* 6. Nos autem, qui diei sumus, sobrii sumus. *v.* 8.

Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem : non vinolentum, non percussorem, sed modestum : non litigiosum, non cupidum, etc. 1. *Tim.* 3. 2. *Vide v.* 8. *et* 11. *Item Tit.* 1. 7. 8.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. 2. *Tim.* 1. 7. *Vide c.* 4. 5.

Senes — sobrii sint. *Tit.* 2. 2. Anus similiter — non multo vino servientes, — prudentes, castas, sobrias — Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. *v.* 3. *et seq.* Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobriè et justè et piè vivamus in hoc sæculo. *v.* 12.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in

revelationem Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 13.

Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret, etc. *Ibid.* 5. 8.

*Anna vidua* non discedebat de templo, jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37. *Vide Judith* 8. 6.

Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo, etc. 1. *Cor.* 8. 13.

TEMPLUM.

*Templum spirituale, et domus Dei.* Vide et *Ecclesia.*

Ipse (*Salomon*) ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usquè in sempiternum. 2. *Reg.* 7. 13. *Vide* 3. *Reg.* 5. 5. *Item* 1. *Paral.* 22. *versus* 6. 7. 8. 10. *et* 11.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem : immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. *Prov.* 9. 1. 2.

Et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloriâ : dicit Dominus exercituum. *Aggæi* 2. 8. *Vide v.* 10.

Omnis ergò, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. *Matth.* 7. 24. *Vide Luc.* 6. 47. 48.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. *Ibid.* 16. 18. *Vide Matth.* 26. 61. *et c.* 27. 40. *Item Marc.* 14. 58. *etc.* 15. 29. *Joan.* 2. 19. *et seq.*

Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3. 16. 17. *Item c.* 6. 19.

Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniàm inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ipsi erunt mihi populus. 2. *Cor.* 6. 16. *Vide Ephes.* 2. 20. *et seq. Item Rom.* 3. 17. *et c.* 6. 19.

Christus verò tanquàm filius in domo suâ : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usquè ad finem, firmam retineamus, *Hebr.* 3. 6.

Et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, etc. 1 *Petr.* 2. 5.

*Templum Idolorum.*

Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. (*Dagon autem coram Arca semel atque iterum corruit, abscissis in limine capite et manibus.*) 1. *Reg.* 5. 2. *et seq.*

Tunc ædificavit Salomon fa-

num, Chamos idolo Moab in monte, qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. 3. *Reg.* 11. 7. *Vide* 1. *Reg.* 31. 9.

Sanctificate (*ait Jehu insidiosè, ut disperderet cultores Baal*) diem solemnem Baal. Vocavitque, et misit in universos terminos Israël, et venerunt cuncti servi Baal : non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal : et repleta est domus Baal à summo usquè ad summum. 4. *Reg.* 10. 20. 21. *Vide versus sequentes. Item* 3. *Reg.* 16. 32.

Cùmque adoraret (*Sennacherib*) in templo Nesroch deum suum, Adramelech, et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo. *Ib.* 19. 37. *Vide c.* 17. 32. *It.* 2. *Paral.* 32. 21. *et Isa.* 37. 38.

Et succendet (*Nabuchodonosor*) ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos : et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo : et egredietur indè in pace. *Jerem.* 43. 12. *Vide v.* 13.

Etenim cùm inciderit in domum deorum ligneorum, argenteorum, et aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, et liberabuntur : ipsi verò sicut trabes in medio comburentur. *Baruch* 6. 54.

*Fraudes sacerdotum idoli Bel, qui appositos illi cibos occultè auferebant, regi per Danielem detectæ sunt; ipsisque interemptis, idolum unà cum templo suo subversum est. Similiter et draconem, quem colebant Babylonii, injectâ in os massâ ex pice, adipe et pilis confectâ, Daniel interfecit. Quàpropter, instantibus Babyloniis, missus est in lacum leonum, etc. Dan. c.* 14. *per totum. Vide* 1. *Mach.* 1. 50. *et c.* 6. 2.

Et qui dispersi sunt per campum, fugierunt in Azotum, et intraverunt in Bethdagon, idolum suum, ut ibi se liberarent. Et succendit Jonathas Azotum, et civitates quæ erant in circuitu ejus, et accepit spolia eorum, et templum Dagon : et omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni. 1. *Mach.* 10. 83. 84.

Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ templum (*Ephesi*) in nihilum reputabitur : sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, et orbis colit. (*Hæc persuadebat populo Demetrius argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ*) *Actor.* 19. 27.

*Templum, domus Dei, et domus orationis vocatur.*

Ut aperias oculos tuos (*mi Deus, ait Salomon*) super

domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo : et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israël. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cœlis, et propitiare. 2. *Paral.* 6. 20. *Vide tot. caput. Item* 3. *Reg. c.* 8. *per totum.*

Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo : quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. *Isa.* 56. 7.

Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matth.* 21. 13. *Vide Jerem.* 7. 11. *Item Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46. *Joan.* 2. 16.

*Christus ipse et omnes fideles frequenter in templo versantur.*

*Commendatur Tobias, quia* pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israël, etc. *Tob.* 1. 6.

Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. *Matth.* 24. 1. *Vide Marc.* 13. 1.

Et introivit (*Jesus*) Jerosolymam in templum : et circumspectis omnibus, cùm jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. *Marc.* 11. 11. *Vide v.* 15.

Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodò dicunt scribæ, Christum Filium esse David? *Ibid.* 12. 35. *Vide c.* 11. 27. *Item Luc.* 2. 46.

Et hæc vidua (*Anna*) usquè ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens (*Deo*) nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Et ingressus (*Jesus*) in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidiè in templo. *Ibid.* 19. 45. *et seq. Vide c.* 20. 1. *Item Matth.* 21. 12. 13. *Marc.* 11. 15. 17. *Joan.* 2. 14. *et seq. et c.* 7. 28.

Quotidiè quoque (*erant Apostoli*) perdurantes unanimiter in templo ; et frangentes circà domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis. *Actor.* 2. 46. *Vide Luc.* 24. 53.

Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. *Ib.* 3. 1.

*Angelus Domini dixit Apostolis :* Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cùm audîssent, intraverunt diluculò in templum, et docebant. Adveniens autem

princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israël : et miserunt ad carcerem, ut adducerentur. *Ib.* 5. 20. 21. *Vide v.* 25.

Tunc Paulus, assumptis viris, posterâ die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. *Ibid.* 21. 26.

Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem (*ait Paulus*), et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, etc. *Ib.* 22. 17.

*In templo oratur Deus, et exaudit.*

Respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus (*ait Salomon*) : audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodiè : ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die : super domum, de quâ dixisti : Erit nomen meum ibi : ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus, etc. 3. *Reg.* 8. 28. *per tot. caput. Idem habetur* 2. *Paral.* 6..19. *per totum pariter caput.*

Dixitque Dominus ad eum (*Salomonem*) : Exaudivi orationem tuam — quam deprecatus es coram me : sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum : et erunt oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. *Ib.* 9. 3. *Vide* 2. *Paral.* 7. 12. *et seq.*

Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matth.* 21. 13. *Vide Jerem.* 7. 11. *Item Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46. *Joan.* 2. 16.

*Templa manufacta non inhabitat Deus, quasi iis concludi possit, vel illis indigeat, ut homo ædibus.*

Ergòne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi (*ait Salomon*)? 3. *Reg.* 8. 27. *Idem verbatim habetur* 2. *Par.* 6. 18. *et caput* 2. 6.

Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum : quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? *Isa.* 66. 1.

Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum, et terram ego impleo, dicit Dominus? *Jer.* 23. 24.

Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit : Cœlum mihi sedes est : terra autem scabellum pedum meorum, etc. *Act.* 7. 48. 49. *Vide tot. versum. Item c.* 17. 24.

*Deus in templis materialibus habitare dicitur.*

Et habitabo (*ait Dominus*) in medio filiorum Israël, et non derelinquam populum meum Israël. 3. *Reg.* 6. 13.

Tunc ait Salomon : Dominus dixit, ut habitaret in nebulâ. *Ibid.* 8. 12. *Vide v.* 11. *Item* 2. *Par.* 6. 1, *et c.* 5. 14. *et c.* 7. 2.

Dixit enim David : Requiem dedit Dominus Deus Israël populo suo, et habitationem Jerusalem usquè in æternum. 1. *Par.* 23. 25.

Et repulit (*Dominus*) tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. *Psal.* 77. 60.

Quoniàm elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. *Psal.* 131. 13. *Vide totum Psal.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Jer.* 7. 3. *Vide et v.* 7.

Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso. *Matth.* 23. 21. *Vide Actor.* 7. 46.

*Templum locus dicitur sanctus.*

*Ait Jacob :* Verè Dominus est in loco isto : et ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis est inquit, locus iste! non est hìc aliud nisi domus Dei, et porta cœli. *Gen.* 28. 16. 17.

At ille (*Dominus Moysi ait*) : Ne appropies, inquit, hùc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod.* 3. 5. *Vide Actor.* 7. 33.

*Templum magnis muneribus dotatur.*

*Oblatis plurimis donariis, gloria Domini implevit templum, etc.* 2. *Par. c.* 3. 4. 5.

Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, fiebat ut et ipsi reges, et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, etc. 2. *Mach.* 3. 1. 2.

*Templi profanatores à Deo puniuntur.*

*Heliodorus volens spoliare templum, à Deo miraculosè percutitur : sed Oniæ precibus ac sacrificio liberatur, etc.* 2. *Mach.* 3. 23. *et seq. imò per totum caput.*

Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo : et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, etc. *Matth.* 21. 12. *Item Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45.

Et cùm fecisset (*Jesus*) quasi flagellum de funiculis, omnes

ejecit de templo; oves quoque et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit, etc. *Joan.* 2. 15. *Vide v.* 16.

TEMPUS.

*Tempus fructuosè expendendum.*

Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Eccles.* 3. 1. *Vide versus sequentes.*

Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Ibid.* 8. 6.

Fili, conserva tempus, et devita à malo. *Eccli.* 4. 23.

Ante mortem benefac amico tuo, et secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis à die bono, et particula boni doni non te prætereat. *Ibid.* 14. 13. 14.

Nemini mandavit (*Dominus*) impiè agere, et nemini dedit spatium peccandi. *Ibid.* 15. 21.

Videte itaque, fratres, quomodò cautè ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniàm dies mali sunt. *Ephes.* 5. 15. 16. *Vide Coloss.* 4. 5.

*Superstitiosè non observandum.*

Facto vespere dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum; et manè : Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergò cœli dijudicare nostis : signa autem temporum non potestis scire. *Matth.* 16. 2. *et seq. Luc.* 12. 54. *et sequentes.*

Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate. *Act.* 1. 7.

*Temporis opportunitas in omnibus rebus observanda.*

Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Eccles.* 3. 1. *Vide versus sequentes.*

Qui custodit præceptum, non experietur quidquid mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Ibid.* 8. 5. 6.

Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. *Eccli.* 20. 6.

Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et justitias quasi lumen accendent. *Ibid.* 32. 20.

Sollicitudine non pigri : spiritu ferventes : Domino servientes. *Rom.* 12. 11.

TENEBRÆ.

*Tenebræ trium dierum in Ægypto.*

Dixit autem Dominus ad Moysen. Extende manum tuam in cœlum : et sint tenebræ super terram Ægypti, tàm densæ ut

palpari queant. *Exod.* 10. 21. *Vide v.* 22.

Misit (*Deus*) tenebras, et obscuravit : et non exacerbavit sermones suos. *Psal.* 104. 28. *Vide Sap.* 17. 3. *et seq. per totum caput. Item c.* 19. 16.

*In tenebris versatur mundus, et amat eas.*

Positum est ergò sæculum in tenebris, et qui inhabitant in eo sine lumine. 4. *Esdr.* 14. 20. *Vide Job.* 5. 14.

Propter hoc elongatum est judicium à nobis, et non apprehendet nos justitia : expectavimus lucem, et eccè tenebræ; splendorem, et in tenebris ambulavimus. *Isa.* 59. 9. *Vide Caput.* 9. *v.* 1. *Item Matth. c.* 4. 16.

Surge, illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia eccè tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. *Ibid.* 60. 1. 2.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbrâ mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc.* 1. 79. *Vide c.* 11. 35. 36. *Item Matth.* 6. 23.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. *Joan.* 1. 4. 5.

Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem : erant enim eorum mala opera. *Ibid.* 3. 19.

Iterùm ergò locutus est eis (*Pharisæis*) Jesus, dicens : Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Ibid.* 8. 12.

Dixit ergò eis (*turbis*) Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. *Ibid.* 12. 35. *Vide v.* 46. *Item Act.* 26. 18.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt : et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. 1. *Thess.* 5. 7. *Vide v.* 4. *et* 5. *Item Rom.* 13. 12.

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quò eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 1. *Joan.* 2. 11. *Vide Luc.* 22. 53.

TENTATIO.

*Tentare Deum non licet.*

Et dixerunt (*filii Israël*) ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideò tulisti nos ut moreremur in solitudine ? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto ? *Exod.* 14. 11.

Qui (*populus Israël*) jurga-

tus contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ibid.* 17. 2. *Vide Num. cap.* 20. *v.* 3. *et cap.* 21. 5.

Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentâsti in loco tentationis. *Deut.* 6. 16. *Vide Matth.* 22. 18. *Marc.* 12. 15. *Luc.* 20. 23. *Item Act.* 5. 9. *et c.* 15. 10.

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? *Judith* 8. 11.

Rursùm scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. *Matth.* 4. 7. *Item Luc.* 4. 12.

Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum (*Num.* 21. 5.) tentaverunt, et à serpentibus perierunt. 1. *Cor.* 10. 9.

*Tentat, seu veriùs probat Deus suos variis modis.*

*Fides et obedientia Abrahæ in filii sui præceptâ immolatione probatur. Gen. c.* 22. *Vide totum caput.*

At ille (*Moyses*) clamavit ad dominum, qui ostendit ei lignum : quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt; ibi constituit ei præcepta, atque judicia, et ibi tentavit eum. *Exod.* 15. 25.

Dixit autem Dominus ad Moysen : Eccè, ego pluam vobis panes de cœlo : egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies : ut tentem eum, utrùm ambulet in lege meâ, an non? *Ibid.* 16. 4. *Vide Judith* 8. 21. *et seq.*

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. *Ibid.* 20. 20. *Vide Deut.* 8. 2.

Non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, et in totâ animâ vestrâ. *Deut.* 13. 3. *Vide Judic.* 2. 22. *et c.* 3. 1. *Item* 2. *Paral.* 32. 31. *de Ezechiâ.*

Dixit ergò Dominus ad Satan : Eccè universa quæ habet (*Job*), in manu tuâ sunt : tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini. *Job* 1. 12. *Vide c.* 2. 6.

In paucis vexati (*justi*), in multis benè disponentur : quoniàm Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. *Sap.* 3. 5. *Vide v.* 6.

Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tuâ patientiam habe : quoniàm in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4. 5. *Vide c.* 4. 18. 19. *et c.* 27. 6. 8.

Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse

invocabit nomen meum, etc. *Zach.* 13. 9.

Sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem : probatio verò spem, etc. *Rom.* 5. 3. 4.

Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis : scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. *Jac.* 1. 2. 3. *Vide v.* 12. 13.

Novit Dominus pios de tentatione eripere iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

*Ad eorum probationem.*

Tentavit Deus Abraham, etc. *Gen.* 22. 1. Nunc cognovi, quòd times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *v.* 12. *Vide totum caput.*

Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non, etc. *Deut.* 13. 3.

Deus tentavit eos (*justos*), et invenit illos dignos se. *Sap.* 3. 5. *Vide v.* 6.

Qui non est tentatus, quid scit? etc. *Eccli.* 34. 9. *Vide v.* 11.

*Ad meriti augmentationem.*

*Sic Tobias magnâ adversitate tentatus fuit. Tob.* 2. 12.

*Sic Deus permisit tentari per Satan Job servum suum. Job* 1. 12. *et seq. Vide c.* 2. *per totum.*

In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus. 1. *Petr.* 1. 6. *Vide v.* 7.

*Tentat Diabolus decipiendo per mendacium.*

*Sic Hevam aggressus est sub serpentis figurâ. Gen.* 3. 1. *Vide totum caput.*

Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo, etc. *Matth.* 4. 1. *usquè ad. v.* 12. *Vide Marc.* 1. 13. *Item Luc.* 4. *à. v.* 1. *usquè ad* 14.

Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? etc. *Act.* 5. 3.

*Affectum incendendo per desiderium.*

Diabolus *misit* in cor *Judæ*, ut traderet *Dominum Jesum Christum. Joan.* 13. 2. *Vide v.* 27. *Item Luc.* 22. 3.

Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, et illectus. *Jac.* 1. 14.

*Affectum inducendo per consensum.*

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* 2. 1. *Vide Matth.* 26. 41. *Marc.* 14. 38. *Luc.* 22. 31. 40. *et* 46.

Propterea et ego ampliùs non

sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram; ne fortè tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster. 1. *Thess.* 3. 5. *Vide* 1. *Tim.* 6. 9.

Resistite autem diabolo, et fugiet à vobis. *Jac.* 4. 7.

Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide, etc. 1. *Petr.* 5. 8. 9.

*Tentant homines creaturæ.*

Quoniàm creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. *Sap.* 14. 11.

*Caro seu sensus et passiones.* Vide *Concupiscentia.*

Et inimici hominis domestici ejus. *Mich.* 7. 6. *Item Matth.* 10. 36.

Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, et illectus. *Jac.* 1. 14.

Undè bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? etc. *Ibid.* 4. 1. *Vide v.* 2. *et* 3.

*Tentari non patitur Deus suos suprà id quod possunt.*

Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 1. *Cor.* 10. 13.

Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

Nihil horum timeas, quæ passurus es. Eccè missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini: et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usquè ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2. 10.

TESTAMENTUM.

*Testamentum ordinandum.*

Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dùm adhùc ipse viveret. *Gen.* 25. 5. 6.

Finitisque mandatis, quibus filios (*Jacob*) instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit. *Ibid.* 49. 32.

Igitur cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. *Tob.* 4. 1. 2. *Vide totum caput. Item* 3. *Reg.* 2. 1. *et seq. usquè ad v.* 10.

Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te in vitâ tuâ: et non dederis alii possessionem tuam: ne fortè

pœniteat te, et depreceris pro illis. *Eccli.* 33. 20. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitûs tui distribue hæreditatem tuam. *v.* 24. *Vide et c.* 14. 12.

*Ritè observandum.*

Fratres (secundum hominem dico), tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. *Gal.* 3. 15.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioquin nondùm valet, dùm vivit qui testatus est. *Hebr.* 9. 16. 17.

TESTIMONIUM.

*Testimonium verum commendatur.*

Homicida sub testibus punietur : ad unius testimonium nullus condemnabitur. *Num.* 35. 30.

Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit : sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. *Deut.* 19. 15. *Vide c.* 17. 6. *Item Hebr.* 10. 28.

Testis fidelis non mentitur : profert autem mendacium dolosus testis. *Prov.* 14. 5. Liberat animas testis fidelis : et profert mendacia versipellis. *v.* 25.

Si autem (*frater tuus*) te non audierit; adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. *Matth.* 18. 16.

Et in lege vestrâ scriptum est (*dixit Jesus Judæis*), quia duorum hominum testimonium verum est. *Joan.* 8. 17. *Vide v.* 18. *Item* 2. *Cor.* 13. 1.

Adversùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1. *Tim.* 5. 19.

*Testimonium falsum prohibetur.* Vide *et Mendacium.*

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Exod.* 20. 16. *Item Deut.* 5. 20.

Non suscipies vocem mendacii : nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. *Ibid.* 23. 1. *Vide v.* 7.

Cùmque diligentissimè perscrutantes, invenerint (*sacerdotes*) falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium : reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tuî, etc. *Deut.* 19. 18. 19. *Vide v.* 16.

Ne tradideris me (*Domine*) in animas tribulantium me : quoniàm insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. *Psal.* 26. 12. *et Psal.* 34. 11.

Proferentem mendacia, testem fallacem, *odit Deus. Prov.* 6. 19.

Testis falsus non erit impu-

nitus : et qui mendacia loquitur, non effugiet. *Ibid.* 19. 5. *Idem habetur v.* 9. *Vide et v.* 28.

Testis mendax peribit : vir obediens loquetur victoriam. *Ibid.* 21. 28. *Vide c.* 25. 18.

Ne sis testis frustrà contra proximum tuum : nec lactes quemquam labiis tuis. *Ibid.* 24. 28.

*Castissimam Susannam impudici presbyteri, cùm ejus concubitu frui non possent, falsò adulterii accusant : sed cùm ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus : et per puerum Danielem proprio ore convictos senes, jure talionis populus interimit. Dan.* 13. 62. *Vide totum caput.*

Non falsum testimonium dices. *Math.* 19. 18. *Item Marc.* 10. 19. *Luc.* 18. 20.

Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt, etc. *Ibid.* 26. 59. *et seq. et c.* 27. 13. *Vide Marc.* 14. 55. *et seq. usq. ad v.* 60.

*Testimonii falsi exempla.*

*Doeg primus inter servos Saül falsò loquitur adversùs regem David.* 1. *Reg.* 22. 9. *et sequentes.*

*Siba detrahit Miphiboseth coram David.* 2. *Reg.* 16. 3.

*Falsorum testium criminationibus Naboth innocens lapidibus obruitur, ejusque vinea à rege Achab, et impiâ Jezabel rapitur.* 3. *Reg.* 21. 10. *et sequentes.*

*Custos portæ nomine Jerias, falsò accusat et puniri facit Jeremiam Prophetam, tanquàm profugum. Jerem.* 37. 12.

*Sic etiam ipsi principes Jerusalem adversùs eumdem Prophetam falsò et mendaciter apud regem loquuntur. I.* 38. 4.

*Falsi testes innocentem Susannam adulterii insimulant, falsitatis autem convicti à populo interficiuntur. Dan.* 13. 36. *et seq. usquè ad finem.*

Principes autem sacerdotum, et omne consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent : et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud — Jesus autem (*ad omnia*) tacebat. *Matth.* 26. 59. *et seq. Vide c.* 27. 13. *Item Marc.* 14. 55. *et seq. usq. ad v.* 60.

*Milites custodes sepulcri, acceptâ pecuniâ, Christum, quem à morte resurgentem suis oculis conspexerunt, à discipulis clam sublatum per urbem proclamârunt. Ibid.* 28. 15.

*Seniores et Scribæ contra Stephanum falsos testes submiserunt, quorum calumniis*

*blasphemiæ convictum occiderunt. Actor.* 6. 11.

*Sic etiam Paulus falsò accusatus fuit à Tertullo coram Felice. Ibid.* 24. 5.

THESAURUS.

*Thesaurus verus quis.*

Divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus. *Isa.* 33. 6.

Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo : ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. *Matth.* 6. 20. *Item Luc.* 12. 33. 34.

Omnia quæcumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo (*dixit Jesus cuidam adolescenti*). *Luc.* 18. 22. *Vide Matth.* 19. 21. *Item. Marc.* 10. 21.

Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum), benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1. *Tim.* 6. 17. *et seq. Vide Luc.* 12. 21.

*Thesaurus minùs diligendus, magis diligitur.*

Noli lætari, Israël, noli exultare sicut populi : quia fornicatus es à Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici. *Oseæ* 9. 1.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demolitur : et ubi fures effodiunt, et furantur. *Matth.* 6. 19. *Vide v.* 20. *et* 21.

Cùm audîsset autem adolescens (*cui Christus dixerat :* Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, etc.) verbum ; abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. *Ibid.* 19. 22. *Item Marc.* 10. 22. *Luc.* 18. 23.

Ideò dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum. *Luc.* 12. 22. 23. *Vide Matth.* 6. 25.

*Dixit Jesus turbis :* Amen, amen, dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus, et saturati estis. *Joan.* 6. 26.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. *Cor.* 4. 18.

TIMOR.

*Timendus est Deus, et antè oculos habendus.*

*Defectus timoris divini est causa peccati : ideò dixit Abraham ad Abimelech, qui tulerat uxorem ejus, putans*

*sororem suam esse :* Cogitavi mecum, dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto : et interficient me. *Gen.* 20. 11.

Dixitque (*Angelus*) ei (*Abrahamo*) *:* Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Ibid.* 22. 12.

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus : et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. *Exod.* 20. 20.

Custodi igitur temetipsum (*ait Moyses ad populum*), et animam tuam sollicitè. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. *Deut.* 4. 9.

*Iterum dixit Moyses ad populum : Hæc sunt præcepta Domini* : ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. *Ibid.* 6. 2. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis *v.* 13. *Vide item v.* 24. *et c.* 10. 20. *verbatim.*

Et nunc, Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te? nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, etc. *Ibid.* 10. 12. *Item v.* 20.

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. *Ibid.* 13. 4.

Nunc ergò timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo : et auferte Deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamiâ, et in Ægypto, ac servite Domino. *Josue* 24. 14. *Vide Judic.* 6. 10.

*Homines, quos misit rex Assyriorum ad habitandum Samariam*, non timebant Dominum : et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 4. *Reg.* 17. 25. Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terrâ Ægypti in fortitudine magnâ, et brachio extento, ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate. *v.* 36. *Vide v.* 34. 39. *et* 41. *Item* 1. *Reg.* 12. 24.

*Constituit Josaphat judices in cunctis civitatibus Juda, præcipiens eis inter cætera :* Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentiâ cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas. 2. *Par.* 19. 7. *Vide v.* 9.

Eccè judex Deus, timete eum. Desinite à peccatis vestris, et obliviscamini iniquitates vestras jàm agere eas in sempiterno, et Deus educet vos, et liberabit de omni tribulatione. 4. *Esdr.* 16. 68.

Noli timere, fili mi — multa bona habebimus, si timuerimus Deum (*ait Tobias filio suo*). *Tob.* 4. 23.

Nunquid considerasti (*ait Dominus ad Satan*) servum meum Job, quòd non sit ei similis in terrâ, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens à malo? *Job* 1. 8. *Vide v.* 1. *et c.* 2. 3.

Eccè timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere à malo, intelligentia. *Ibid.* 28. 28.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? *Psal.* 26. 1. *Vide Psal.* 2. 11.

Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. *Psal.* 32. 8.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. *Psal.* 33. 8. Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniàm non est inopia timentibus eum. *v.* 10. *Vide et v.* 12.

Beatus vir, qui timet Dominum ; in mandatis ejus volet nimis. *Psal.* 111. 1.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Psal.* 127. 1. *Vide v.* 4.

Timor Domini, principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prov* 1. 7. *Item Psal.* 110. 10. *Eccli.* 1. 16. *et c.* 19. 18.

Ne sis sapiens apud temetipsum : time Deum, et recede à malo. *Ibid.* 3. 7. *Vide caput* 8. 13.

Principium sapientiæ, timor Domini : et scientia sanctorum, prudentia. *Ibid.* 9. 10.

Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur viâ. *Ibid.* 14. 2.

Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruinâ mortis. *v.* 27.

Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni et insatiabiles. *Ibid.* 15. 16. *Vide v.* 27. *et* 33.

Misericordiâ et veritate redimitur iniquitas : et in timore Domini declinatur à malo. *Ibid.* 16. 6.

Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. *Ibid.* 22. 4. *Vide. c.* 19. 23.

Time Dominum, fili mi, et regem : et cum detractoribus ne commiscearis. *Ibid.* 24. 21. *Vide Eccles.* 12. 13.

Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Ibid.* 31. 30.

Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. *Eccli.* 1. 11. *Vide totum caput.*

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus : et non deflectatis ab illo, ne cadatis. *Ibid.* 2. 7. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? *v.* 12. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius : et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. *v.* 18. *Vide totum caput.*

In totâ animâ tuâ time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. *Ibid.* 7. 31.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum : semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. *Ibid.* 10. 23. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est, *v.* 25. *Vide v.* 27.

Qui timet Deum, faciet bona : et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, etc. *Ibid.* 15. 1. *Vide v.* 20.

Timor Domini initium dilectionis ejus : fidei autem initium agglutinandum est ei. *Ibid.* 25. 16. *Vide v.* 14.

Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit à malis. *Ibid.* 33. 1. *Vide c.* 16. 1. 3. *et c.* 28. 8. *et c.* 32. 18. 20

Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit : quoniàm ipse est spes ejus. *Ibid.* 34. 16. *Vide v.* 14. 17. 19.

Ne timeas (*Israël*), quia ego tecum sum : ne declines, quia ego Deus tuus : confortavi te, et auxiliatus sum tibi : et suscepit te dextera justi mei. *Isa.* 41. 10. *Vide v.* 14.

Noli timere (*Israël*), quia redemi te ( et vocavi te nomine tuo : meus es tu. *Ibid.* 43. 1. *Vide v.* 5. *et c.* 44. 2. 8.

Ego, ego ipse consolabor vos : quis tu, ut timeres ab homine mortali, et à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? *Ibid.* 51. 12.

Quis non timebit te, o rex Gentium? tuum est enim decus : inter cunctos sapientes Gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tuî. *Jer.* 10. 7. *Vide Apoc.* 15. 4.

Et dabo eis ( *filiis Israël*) cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus : et benè sit eis, et filiis eorum post eos. *Idid.* 32. 39. *Vide v.* 40.

Quia propter hoc dedisti ( *Domine* ) timorem tuum in cordibus nostris, et ut invocemus nomen tuum, et laudemus in captivitate nostrâ, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt antè te. *Baruch.* 3. 7.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potiùs timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10. 28. *Idem habetur Luc.* 12. 5.

*Dixit Petrus Cornelio, timenti Deum, cæterisque qui cum eo aderant:* In omni gente, qui timet eum ( *Deum* ) et operatur justitiam, acceptus est illi. *Actor.* 10. 35.

Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

In timore incolatus vestri tempore conversamini. 1. *Petr.* 1. 17. *Vide c.* 3. 2.

Omnes honorate : fraternitatem diligite : Deum timete : Regem honorificate. *Ibid.* 2. 17.

Cum modestiâ et timore, conscientiam *habete* bonam. *Ibid.* 3. 16. *Vide Judæ vers.* 23.

Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus : et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare, et fontes aquarum. *Apoc.* 14. 7.

*Timoris Dei fructus, utilitas, et laus.*

Misericordia autem Domini ab æterno, et usquè in æternum super timentes eum. *Psal.* 102. 16. *Vide Psal.* 32. 18.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum. *Psal.* 124. 1. *Vide totum Psal.* 117.

Timor Domini apponet dies ; et anni impiorum breviabuntur. *Prov.* 10. 27.

Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruinâ mortis. *Ibid.* 14. 27.

Timor Domini ad vitam, et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessimâ. *Ib.* 19. 23.

Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. *Ibid.* 22. 4.

*Homini prodest, ipsum benè ordinando.*

Nunc ergò timete Dominum, et servite ei perfecto corde, atque verissimo. *Josue.* 24. 14.

Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominùs et idolis suis servientes. 4. *Reg.* 17. 41. *Vide v.* 25. 34. 36. *et* 39.

Servite Domino in timore. *Psal.* 2. 11.

Confige ( *Domine* ) timore tuo carnes meas. *Psal.* 118. 120. *Vide v.* 38.

Time Deum, et recede à malo : sanitas quippè erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. *Prov.* 3. 7. 8.

Timor Domini odit malum. *Ibid.* 8. 13.

Sapiens timet, et declinat à malo. *Ibid.* 14. 16.

Per timorem autem Domini declinat omnis à malo. *Ibid.* 15. 27. Timor Domini, disciplina sapientiæ. *v.* 33.

In timore Domini declinatur à malo. *Ibid.* 16. 6.

Non æmuletur cor tuum peccatores ; sed in timore Domini esto totâ die : quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. *Ibid.* 23. 17. 18.

Time Dominum, fili mi, et regem. *Ibid.* 24. 21.

Beatus homo, qui semper est pavidus : qui vero mentis est duræ, corruet in malum. *Ibid.* 28. 14.

Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccles.* 7. 19.

Deum time, et mandata ejus observa, etc. *Ibid.* 12. 13.

Timor Domini expellit peccatum : nàm qui sine timore est,

non poterit justificari. *Eccli.* 1. 27. 28. *Vide tot. caput.*

Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra, etc. *Ibid.* 2. 8. Qui timent Dominum; non erunt incredibiles verbo illius. — Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita sunt ei. — Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usquè ad inspectionem illius. *v.* 18. *et seq. Vide tot. caput.*

In totâ animâ tuâ time Dominum. *Ibid.* 7. 31.

Qui timet Deum, faciet bona. *Ibid.* 15. 1. *Vide v.* 20.

Qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Ibid.* 21. 7. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *v.* 13.

Timor Dei initium dilectionis ejus : fidei autem initium agglutinandum est ei. *Ibid.* 25. 16. *Vide v.* 14.

Timuerunt me (*ait Dominus*) mandato hominum, et doctrinis. *Isa.* 29. 13.

Et dabo eis (*filiis Israël*) cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus : et benè sit eis, et filiis eorum post eos. *Jerem.* 32. 39. *Vide v.* 40.

*Plenè remunerando.*

Quis similis tuî in fortibus, Domine? quis similis tuî : magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia? *Exod.* 15. 11.

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus benè. *Tob.* 4. 23.

Eccè timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere à malo : intelligentia. *Job* 28. 28.

Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniàm non est inopia timentibus eum. *Psal* 33. 10. *Vide v.* 8. *et* 12.

Dedisti (*Domine*) hæreditatem timentibus nomen tuum. *Psal.* 60. 6. *Vide et Psal.* 32. 18.

Beatus vir, qui timet Dominum — Potens in terrâ erit semen ejus — Gloria et divitiæ in domo ejus. *Psal.* 111. 1. *et sequentes.*

Voluntatem timentium sè faciet (*Deus*), etc. *Psal.* 144. 19.

Timor Domini apponet dies etc. *Prov.* 10. 27.

In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes. Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruinâ mortis. *Ib.* 14. 26. 27.

Timor Domini ad vitam : et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessimâ. *Ib.* 19. 23.

Finis modestiæ, timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. *Ibid.* 22. 4.

Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exul-

tationis, etc. *Eccli.* 1. 11. Timenti Dominum benè erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. *v.* 13. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, etc. *v.* 20. Timor Domini expellit peccatum, etc. *v.* 27. *Vide totum caput.*

Qui timetis Dominum, credite illi : et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. *Ibid.* 2. 8. *et seq. Vide v.* 6. *et* 7.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum, etc. *Ibid.* 10. 23. *Vide v.* 24. *et* 25.

Oculi Domini ad timentes eum. *Ibid.* 15. 20.

Et agnoscent, qui derelicti sunt, quoniàm nihil melius est, quàm timor Dei, etc. *Ibid.* 23. 37.

Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei, etc. *Ibid.* 25. 14. 15. Timor Dei initium dilectionis ejus. *v.* 16.

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus : et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. *Ibid.* 32. 18. *Vide v.* 20.

Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit à malis. *Ibid.* 33. 1.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit : quoniàm ipse est spes ejus. Timentis Dominum, beata est anima ejus — Oculi Domini super timentes eum, etc. *Ibid.* 34. 16. *et seq. Vide v.* 14.

Facultates et virtutes exaltant cor, et super hæc timor Domini. Non est in timore Domini minoratio — Timor Domini sicut paradisus benedictionis, etc. *Ibid.* 40. 26. *et seq.*

Salus erit timentibus nomen *Domini. Mich.* 6. 9.

Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ : et sanitas in pennis ejus : et egrediemini, et salietis, sicut vituli de armento, etc. *Malach.* 4. 2.

Et misericordia ejus (*Dei*) à progenie in progenies, timentibus eum. *Luc.* 1. 50. *Vide Apoc.* 14. 7.

*Timor humanus, vitiosus.* Vide et *Formido, et Pusillanimitas.*

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. *Job* 6. 16.

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *Psal.* 13. 5.

Qui timet hominem, citò corruet, etc. *Prov.* 29. 25.

Sicut pali in excelsis, et cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt : sic et cor timidum in cogitatione stulti, contra impetum timoris non resistet, etc. *Eccli.* 22. 21. 22. *Vide v.* 23. *Item* 1. *Joan.* 4. 18. *Apoc.* 21. 8.

Noli timere accipere Mariam

conjugem tuam ( *ait Angelus Domini ad Joseph* ). *Matth.* 1. 20.

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui etc. *Ib.* 10. 28. *Vide v.* 26. 28. *et* 31.

Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ità dico vobis, hunc timete. *Luc.* 12. 4. 5. *Vide v.* 7. *et* 32.

Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? — timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. 1. *Petr.* 3. 13. 14. *Vide Philipp.* 1. 28.

*Contemptus ejus virtuosus.*

Firmamentum est Dominus timentibus eum. *Psal.* 24. 14.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? etc. *Psal.* 26. 1.

In Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro. *Psal.* 55. 5. *Vide vers.* 11. *et Psalmum* 117. 6.

Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, etc. *Prov.* 3. 25. 26. *Vide v.* 24. *Item* 2. *Parat.* 20. 15. 17.

Servus meus es tu — Ne timeas, quia ego tecum sum, etc. *Isa.* 41. 9. Ne timeas, ego adjuvi te, etc. *v.* 13. *Vide v.* 14. *Item Josue.* 10. 8.

Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tù. Cùm transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cùm ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. *Ibid.* 43. 1. 2. *Vide v.* 5. *Item c.* 44. 2.

Audite me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum : nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. *Ibid.* 51. 7. 8. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et à filio hominis, qui quasi fœnum, ità arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, et fundavit terram : et formidâsti, etc. *v.* 12. *et* 13. *Vide* 1. *Mach.* 2. 62.

Ne timeas à facie eorum : quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *Jerem.* 1. 8. *Vide v.* 17. *Item Baruch* 6. 15.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. 31.

*Timore punit Deus et terrore.*

Cùmque profecti essent ( *Jacob cum omni domo suâ* ), terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt

ausi persequi recedentes. *Gen.* 35. 5.

Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris : cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. *Exod.* 23. 27. *Vide c.* 15. 16.

Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volitantis ; et ità fugient quasi gladium : cadent, nullo persequente, etc. *Levit.* 26. 36.

Hodiè incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo : ut audito nomine tuo (*Israël*), paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur. *Deut.* 2. 25.

Nullus stabit contra vos : terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. *Ibid.* 11. 25.

Videbuntque omnes terrarum populi, quòd nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te (*Israël*). *Ibid.* 28. 10. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui (*Israël*). Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore : et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. *v.* 65. 66. *Vide v.* 67.

Novi, quòd Dominus tradiderit vobis terram (*ait Rahab exploratoribus Josue*) : etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. *Josue* 2. 9.

Et conturbavit eos Dominus (*scilicet quinque reges expugnantes Gabaon*) à facie *Is*raël : contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Bethhoron, et percussit usquè Azeca et Maceda. *Ibid.* 10. 10. *Vide Judic.* 4. 15.

Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes (*Madianitæ*) ululantesque fugerunt (*scilicet à gladio Dei, et Gedeonis*), et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes, etc. *Judic.* 7. 21. 22.

Factum est autem cùm Samuël offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israël : intonuit autem Dominus fragore magno in die illâ super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt à facie Israël. 1. *Reg.* 7. 10. *Vide* 4. *Reg.* 7. 6.

Et percusserunt (*Asa cum suis*) civitates omnes per circuitum Geraræ : grandis quippè cunctos terror invaserat (*Æthiopes*) : et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt. 2. *Par.* 14. 14. *Vide et v.* 12. *Item c.* 17. 10.

Irruit autem pavor Domini

super universa regna terrarum, cùm audissent, quòd pugnasset Dominus contrà inimicos Israël (*scilicet Ammonitas, Moabitas, et Syrios*). *Ibid.* 20. 29.

Cùmque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore, et metu agitati, fugæ præsidium sumunt. *Judith* 15. 1. *Vide c.* 14. 17.

Exurge, Domine, non confortetur homo : judicentur gentes in conspectu tuo. *Ps.* 9. 20.

Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, et in conspectu quærentium animam eorum : et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus : et mittam post eos gladium, donec consumam eos. *Jerem.* 49. 37.

Heliodorus autem (*à Rege Antiocho missus, ut thesauros templi raperet*), quod decreverat, perficiebat eodem loco, ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ità ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur, etc. 2. *Mach.* 3. 23. 24.

*Timoris Dei exempla.*

*Dixit Angelus Domini ad Abraham :* Nunc cognovi, quòd times Deum : et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Gen.* 22. 12.

Timuerunt autem obstetrices Deum (*quibus præceperat Pharao omnes masculos interficere in Israël, et fœminas reservare*), et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares: *Exod.* 1. 17. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis Domos. *v.* 21. *Vide c.* 14. 31.

Et viderunt (*filii Israël transeuntes mare rubrum*) Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos : timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus. *Ibidem* 14. 31.

Et clamavit Samuël ad Dominum, et dedit Dominus voces, et pluvias in illâ die. Et timuit omnis populus nimis Dominum, et Samuelem. 1. *Reg.* 12. 18. 19.

Abdias autem (*dispensator domûs Achab*) timebat Dominum valdè. Nam cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, et abscondit eos — et pavit eos. 3 *Reg.* 18. 3. 4. *Vide v.* 12.

Sit timor Domini vobiscum (*ait Josaphat judicibus populi*), et cum diligentiâ cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Par.* 19. 7. *Vide v.* 9.

Sed Tobias plus timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora

occisorum, et occultabat in domo suâ, et mediis noctibus sepeliebat ea. *Tob.* 2. 9. Nam cùm ab infantiâ suâ semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei. *v.* 13. *Vide c.* 1. 10.

Virum autem cum timore tuo (*Domine Deus*), non cum libidine meâ consensi suscipere (*aiebat Sara filia Raguelis*). *Ibid.* 3. 18. *Vide c.* 4. 23.

Cùmque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium : sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. *Ibid.* 9. 12. *Vide v.* 9. *Item c.* 14. 4.

Et erat hæc (*Judith*) in omnibus famosissima, quoniàm timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illâ verbum malum. *Judith* 8. 8. *et* 29.

Dixitquè Dominus ad eum (*Satan*) : Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terrâ, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens à malo? *Job* 1. 8. *Item vers.* 1. *et cap.* 2. 3.

Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. *Ibid.* 31. 23.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Prov.* 31. 30.

Et timuerunt viri (*qui erant in navi*) timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. *Jonæ* 1. 16. *Vide v.* 5. 9. *et* 10.

Sed, cum plagis perimeretur (*Eleazarus*), ingemuit, et dixit : Domine, qui habes sanctam scientiam ; manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores ; secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. 2. *Mach.* 6. 30.

Et eccè homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israël, et Spiritus Sanctus erat in eo. *Luc.* 2. 25.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. *Actor.* 8. 2.

Ecclesia — habebat pacem, et ædificabatur, ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritûs replebatur. *Ib.* 9. 31.

Vir autem quidam erat in Cæsareâ, nomine Cornelius, etc., religiosus, ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. *Ibid.* 10. 1. 2. In veritate comperi (*inquit Petrus*), quia non est personarum acceptor Deus ; sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *v.* 34. 35.

*Timor et sollicitudo non repugnant fidei et spei.*

Servite Domino in timore : et exultate ei cum tremore. *Psal.* 2. 11. *Vide Tob.* 13. 6.

Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiosè intelligerem : sunt justi atque sapientes : et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit. *Eccles.* 9. 1.

De propitiato peccato noli esse sine metu : neque adjicias peccatum super peccatum. *Eccli.* 5. 5.

Benè : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas ; noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aërem verberans : sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo ; ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 26.

Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat. *Ibid.* 10. 12.

Itaque, carissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in præsentiâ meâ tantùm, sed multò magis nunc in absentiâ meâ, cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

Timeamus ergò, ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus (*Dei*), existimetur aliquis in vobis deesse, etc. *Hebr.* 4. 1. *Vide* 1. *Petr.* 1. 17.

*Timent et reverentur bonos etiam malì.*

*Dixit Abimelech ad Abraham :* Deus tecum est in universis quæ agis. Jura ergò per Deum, ne noceas mihi, etc. *Gen.* 21. 22. 23. *Vide caput* 20. 8.

*Ægyptii, persequentes filios Israël, qui ibant per medium mare, dixerunt :* Fugiamus Israëlem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. *Exod.* 14. 25.

Et timuit Saül David, eò quòd Dominus esset cum eo, et à se recessisset. 1. *Reg.* 18. 12. *Vide et v.* 29.

*Princeps quinquagenarius, qui tertiò venit ad Eliam, inquit ad illum* : Eccè descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant : sed nunc obsecro, ut misereàris animæ meæ. 4. *Reg.* 1. 14.

Factum est ergò cùm audissent omnes inimici nostri (*quòd completus esset murus Jerusalem*), ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, et concíderent intra semetipsos, et scirent quòd à Deo factum esset opus hoc. 2. *Esdr.* 6. 16.

Et cecidit timor Judæ, ac fratrum ejus, et formido super omnes gentes in circuitu eorum. Et pervenit ad regem nomen ejus, etc. 1. *Mach.* 3. 25. 26.

Et audierunt adversarii (*principes Demetrii*), quod paratus est Jonathas cum suis in bello : et timuerunt, et formidaverunt in corde suo : et accenderunt focos in castris suis. *Ibid.* 12. 28.

*Postquàm Lysias fuit debellatus à Judâ Machabæo, voluit pacem facere cum eo*, intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, etc. 2. *Mach.* 11. 13.

Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. *Marc.* 6. 20. *Vide Matth.* 14. 5. *Item Luc.* 1. 65. *et c.* 2. 9. *et c.* 7. 16.

*Post terribilem mortem Ananiæ et Saphiræ*, factus est timor magnus in universâ Ecclesiâ, et in omnes qui audierunt hæc. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis : sed magnificabat eos populus. *Actor.* 5. 11. *et seq. Vide c.* 9. 26.

*Custos carceris, è quo Paulus et Silas liberati sunt, primò se voluit interficere, videns apertas januas, posteà tremefactus procidens ad eorum pedes*, ait : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? *Ibid.* 16. 30. *Vide* 2. *Cor.* 7. 15.

TRADITIO.

Vide et *Antiquæ viæ*, et *Constitutiones Superiorum*. Item *Doctrina Apostolorum*.

*Traditiones Ecclesiasticæ, sine scripto ab Apostolis acceptæ, servandæ nobis sunt.*

Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas : interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi. *Deut.* 32. 7. *Vide Job* 8. 8.

*David clarè se traditionibus edoctum pronunciat, dùm ait :* Deus, auribus nostris audivimus : patres nostri annuntiaverunt nobis. Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis. *Psal.* 43. 2.

*Christus post resurrectionem suam per quadraginta dies cum discipulis suis erat*, loquens de regno Dei. *Actor.* 1. 3.

Paulus verò electo Silâ, profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias : præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum. *Ibid.* 15. 40. 41.

Cùm autem (*Paulus et Thimotheus*) pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Jerosolymis. *Ibid.* 16. 4. *Confer Rom.* 15. 15.

*Laudat Paulus Corinthios*,

*quòd ea, quæ illis tradidisset, sedulò tenerent; et concludit hoc caput, dicens*: Cætera autem, cùm venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 2. 34.

Itaque, fratres, state; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

Formam habe sanorum verborum, quæ à me audîsti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. 2. *Tim.* 1. 13.

Et quæ audisti à me — hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. *Ibid.* 2. 2. *Vide c.* 3. 10. 14.

*Tradiderunt Apostoli quædam vivâ voce.*

Si quis esurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan. v.* 12. *Vide* 3. *Joan. v.* 13. 14.

*Transubstantiatio.* Vide *Missæ Sacrificium.* Item *Eucharistia.*

TRIBULATIO.

*Tribulatio, et ejus utilitas.*

*Josephus crevit in exilio*, in terrâ paupertatis, *quàm in terrâ nativitatis suæ crevisset. Gen.* 41, 52.

Meritò hæc patimur (*dicebant fratres Joseph*), quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dùm deprecaretur nos, et non audivimus: idcircò venit super nos ista tribulatio. *Ibid.* 42. 21.

Quantòque opprimebant eos (*Ægyptii Judæos*), tantò magis multiplicabantur, et crescebant. *Exod.* 1. 12. *Vide v.* 13. *et* 14.

*Israëlitæ afflicti à serpentibus ignitis, pœnitentiam agunt. Num.* 21. 6. 7.

Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. *Ibid.* 31. 23.

*Toto tempore principatus Josuë, quandò filii Israël gravissima prælia habuerunt, non leguntur à Domino recessisse: sed citò post; quandò in abundantiâ et quiete fuerunt. Josue c.* 1. *et seq. Confer Librum Judicum, et invenies.*

*Audierunt filii Israël, quòd Philisthæi essent congregati, ut venirent contrà eos, et timentes dixerunt ad Samuëlem:* Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, etc. 1. *Reg.* 7. 8.

Et convenerunt ad eum (*David*) omnes, qui erant in angustiâ constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps. *Ibid.* 22. 2.

*Fugiens David à facie Absalom, patiens fuit in ferendis*

*Semei servi sui conviciis : sed obtentâ victoriâ superbivit, quandò jussit populum numerari.* 2. *Reg.* 16. 10. *et c.* 24. 1. 2. *Item* 1. *Paral* 21. 1. 2.

Pane tribulationis, et aqua angustiæ *jussus est propheta Michæas sustentari in carcere, quia noluit Achab respondere juxta voluntatem.* 3. *Reg.* 22. 27. *Item* 2. *Paral.* 18. 26.

*Voluit Dominus, ut filii Israël affligerentur à Sesac rege Ægypti; ut noscerent differentiam servitutis divinæ et humanæ.* 2. *Par.* 12. 8.

Tempore angustiæ suæ auxit (*Achaz*) contemptum in Dominum. *Ibid.* 28. 22.

Postquam (*Manasses*) coangustatus est oravit Dominum Deum suum, *cùm esset vinctus in Babylone*, et egit pœnitentiam valde coram Deo — et exaudivit (*Dominus*) orationem ejus, etc. *Ibid.* 33. 12. 13.

In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te (*Domine, filii, Israël*), et tu de cœlo audisti, et secundùm miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, etc. 2. *Esdr.* 9. 27. *Vide v.* 28.

*Permittente Deo, post bona opera Tobias fuit excæcatus, et deindè derisus est ab illis, qui eum debuissent consolari; sed posteà Dominus multipliciter consolatus est eum. Tob.* 2. 11. *et seq. Vide totam histor. Sic et Job. Vide c.* 1. *per totum. Et c.* 42. 12. *vide remunerationem ejus patientiæ.*

Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum : qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. *Tob.* 3. 13. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit (*Domine*), quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, etc. *v.* 21. Post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem, et fletum, exultationem infundis. *v.* 22.

Quoniàm tu (*Domine*) flagellas et salvas : deducis ad inferos, et reducis. *Ibid.* 13. 2. Ipse castigavit nos, propter iniquitates nostras : et ipse salvabit nos, propter misericordiam suam. *v.* 5. *Vide c.* 12. 13.

In tuo flagello vindica (*Domine*) iniquitates nostras. *Judith.* 7. 20.

*De populo suo loquens Judith, dicebat :* Memores esse debent, quomodò Abraham pater noster tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est *Ibid.* 8. 22. (*Vide v.* 23.) Et nos ergò non ulciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. *v.* 26 *et* 27.

Si bona suscepimus de manu Dei, mala quarè non suscipiamus? *Job* 2. 10.

Beatus homo, qui corripitur à Deo: increpationem ergò Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus ejus sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, et in septimâ non tanget te malum. *Ibid.* 5. 17. *et seq.*

Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, etc. *Ibid.* 6. 4.

Auferat à me (*Dominus*) virgam suam, et pavor ejus non me terreat. *Ibid.* 9. 34.

*Utinam* intelligeres, quòd multò minora exigaris ab eo (*Deo*), quàm meretur iniquitas tua. *Ibid.* 11. 6.

Domus eorum (*impiorum*) securæ sunt, et pacatæ, et non est virga Dei super illos. *Ibid.* 21. 9.

Ipse (*Deus*) — probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. *Ibid.* 23. 10.

Consumpta est caro ejus (*hominis*) à suppliciis: revertatur ad dies adolescentiæ suæ. *Ibid.* 33. 25.

Peccavi, et verè deliqui, et ut eram dignus, non recepi. *v.* 27.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus. *Psal.* 2. 12.

In tribulatione dilatasti mihi, *Psal.* 4. 2. *Vide Psal.* 45. 1.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum (*sanctorum*): posteà acceleraverunt. *Psal.* 15. 4.

Probasti cor meum (*Deus*), et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. *Psal* 16. 3.

Et disciplina tua (*Domine*) correxit me in finem. *Psal.* 17. 36. *Vide v.* 7. *Item* 2. *Reg.* 22. 7.

Virga tua (*Domine*) et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. *Psal.* 22. 4.

Tu es (*Deus*) refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me, *Psal.* 31. 7.

Juxta est Dominus iis, qui tribulatio sunt corde: et humiles spiritu salvabit. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. *Psal.* 33. 19. 20. *Vide v.* 5. 7. *et* 18.

Invoca me (*ait Dominus*) in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me. *Psal.* 49. 15. *Vide Psal.* 43. 22. 24.

Posuisti (*Domine*) tribulationes in dorso nostro. *Psal.* 65. 11. Transivimus per ignem et aquam; et eduxisti nos in refrigerium. *v.* 12. *Vide Psal.* 137. 7.

Cum ipso (*orante*) sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum. *Psal.* 90. 15. *Vide Psal.* 119. 1.

Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ (*Deus*) lætificaverunt animam meam. *Ps.* 93. 19. *Vide Psal.* 70. 20. *et Psal.* 106. *v.* 6. 13. 19. 28. *et* 39. *Item Psal.* 114. 3.

Bonum mihi, quia humiliasti

me (*Deus*), ut discam justificationes tuas. *Psal.* 118. 71. *Vide Psal.* 114. 3.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit : et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* 3. 11. 12. *Vide Hebr.* 12. 5. 6. *Item cap.* 3. 19.

Sicut igne probatur argentum, et aurum in camino : ità corda probat Dominus. *Ibid.* 17. 3.

Quòd de carcere catenisque interdùm quis egrediatur ad regnum : et alius natus in regno, inopiâ consumatur, etc. *Eccles.* 4. 14.

Curatio faciet cessare peccata maxima. *Ibid.* 10. 4.

In paucis vexati, in multis (*justi*) benè disponentur : quoniàm Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquàm aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. *Sap.* 3. 5. 6.

Hos quidem (*Israëlitas*) tanquàm pater (*Domine*) monens probasti : illos autem (*Ægyptios*) tanquàm durus rex interrogans condemnasti. *Ibid.* 11. 11. Cùm enim audirent per sua tormenta benè secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitûs. *v.* 14.

Cum ergò das nobis (*Domine*) disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus, etc. *Ib.* 12. 22.

Ad correptionem in brevi turbati sunt (*Israëlitæ*), signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ, *Domine. Ibid.* 16. 6.

Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tuâ patientiam habe : quoniàm in igne probatur aurum et argentum, homines verò receptibiles, in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4. 5. Quoniàm pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata. *v.* 13.

Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. *Ibid.* 27. 6.

Infirmitas gravis sobriam facit animam. *Ibid.* 31. 2.

Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Ibid.* 35. 26.

Et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. *Isa.* 1. 25.

Cùm feceris (*Domine*) judicia tua in terrâ, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet justitiam. *Ibid.* 26. 9. 10. Domine, in angustiâ requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, etc. *v.* 16.

Tantummodò sola vexatio intellectum dabit auditui. *Ibid.* 28. 19.

A voce enim Domini pavebit Assur virgâ percussus. Et erit

transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum, etc. *Ibid.* 30. 31. 32.

Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustrà conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. *Jerem.* 6. 29. 30.

Eccè ego conflabo, et probabo eos. *Ibid.* 9. 7.

Quia eccè in civitate, in quâ invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis. *Ibid.* 25. 29.

Castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. *Ibid.* 30. 11.

Castigasti me (*Domine*), et eruditus sum quasi juvenculus indomitus. *Ibid.* 31. 18.

Castigabo te (*Jacob*) in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi. *Ibid.* 46. 28.

Eccè quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent : et tu quasi innocens relinqueris ? non eris innocens, sed bibens bibes. *Ibid.* 49. 12.

Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te : audi, Domine, et miserere, etc. *Baruch* 3. 1. 2.

Omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis : scoria argenti facti sunt. *Ezech.* 22. 18.

Multo labore sudatum est, et non exivit de eâ (*civitate*) nimia rubigo ejus, neque per ignem. *Ibid.* 24. 12.

*Nabuchodonosor in prosperitate fuit arrogans et superbus ; ideò ejectus ab hominibus, et in bestiam mutatus est ; recuperavit autem sensum, quem amiserat in honore elatus, et laudavit Altissimum, quem blasphamaverat priùs. Dan.* 4. 30. *et seq.*

Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi. *Ibid.* 12. 10.

*Susanna in condemnatione mortis posita, nec habens recursum ad humanum auxilium, flens respexit ad cœlum, sicut avis in terrâ ab hominibus et canibus circumcincta, non habet refugium, nisi elevet se in altum. Ibid.* 13. 22. *et* 42.

Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceriâ, et semitas suas non inveniet. *Oseæ* 2. 6.

In tribulatione suâ manè consurgent ad me : Venite, et revertamur ad Dominum : quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos, etc. *Ib.* 6. 1. 2.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis ; et ero eis, quasi exaltans jugum super maxillas eorum : et declinavi ad eum, ut vesceretur. *Ib.* 11. 4.

Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum. *Jonæ* 2. 8. *Videv.* 3.

Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus, et nebulæ

pulvis pedum ejus. *Nahum.* 1. 3. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis : et sciens sperantes in se. Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus, etc. *v.* 7. Non consurget duplex tribulatio. *v.* 9. Afflixi te, et non affligam te ultrà. *v.* 12.

Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum : et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. *Aggæi* 2. 18.

Uram eos, sicut uritur argentum, et probabo eos, sicut probatur aurum, etc. *Zach.* 13. 9.

Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum : et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, etc. *Malach.* 3. 2.

Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, et factus est Dominus Ægypti. 1. *Mach.* 2. 53.

Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cùm judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat : ità et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ità demùm in nos vindicet. 2. *Mach.* 6. 13. 14. 15. Corripiens verò in adversis, populum suum non derelinquit. *v.* 16.

*Eleazarus* gloriosissimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium. *Ibid. v.* 19. Patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. *v.* 20. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. *v.* 26. Tu scis (*Domine*), quia, cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores : secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. *v.* 30. *Verba sunt ejusdem Eleazari.*

Tu quidem, scelestissime, in præsenti vitâ nos perdis : sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. *Ibid.* 7. 9. Et cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniàm ab ipso me ea recepturum spero. *v.* 11. Nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis : tu autem ne existimes tibi impunè futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. *v.* 18. Dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illâ miseratione cum fratribus tuis te recipiam (*verba sunt matris*) *v.* 29. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato — æter-

vitæ effecti sunt *participes. v.* 36. *Verba sunt fratrum Machabæorum, eorumque invictissimæ matris.*

Hinc igitur cœpit (*Antiochus*) ex gravi superbiâ deductus, ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ, etc. *Ibid.* 9. 11.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, etc. *Matth.* 5. 10. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. *v.* 39. *Vide Luc.* 6. 22. 29.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Ibid.* 10. 39. *Item c.* 16. 25. *Marc.* 8. 35. *Luc.* 9. 24. *et c.* 17. 33. *Joan.* 12. 25.

Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. *Ibid.* 24. 9. *Vide v.* 21. 29. *Item Marc.* 13. 19. 24.

Ego autem hic fame pereo (*ait filius prodigus*). Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jàm non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15. 17. *et seq.*

Nonnè hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? *Ibid.* 24. 26.

Neque hic peccavit (*cæcus natus*), neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo. *Joan.* 9. 3.

Omnem palmitem — qui fert fructum, purgabit eum (*Pater cœlestis*), ut fructum plus afferat. *Ibid.* 15. 2.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Ibid.* 16. 2. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem peperit puerum, jàm non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. *v.* 20. 21. *Vide v.* 22.

*Apostoli jussu magistratuum flagellati*, ibant gaudentes — quoniàm digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Actor.* 5. 41.

Joseph vendiderunt in Ægyptum (*fratres sui*), et erat Deus cum eo : et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus; *et glorificavit eum*, etc. *Ibid.* 7. 9. 10. *Vide v.* 11.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Actor.* 14. 21.

Quoniàm vincula et tribulationes (*inquit Paulus*) Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam prætiosiorem, quàm me, dummodò consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu. *Ibid.* 20. 23. *Vide v.* 19.

Ego enim (*ait idem Paulus*) non solùm alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. *Ib.* 21. 13.

Sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quòd tribulatio patientiam operatur, etc. *Rom.* 5. 3.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Ibid.* 8. 17. 18. Quia et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, et parturit usquè adhuc. *v.* 21. 22. Quis ergò nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? *v.* 35. Certus sum enim, quia neque mors, — neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei. *v.* 38. 39.

In tribulatione patientes. *Ib.* 12. 12.

Usquè in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus. 1. *Cor.* 4. 11. 12.

Benedictus Deus — qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ. 2. *Cor.* 1. 3. 4. Quoniàm sicut abundant passiones Christi in nobis : ità et per Christum abundat consolatio nostra. *v.* 5. Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. *v.* 7. *Vide v.* 6. 8. *Item c.* 2. 4.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus : semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. *Ibid.* 4. 8. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *v.* 17. *Vide c.* 6. 4. *et seq.*

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ. *Ib.* 7. 4. *Vide versum* 5.

In multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum (*Macedonum*) fuit, etc. *Ibid.* 8. 2. *Vide v.* 13.

Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. *Ibid.* 11. 20. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, etc. *v.* 23. In labore, et ærumnâ, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, etc. *v.* 27.

Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo, etc. *Ibid.* 12. 9. 10.

Sed quomodò tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ità et nunc. *Gal.* 4. 29.

Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. *Philipp.* 1. 29.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Coloss.* 1. 24.

Et vos imitatores nostrî facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs Sancti. 1. *Thess.* 1. 6.

Ità ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientiâ vestrâ, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis — ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini, etc. 2. *Thess.* 1. 4. *Vide v.* 6. 7.

Nam si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

Et omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. *Ib.* 3. 12.

Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum. *Hebr.* 2. 9.

Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam, etc. *Ib.* 5. 8.

Alii verò ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, etc. — Egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, etc. *Ibid.* 11. 36. 37. 38.

Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergò adulteri, et non filii estis. *Ibid.* 12. 8. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: posteà autem fructum paratissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. *v.* 11. *Vide v.* 2. *et seq.*

Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, etc. *Jacob.* 1. 2. 3. 4. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniàm cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *v.* 12.

In quo (*Christo*) exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multò

pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 6. 7.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. *Ib.* 2. 21.

Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. *Ibid.* 3. 14. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. *v.* 17. *Vide c.* 2. 20.

Christo igitur passo in carne, et vos eâdem cogitatione armamini. *Ibid.* 4. 1. Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, etc. *v.* 13. 14. Quoniàm tempus est ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? *v.* 17. *Vide v.* 19.

In Christo Jesu modicum passos ipse (*Deus*) perficiet, confirmabit, solidabitque. *Ib.* 5. 10.

Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientiâ in Christo Jesu. *Apoc.* 1. 9.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ. *Ibid.* 7. 14.

Et non dilexerunt animas suas usquè ad mortem. *Ibid.* 12. 11.

*Tributum.* Vide *Exactio.*

TRINITAS.

*Trinitas figurata et declarata.*

Faciamus hominem (*ait Deus*) ad imaginem et similitudinem nostram: et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terrâ. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum. *Gen.* 1. 26. 27. *Item c.* 5. 1. *et c.* 9. 6. *Sap.* 2. 23. *Eccli.* 17. 1.

Cùmque (*Abraham*) elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. *Ibid.* 18. 2.

Et ait (*Deus ad Moysen*): Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum. *Exod.* 3. 6. *Vide vers.* 15. *et* 16. *et c.* 4. 5. *Item Matth.* 22. 32. *Marc.* 12. 26. *Luc.* 20. 37.

Audi, Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est. *Deut.* 6. 4.

Verbo Domini cœli firmati

sunt : et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* 32. 6.

Et clamabant alter ad alterum (*duo Seraphim*), et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloriâ ejus. *Isa.* 6. 4. *Vide Apoc.* 4. 8.

Requirite diligenter in libro Domini, et legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit : quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. *Ibid.* 34. 16.

Accedite ad me, et audite hoc : non à principio in abscondito locutus sum : ex tempore antequàm fieret, ibi eram: et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. *Ibid.* 48. 16.

Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, etc. *Ibid.* 61. 1. *Idem repetitur Luc.* 4. 18. 19.

Baptizatus autem Jesus, confestìm ascendit de aquâ, et eccè aperti sunt ei cœli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et eccè vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth.* 3. 16. 17. *et c.* 17. 5. *Item Marc.* 1. 10. 11. *et c.* 9. 6. *Luc.* 3. 22. *et c.* 9. 35. *Joan.* 1. 32. 2. *Petr.* 1. 17.

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Ibid.* 10. 20. *Vide Lucam* 12. 12.

Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritùs Sancti, etc. *Ibid.* 28. 19.

Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videdit vitam, etc. *Joan.* 3. 35. 36.

Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, etc. *Ibid.* 14. 16. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *v.* 26.

Cùm autem venerit Paracletûs, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Ibid.* 15. 26.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritûs, etc. 2. *Cor.* 13. 13.

Quoniàm tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. 1. *Joan.* 5. 7.

*Tripudiare.* Vide *Choreas ducere.*

TRISTITIA.

*Tristari immoderatè propter temporalia, minimè laudandum.*

Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. *Prov.* 12. 25.

Cor gaudens exhilarat faciem : in mœrore animi dejicitur spiritus. *Ibid.* 15. 13. *Vide* 1. *Mach.* 6. 8.

Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa. *Ibid.* 17. 22.

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi. *Ibid.* 25. 20.

Omnis plaga, tristitia cordis est. *Eccli.* 25. 17.

Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. *Ibid.* 30. 22. Tristitiam longè repelle à te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illâ. *v.* 24. 25.

A tristitiâ enim festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. In abductione permanet tristitia— Ne dederis in tristitiâ cor tuum : sed repelle eam à te. *Ibid.* 38. 19. 20. 21.

Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10. *Vide vers.* 8. 9. *et* 11. *Item* 1. *Petr.* 2. 19.

*Tristitiæ exempla.*

Dixitque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ, propter filias Heth : si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere. *Gen.* 27. 46.

*Jacob* scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. *Ibid.* 37. 34. *Vide v.* 35.

*Viderunt ambo pistor et pincerna Pharaonis somnium, et indè facti sunt valdè tristes. Ibid.* 40. 6. 7.

Contristatus est enim (*Jonathas*) super David, eò quòd confudisset eum pater suus, *et non comedit panem.* 1. *Reg.* 20. 34. *Vide idem de David super Ozam.* 2. *Reg.* 6. 8. *Vide etiam* 2. *Reg.* 13. 21. *et* 1. *Paral.* 13. 11.

*Audiens Esdras, Judæos matrimonia contraxisse cum gentibus, scidit pallium et tunicam, et evellit capitis et barbæ capillos, et sedit mœrens.* 1. *Esdr.* 9. 3. *Vide* 2. *Esdr.* 2. 2. 3. *Vide etiam* 3. *Esdr.* 8. 72. 73.

Cœpit autem contristari nimis ipse (*Tobias*), et Anna uxor ejus cum eo : et cœperunt ambo simul flere : eò quòd die statuto minimè reverteretur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat, etc. *et* nullo modo consolari poterat, etc. *Tob.* 10. 3. 7. *Vide c.* 5. 23. *et seq.*

*Luctus Mardochæi ac reliquorum Judæorum, ob paratum ipsis interitum. Esther* 4. 1. *et sequentes.*

*Magna tristitiæ signa ediderunt Job, et ejus amici in suis calamitatibus. Job* 1. 20. *et c.* 2. 12. 13.

Miser factus sum (*inquit David*), et curvatus sum usquè in finem : totâ die contristatus ingrediebar — Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei. *Psal.* 37. 7. 9. *et seq. Vide Psal.* 41. 6. 12. *et Psal.* 42. 2. 5. *et Psal.* 54. 3.

Super contritione filiæ populi mei contritus sum, et contristatus; stupor obtinuit me. *Jer.* 8. 21. *Vide v.* 18. *Item Dan.* 6. 14. 2. *Mach.* 4. 37. *Matth.* 14. 9. *c.* 17. 22. *c.* 18. 31. *c.* 19. 22. *Marc.* 6. 26. *c.* 10. 22. *Luc.* 18. 23. *Joan.* 16. 20. *et seq. et c.* 21. 17.

*Discipuli in ultimâ cœnâ valdè contristati sunt, ob verbum Domini de proditore suo. Matth.* 26. 22. *Vide Marc.* 14. 19.

Cœpit (*Christus in horto Gethsemani*) contristari et mœstus esse. Tunc ait illis (*discipulis*) : Tristis est anima mea usquè ad mortem, etc. *Ibid. v.* 37. 38. *Item Marc.* 14. 34. *Luc.* 22. 45.

Quoniàm tristitia mihi magna est (*inquit Paulus*), et continuus dolor cordi meo. *Rom.* 9. 2. *Vide* 2. *Cor.* 1. 8. *et c.* 2. 2. *et seq. Item Philipp.* 2. 26. *et sequentes.*

TUBA.

*Tubâ clangent Angeli in consummatione sæculi.*

Et mittet (*Deus*) Angelos suos cum tubâ, et voce magnâ : et congregabant electos ejus à quatuor ventis, à summis cælorum, usquè ad terminos eorum. *Matth.* 24. 31.

In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur. 1. *Cor.* 15. 52.

Quoniàm ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tubâ Dei descendet de cœlo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, etc. 1. *Thess.* 4. 15.

TYRANNUS.

*Tyrannorum nequitia, et crudelitas.*

*Varias excogitavit Pharao nequitias, ut possit extinguere, vel ad numerum parvum redigere filios Israël : in primis eos duris laboribus jussit affligi. Exod.* 1, 11. *et seq. Deinde præcepit masculos occidi, et in fluvium projici, fœminas verò reservari. v.* 16. 22. *Postcà simpliciter dixit Pharao :* Nescio Dominum, et Israël non dimittam. *c.* 5. 2. *Deindè concessit quidem populum abire,*

*sed falsò dicens :* Ite, sacrificate Domino in terrâ hâc. *c.* 8. 25. *Rursùs dimittere eos voluit, ut sacrificarent Domino in deserto;* verumtamen (*ait*) longiùs ne abeatis. *v.* 28. *Tandem permisit ut irent quidem viri, oves tamen et armenta remanerent. c.* 10. 24. *et Moysi sub pœnâ mortis vetuit, ne ultrà coram eo appareret. v.* 28.

Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant — ciborum reliquias *sub mensâ Adonibezec : quo eodem supplicio, justo Dei judicio*, et ipse affectus est. *Judic.* 1. 6. 7.

*Abimelech, usurpato dominio super populo,* occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum. *Ibid.* 9. 5. *Verum suæ tyrannidis justas pœnas luit. v.* 53. 54.

*Virum Dei, arguentem Jeroboam pro altari sacrilego, quod construxerat, præcepit ipse Jeroboam comprehendi : sed statim punitus fuit.* 3. *Reg.* 13. 4. *Vide c.* 16. 7. *de impio rege Baasâ, qui occidit prophetam Jehu.*

*Impia Jezabel minata est mortem Eliæ, quia prophetas Baal occiderat. Ibid.* 19. 1. 2.

*Naboth lapidatus fuit, præcipiente Jezabel, quæ fecit falsos testes filios diaboli contra eum produci. Ibid.* 21. 10. 13.

*Achab rex Israël fecit poni Michæam Prophetam in carcerem, et sustentari* pane tribulationis, et aquâ angustiæ. *Ib.* 22. 27.

*Manasses rex Juda* sanguinem innoxium — effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium. 4. *Reg.* 21. 16. *et c.* 24. 4.

Denique cùm reversus esset Sennacherib fugiens à Judææâ plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos *Judæos occidit, etc. Tob.* 1. 21.

Tantusque metus provinciis illis incubuit (*de Holoferne*), ut universarum urbium habitatores principes, et honorati simul cum populis, exirent obviàm venienti, excipientes eum cum coronis et lampadibus : ducentes choros in tympanis et tibiis. Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt, etc. *Judith* 3. 9. *et seq.*

*Immanis crudelitas fuit, cum Nabuchodonosor rex Babylonis fecit socios Danielis in fornacem ignis mitti. Dan.* 3. 20.

*Nimiam crudelitatem exercuerunt illi, qui ab Antiocho missi fuerunt, ut Eleazarum, et septem fratres eorumque matrem ad porcinas carnes manducandas impellerent.* 2. *Mach.* 6. 18. *et seq. et c.* 7. 1. *et seq. per totum.*

Tunc Herodes videns, quoniàm illusus esset à Magis, iratus est valdè, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in

Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infrà, etc. *Matth.* 2. 16.

Misit herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. *Actor.* 12. 1. *et seq.*

UNÂNIMITAS. *Vide et* CONCORDIA.

*Commendatur hæc virtus.*

Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una. *Actor.* 4. 32. *Vide caput* 2. 46. *et cap.* 5. 12.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eâdem sententiâ. 1. *Cor.* 1. 10.

*State* in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii. *Philipp.* 1. 27. *Vide c.* 2. 2. *Item Rom.* 12. 16. *Eph.* 4. 3.

UNCTIO.

*Unctionis Extremæ Sacramentum.*

Et exeuntes (*Apostoli*) prædicabant, ut pœnitentiam agerent: dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. *Marc.* 6. 12. 13.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, etc. *Jac.* 5. 14.

USURA. *Vide et* FŒNERATIO.

*Usura est prohibita.*

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exod.* 22. 25.

Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum; ne accipias usuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti. *Levit.* 25. 35. 36. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. *v.* 37.

Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno. Fratri autem tuo absque usurâ id, quo indiget, commodabis, etc. *Deut.* 23. 19. 20.

Usurasne singuli à fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversùm eos concionem magnam (*ait Nehemias*). 2. *Esdr.* 5. 7.

Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit (*glorificat eum Deus*). *Psal.* 14. 5. *Vide Psal.* 54. 12. *et Psal.* 71. 14.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit

ipse ditiori, et egebit. *Prov.* 22. 16.

Qui coacervat divitias usuris, et fœnore, liberali in pauperes congregat eas. *Ibid.* 28. 8.

Væ mihi, mater mea : quarè genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universâ terrâ ? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam : omnes maledicunt mihi. *Jerem.* 15. 10.

*Qui* ad usuram non commodaverit, et ampliùs non acceperit : ab iniquitate averterit manum suam, et judicium verum fecerit inter virum et virum : in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem : hic justus est, et vitâ vivet, ait Dominus Deus. *Ezech.* 18. 8. 9. Ad usuram dantem, et amplius accipientem, nunquid vivet ? non vivet : cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit. *v.* 13. *Vide v.* 17.

Munera acceperunt apud te (*Jerusalem*) ad effundendum sanguinem : usuram et superabundantiam accepisti, et avarè proximos tuos calumniabaris : meîque oblita es, ait Dominus Deus. *Ibid.* 22. 12.

Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere : quæ gratia est vobis ? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. *Luc.* 6. 34. Mutuum date, nihil indè sperantes : et erit merces vestra multa *apud Deum. v.* 35.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Eccè dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8. *Vide v.* 23.

## UXOR.

### *Uxor non temerè relinquenda.*

Omnis, qui dimiserit uxorem suam : exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32. *et c.* 19. 9. *Item Deut.* 22. 19. *Marc.* 10. 11. *Luc.* 16. 18. 1. *Cor.* 7. 11. 12.

### *Uxoris officium.*

Mulieri quoque dixit (*Deus*) : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Gen.* 3. 16.

*Sara uxor Abrahæ obediebat marito, et Dominum eum vocabat. Ibid.* 18. 12. *Vide* 1. *Petr.* 3. 6.

Si maritum habuerit (*mulier*), et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento : quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat, etc. *Num.* 30. 7. 8. Sin autem extemplò contradixerit (*maritus*), non tenebitur promissionis rea : quia

maritus contradixit, et Dominus eis propitius erit. *v.* 13. *Vide totum hoc caput, de uxoribus disserens.*

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœmineâ: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. *Deut.* 22. 5. *Vide Esther. c.* 1. *per totum.*

Et apprehendentes parentes (*Saræ*) filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Tob.* 10. 12. 13.

Mulier gratiosa inveniet gloriam: et robusti habebunt divitias. *Prov.* 11. 16.

Mulier diligens, corona est viro suo: et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit. *Ibid.* 12. 4. *Vide c.* 31. *de laudibus mulieris fortis.*

*Paulus Corinthios instruit de matrimonio, ejusque usu, et indissolubili vinculo, innuptis commendans cœlibatum, et quomodò fidelis cum infideli conjuge se habere debeat, etc.* 1. *Cor. c.* 7. *per tot.*

Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur. *Ibid.* 11. 5. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. *v.* 9. *Vide cæteros versus usq. ad v.* 16.

Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiâ. *Ibid.* 14. 34. 35.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniàm vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ. *Ephes.* 5. 22. 23. *Vide v.* 33. *Item Coloss.* 3. 18.

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 1. *Tim.* 2. 11. *Vide duos versus præcedentes, et reliquos sequentes.*

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. *Ibid.* 3. 11.

Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, benè docentes: ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. *Tit.* 2. 3. 4. 5. *Vide* 1. *Petr.* 3. 1. *usquè ad v.* 7.

VÆ.

*Væ, væ, quibus et quam ob causam interminetur Scriptura Sacra.*

Væ tibi, Moab, peristi, populo Chamos, dedit filios ejus in fugam, et filias in captivita-

tem regi Amorrhæorum Sehon. *Num.* 21. 29. *Vide* 4. *Esdr.* 16. 1. 17.

Væ genti insurgenti super genus meum : Dominus enim omnipotens vindicabit in eis : in die judicii visitabit illos. *Judith* 16. 20.

Meliùs est ergò duos esse simul, quàm unum : habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit, ab altero fulcietur : væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. *Eccles.* 4. 9. 10.

Væ tibi, terra, cujux rex puer est, et cujus principes manè comedunt. *Ibid.* 10. 16. *Vide Prov.* 23. 29.

Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo : et ideò non protegentur ab eo. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, etc. *Eccli.* 2. 14. *et seq. Vide c.* 31. 7.

Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem domini altissimi. *Ibid.* 41. 11. *Vide* 1. *Reg.* 4. 8.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsùm. *Isa.* 1. 4. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israël: Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. *v.* 24. Agnitio vultûs eorum respondebit eis : et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt : væ animæ eorum, quoniàm reddita sunt eis mala. *Ibid.* 3. 9. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *v.* 11.

Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usquè ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ ? *Ibid.* 5. 8. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum, etc. *v.* 18. *Vide v.* 11. 20. 21. *et* 22.

Et dixi : Væ mihi (*Isaiæ*), quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis, etc. *Ibid.* 6. 5.

Væ qui condunt leges iniquas: et scribentes, injustitiam scripserunt : ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. *Ibid.* 10. 1. 2. *Vide v.* 5.

Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis : et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. *Ibid.* 17. 12.

Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ. *Ibid.* 18. 1. *Vide c.* 24. 16.

Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes à vino. *Ibid.* 28. 1.

Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David : additus est annus ad annum : solemnitates evolutæ sunt. *Ibid.* 29. 1. *Vide v.* 15.

Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per Spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum. *Ibid.* 30. 1. *Vide c.* 31. 1.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ? et qui sper nis, nonne et ipse sperneris ? cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis ? cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris. *Ibid.* 33. 1.

Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ : nunquid dicet lutum figulo suo : Quid facis ? et opus tuum absque manibus est ? Væ qui dicit patri : Quid generas ? et mulieri : Quid parturis ? *Ibid.* 45. 9. 10.

Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ : vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos. *Jerem.* 4. 31. *Vide caput* 10. 19.

Adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ : super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi, Jerusalem, non mundaberis post me : usquequò adhuc ? *Ibid.* 13. 27. *Vide c.* 15. 10.

Væ qui ædificat domum suam in injustitiâ, et cænacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustrà, et mercedem ejus non reddet ei. *Ibid.* 22. 13. *Vide v.* 18.

Væ pastoribus, qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. *Ibid.* 23. 1. *Vide c.* 30. 7.

Dixisti : Væ misero mihi, quoniàm addidit Dominus dolorem dolori meo : laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. *Ibid.* 45. 3. *Vide c.* 48. 1.

Hæc dicit Dominus Deus : Percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic : Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israël : quia gladio, fame, et peste ruituri sunt. *Ezech.* 6. 11.

Hæc dicit Dominus Deus : Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. *Ibid.* 13. 3. Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus : et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas : et cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. *v.* 18.

Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus), et ædificasti

tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, etc. *Ibid.* 16. 23. 24. *Vide caput* 24. 9.

Fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate, væ, væ diei : quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini : dies nubis, tempus Gentium erit. *Ibid.* 30. 2. 3.

Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos : nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. *Ib.* 34. 2. 3.

Væ eis (*Israëlitis*), quoniàm recesserunt à me : vastabuntur, quia prævaricati sunt in me : et ego redemi eos : et ipsi locuti sunt contra me mendacia. *Oseæ* 7. 13.

A, a, a, diei, quia prope est dies Domini, et quasi vastitas à potente veniet. *Joel.* 1. 15.

Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, et non lux. *Amos* 5. 18.

Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël. *Ibid.* 6. 1.

Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : in luce matutinâ faciunt illud, quoniàm contra Deum est manus eorum. *Mich.* 2. 1. *Vide c.* 7. 1.

Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena : non recedet à te rapina. *Nahum* 3. 1.

Væ ei, qui multiplicat non sua; usquequo et aggravat contra se densum lutum? Numquid non repentè consurgent qui mordeant te : et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? *Habac.* 2. 6. 7. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. *v.* 9. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate, etc. *v.* 12. *Vide v.* 15. *et* 19.

Væ, qui habitatis funiculum maris, gens perditorum : verbum Domini super vos, Chanaan terra Philisthinorum, et disperdam te, etc. *Soph.* 2. 5.

Væ, provocatrix, et redempta civitas, columba. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit. *Ibid.* 3. 1. 2. *Vide* 1. *Mach.* 2. 7.

Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida : quia, si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent. *Matth.* 11. 21. *Idem verbatim habetur. Luc.* 10. 13.

Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini

illi, per quem scandalum venit. *Ibid.* 18. 7. *Vide c.* 26. 2*h*. *Item Marcum* 14. 21. *Lucum* 22. 22.

*Multiplex* væ *Scribis et Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus ob hypocrisim, et reliquas suas iniquitates Christus interminatur. Ibid.* 23. 13. *et seq. per tot caput. Vide c.* 24. 19. *Item Marc.* 13. 17. *Luc.* 21. 23.

Verumtamen væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc : quia lugebitis, et flebitis. Væ cùm benedixerint vobis homines. *Luc.* 6. 24. *et seq.*

Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham et rutam, et omne olus, et præteritis judicium, et caritatem Dei : hæc enim oportuit facere, et illa non omittere, etc. *Ibid.* 11. 42. *Vide v.* 43. 44. 46. 47. *et* 52.

Impossibile est, ut non veniant scandala : væ autem illi, per quem veniunt. *Ibid.* 17. 1.

Væ enim mihi est, si non evangelizavero. 1. *Cor.* 9. 16.

Væ illis, quia in viâ Caïn abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt. *Judæ v.* 11.

Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. *Apoc.* 12. 12. *Vide c.* 8. 13. *c.* 9. 12. *c.* 11. 14.

Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis : quoniàm unâ horâ venit judicium tuum. *Ibid.* 18. 10. Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpurâ, et coco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis, etc. *v.* 16.

VALEDICTIO.

*Valedictionis ritus.*

*Parentes et fratres Rebeccæ abeunti omnia bona adprecantur. Gen.* 24. 60.

*Isaac Jacobo profecturo in Mesopotamiam benedicit. Ibid.* 28. 1.

Et dixit (*Laban*) ad Jacob : Quarè ita egisti, ut clàm me abigeres filias meas, quasi captivas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio? etc. Non es passus, ut osculari filios meos et filias — Esto, ad tuos ire cupiebas, etc. *Ibid.* 31. 26. *et seq.* Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas (*proficiscentes*), et benedixit illis : reversusque est in locum suum. *v.* 55.

*Jacob filiis suis abeuntibus in Ægyptum bona precatur et optat. Ibid.* 43. 14.

*Vide pulcherrimum exemplum in hâc materiâ hinc indè à se discedentium fœminarum,*

*quomodò invicem valedicant, et benè precentur sibi, flentes, etc. Ruth c.* 1. *per totum.*

*Dixit Tobias filio suo, et comiti ejus :* Benè ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quæ erant in viâ portanda, fecit Tobias vale patri suo, et matri suæ; et ambulaverunt ambo simul, *flente matre*, etc. *Tob.* 5. 21. 22.

*Parentes Saræ cùm filiam et sponsum ejus Tobiam juniorem non diutiùs secum habere possent, illis abeuntibus benè precantur, dicentes :* Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, etc. *Ibid.* 10. 11. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire, etc. *v.* 12.

*Ephesii magno fletu osculantur Paulum, jàmjàm ab ipsis discessurum*, procumbentes super collum *ejus*, *et* dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniàm ampliùs faciem ejus non essent visuri : et deducebant eum ad navem. *Actor.* 20. 37. 38.

*Vendere.* Vide *Emere.*

*Vendere non licet dona Dei.* Vide *Simonia.*

VENTER.

*Venter pro Deo eligitur.*

Hujuscemodi enim (*qui dissensiones et offendicula faciunt*) Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones, seducunt corda innocentium. *Rom.* 16. 18. *Vide* 1. *Cor.* 6. 13.

Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis interitus : quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philipp.* 3. 18. 19.

VENTUS.

*Venti in manu Dei sunt.*

Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arcâ, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. *Gen.* 8. 1.

Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, et Dominus induxit ventum urentem totâ die illâ et nocte : et mane facto, ventus urens levavit locustas. *Exod.* 10. 13. *Vide v.* 19.

Cùmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, et urente totâ nocte : et vertit in siccum, divisaque est aqua. *Ibid.* 14. 21. *Vide c.* 13. 10.

Ventus autem ingrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, et demisit

in castra, itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. *Num.* 11. 31.

*Deus* transtulit Austrum de cœlo : et induxit in virtute suâ Africum. *Psal.* 77. 26.

*Tu Deus* extendens cœlum sicut pellem : qui tegis aquis superiora ejus. Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum. *Psal.* 103. 1. 3. *Vide Psal.* 17. 11. 43. *Item* 2. *Reg.* 22. 11.

Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terrâ, in mari, et in omnibus abyssis. Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis. 134. 6. 7. *Vide eadem verba Jerem.* 10. 13. *et c.* 51. 16.

Quia eccè (*Deus*) formans montes, et creans ventum — faciens matutinam nebulam, etc. *Amos* 4. 13. *Vide v.* 19. *Item Aggæi* 2. 18.

Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. *Jonæ* 1. 4.

Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat. *Ibid.* 4. 8.

Tunc surgens (*Christus*) imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26. *Vide v.* 27. *Item Marc.* 4. 39. 40. *Item Luc.* 8. 23. 24. 25.

VERBUM.

*Verbum Dei semper ob oculos ponendum.*

Recordentur (*filii Israël*) omnium mandatorum Domini : nec sequantur cogitationes suas — sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* 15. 39. 40.

Et nunc, Israël, audi præcepta, et judicia, quæ ego doceo te : ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. *Deut.* 4. 1. *Vide v.* 2. 9. *et* 40.

Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo, etc. *Ibid.* 6. 6. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, et cæremonias, quas præcepit tibi. *v.* 17. *Vide c.* 7. 11.

Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate, etc. *Ibid.* 11. 18.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo ; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, etc. *Josue* 1. 8.

Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte. *Psal.* 1. 2.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. *Prov.* 3. 1.

Audite, filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam. *Ibid.* 4. 1. Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam, etc. *v.* 20. *Vide v.* 10.

Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, etc. *Ibid.* 6. 20.

Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Fili, serva mandata mea, et vives, etc. *Ibid.* 7. 1. 2.

*A verbo Dei non recedendum.*

Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo : custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. *Deut.* 4. 2.

Custodite igitur, et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram : sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et benè sit vobis, etc. *Ibid.* 5. 32. 33.

*Deus benefaciet tibi :* si tamen audieris mandata *ejus* — et feceris, ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, etc. *Deut.* 28. 13. 14. *Vide v.* 15. *et seq.*

Confortare igitur (*Josue*), et esto robustus valdè : ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus : ne declines ab eâ ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. *Josue* 1. 7. *Vide c.* 23. 6.

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram ; averte pedem tuum à malo; vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus ; perversæ verò sunt : quæ à sinistris sunt. *Prov.* 4. 27.

Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : hæc est via, ambulate in eâ : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. *Isa.* 30. 21.

*Verbum Dei universum non est scriptis traditum.*

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *Joan.* 14. 26.

Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros, *Ibid.* 21. 25. *Vide c.* 20. 30.

Si quis esurit, domi manducet ; ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, disponam. 1. *Corr.* 11. 34.

Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

Plura habens vobis scribere,

nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan. v.* 12.

Multa habui tibi scribere : sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. Spero autem protinùs te videre, et os ad os loquemur. 3. *Joan. v.* 13. 14.

*Verbum Dei non audiendum solum et loquendum, sed et corde credendum, et factis præstandum.*

*Caïn admonitus exteriore voce Dei, ab inceptâ iniquitate non destitit : hinc patet, quòd exterior exhortatio sine interiore parum est efficax. Gen.* 4. 6.

Locutusque est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen — et credidit populus. Audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israël — et proni adoraverunt. *Exod.* 4. 30. 31.

Responditque omnis populus (*Moysi*) unâ voce : Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. *Ibid.* 24. 3. Assumensque (*Moyses*) volumen fœderis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. *v.* 7.

Vocavitque Moyses omnem Israëlem, et dixit ad eum : Audi, Israël, ceremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodiè : discite ea, et opere complete. *Deut.* 5. 1. Tu magis accede (*dixit populus Moysi*) : et audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi ; loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. *v.* 27.

Hæc sunt præcepta et ceremoniæ atque judicia (*ait Moyses filiis Israël*), quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos, et faciatis ea in terrâ, ad quam transgredimini possidendam, etc. *Ibid.* 6. 1. *Vide v.* 3. *et c.* 8. 1.

*Dixit Moyses Josue :* Convenientibus cunctis ex Israël, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni populo Israël audientibus eis, et in unum omni populo congregato, tàm viris quàm mulieribus, parvulis, et advenis, qui sunt intra portas tuas : ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus, etc. *Ibid.* 31. 11. 12.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo (*ait Dominus Josue*) : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, et facias omnia quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue* 1. 8.

*Eglon, rex Moab,* sedebat in æstivo cœnaculo solus, dixit-

que *ad eum Aod :* Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno, *quasi reverentiam exhibens verbo Dei. Judic.* 3. 20.

*Bene docuit Samuelem Heli, ut diceret Domino loquenti sibi :* Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3. 9. *Vide v.* 10.

*Esdras attulit librum legis,* et legit in eo apertè — de manè usquè ad mediam diem — et aures omnis populi erant erectæ ad librum. 2. *Esdr.* 8. 3. Flebat enim omnis populus, cùm audiret verba legis. *v.* 9. *Vide totum caput.*

*Respondens Job, dixit Domino :* Auditu auris audivi te, etc. *Job* 42. 5.

Et dixit Dominus : Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis : ideò eccè ego addam, etc. *Isa.* 29. 13. 14.

*Factum est verbum ad Jeremiam, dicens :* Noli subtrahere verbum (*Dei*), si fortè audiant (*filii Israël*), et convertantur unusquisque à viâ suâ malâ : et pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. *Jerem.* 26. 2 *Vide v.* 13.

Et veniunt ad te (*ait Dominus Ezechieli*), quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus : et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos : quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea. *Ezech.* 33. 31. 32.

Et pervenit verbum (*Jonæ*) ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum à se, et indutus est sacco, et sedit in cinere : *sic et populus fecit. Jonæ* 3. 6. *Vide v.* 3. *imo tot. caput.*

Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio, etc. *Matth.* 5. 21. *Vide reliquum capitis.*

Omnis ergò, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam suprà petram, etc. *Ibid.* 7. 24. *Vide v.* 21. *et* 26.

Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longè est à me. *Ibid.* 15. 8. *Vide Marc.* 7. 6.

Euntes ergò docete omnes gentes — docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et eccè ego vobiscum sum omnibus diebus, usquè ad consummationem sæculi. *Ibid.* 28. 19. 20. *Item Marc.* 16. 15.

*Cùm turbæ irruerent in Dominum Jesum, ut audirent verbum Dei,* sedens, docebat

de naviculâ turbas. *Luc.* 5. 3. *Petrus autem cum sociis*, subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt *Dominum. v.* 11.

Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos : ostendam vobis cui similis sit, etc. *Ib.* 6. 47. *Vide* 46. 48. 49.

*Maria soror Marthæ*, sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius. *Ibid.* 10. 39. *Et audivit tandem Dominum dicentem :* Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. *v.* 43.

At ille dixit (*Jesus cuidam mulieri*) : Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Ibid.* 11. 28. *Vide c.* 12. 47.

Et erat (*Jesus*) docens quotidie in templo. *Ibid.* 19. 47. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. *v.* 48. *Vide c.* 21. 37. 38.

Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. *Joan.* 13. 17.

*Facto sermone à Petro ad plebem in die Pentecostes post adventum Spiritûs Sancti, dicitur :* His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? *et baptizati sunt tria millia hominum. Act.* 2. 37. 41.

*Post sanationem claudi et sermonem Petri, sequitur :* Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. *Ibidem* 4. 4.

Convocantes autem duodecim (*Apostoli*) multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. *Nota tamen, quod illæ mensæ erant pauperum viduarum ; per quod datur intelligi, quod opus prædicationis verbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis. Ibid.* 6. 2.

Et non poterant resistere (*Judæi*) sapientiæ et Spiritui, qui (*per beatum Stephanum*) loquebatur. *Ibid. v.* 10.

Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, etc. *Ibid.* 8. 5. 6.

Aperiens autem Philippus os sum — evangelizavit illi (*Eunucho*) Jesum, *et venientes ad quamdam aquam, confessus est Eunuchus se credere, et Philippus baptizavit eum. Ibid. v.* 35 *et seq.*

*Noluit Dominus instruere Cornelium per Angelum, sed mandavit ei, ut accerseret Simonem Petrum, et hic doceret eum, et diceret, quid eum facere oporteret. Ibid.* 10. 5. 6.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum *illius. Ibid. v.* 44.

*Audiebant gentes, quod Judæi repellebant verbum Dei,*

*et quod Paulus et Barnabas volebant prædicare eis et* gavisæ sunt : et glorificabant verbum Domini : et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. *Ibid.* 13. 48. 49.

Factum est autem Iconii, ut simul (*Paulus et Barnabas*) introirent in Synagogam Judæorum, et loquerentur, ità ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. *Ibid.* 14. 1.

Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, *audivit Paulum loquentem, cui Dominus aperuit cor, et baptizata est cum domo suâ. Ibid.* 16. 14. 15.

*Venientes Paulus et Silas Beræam, introierunt in Synagogam Judæorum, et multi* susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ità se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, etc. *Ibid.* 17. 11. 12.

Cùm audissent autem (*Athenienses Paulum prædicantem*) resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt : Audiemus te de hoc iterùm. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis. *Ibid. v.* 32. *et seq.*

*Mansit Paulus Ephesi per biennium*, quotidiè disputans in Scholâ tyranni cujusdam — ità ut omnes, qui habitabant in Asiâ, audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles. *Ibid.* 19. 9. 10.

*Postquam rex Agrippa audierat Paulum, dixit ei :* In modico suades me Christianum fieri. *Ibid.* 26. 28.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *Rom.* 2. 13.

Estote autem factores verbi, et non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. *Jacob.* 1. 22.

*Verbi Dei contemptus, et punitio ejus.*

*Justus Lot piè admonebat Sodomitas, dicens* : Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere : *cùmque illi contumaciter responderent :* Recede illùc, *hinc patet, quòd perversi difficile corriguntur. Gen.* 19. 7.

Cùmque audisset rex (*Jeroboam*) sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altare, dicens : Apprehendite eum : (*scilicet prophetam de judâ missum ad illum*) et exaruit manus ejus, quam extenderat contrà eum : nec valuit retrahere eam ad se. 3. *Reg.* 13. 4. *Vid.* 4. *Reg.* 17. 14. 19. *Item* 2. *Paral.* 36. 15.

*Achab rex nolebat audire*

*Michæam Prophetam Domini, quia non prophetabat ei bonum, sed malum. Ibid.* 22. 8. *Vide totum contextum. Item* 2. *Paral.* 18. 7.

Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. *Prov.* 1. 24. Tunc invocabunt me, et non exaudiam : manè consurgent, et non invenient me : eò quòd exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, etc. *v.* 28. 29.

Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Ibid.* 28. 9. *Vide Isa.* 28. 14. *et c.* 29. 13.

Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. *Isa.* 30. 9. *Vide v.* 12.

Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam. Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis : pro eo quòd vocavi, et non respondistis : locutus sum, et non audistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis. *Ibid.* 65. 11. 12. *Item c.* 66. 4. *Vide Jerem.* 2. 5.

Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse : neque veniet super nos malum : et gladium et famem non videbimus, etc. *Jerem.* 5. 12. Annuntiate hoc domui Jacob, et auditum facite in Judâ, dicentes : Audi, populе stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis, et aures, et non auditis. *v.* 20. 21. *Vide c.* 7. 13.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Eccè ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii, et vocem lætitiæ : vocem sponsi, et vocem sponsæ. *Ibid.* 16. 9.

*Jeremias per lagunculam terream quam fregit, ostendit populum Israëliticum perdendum gladio, et fame, et obsidione, in quâ patres filios comedant, propter multiplicem ipsorum idololatriam, et contemptum verbi Dei. Jerem. c.* 19. *per totum*

Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculò, mittensque, et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis, etc. *Ibid.* 25. 4. *Vide v.* 7. *Item c.* 35. 15.

*Dixit Dominus Ezechieli :* Fili hominis, vade ad domum Israël, et loquêris verba mea ad eos. *Ezech.* 3. 4. Domus autem Israël nolunt audire te : quia nolunt audire me, etc. *v.* 7.

Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. *Matth.* 10. 14. *Item Luc.* 10. 10. 11.

Tunc cœpit (*Jesus*) exprobrare civitatibus, in quibus

factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. *Ibid.* 11. 20.

Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. *Actor.* 13. 45.

Contradicentibus autem eis (*Judæis*), et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua (*Paulus*), dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego : ex hoc ad Gentes vadam. *Ibid.* 18. 6.

Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1. 21.

### *Verbum Dei manet in æternum.*

Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergò, et non faciet ? locutus est, et non implebit ? *Num. c.* 23. *v.* 19.

Propè erit interitus Ninive ; non enim excidit verbum Domini : et fratres nostri, qui dispersi sunt à terrâ Israël, revertentur ad eam. *Tob.* 14. 6.

Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem. *Psal.* 32. 11.

Quoniàm confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. *Psal.* 116. 2.

In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. *Psal.* 118. 89.

Verè fœnum est populus : exsiccatum est fœnum, et cecidit flos : Verbum autem Domini nostri manet in æternum. *Isa.* 40. 7. 8.

Levate in cælum oculos vestros, et videte sub terrâ deorsum : quia cæli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. *Ibid.* 51. 6.

Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet à te, et fœdus pacis meæ non movebitur : dixit miserator tuus Dominus. *Ib.* 54. 10.

Nolite putare, quoniàm veni solvere, legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere, etc. *Matth.* 5. 17. *Videv.* 18.

Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *Ibid.* 24. 35. *Idem verbatim habetur Marc.* 13. 31. *et Luc.* 21. 33.

Facilius est autem cœlum et terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere. *Luc.* 16. 17.

Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos. 1. *Petr.* 1. 25.

*Verbum Dei quantæ sit virtutis et efficaciæ.*

Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux, etc. *Gen.* 1. 3. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum : et dividat aquas ab aquis, etc. *v.* 6. *Vide totum caput.*

Et dixi : Usque hùc venies (*mare*), et non procedes ampliùs, et hîc confringes tumentes fluctus tuos. *Job* 38. 11.

Quoniàm ipse (*Deus*) dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. *Psal.* 32. 9. *Item Psal.* 148. 5. *Vide Judith* 16. 17.

Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. *Isa.* 46. 10.

Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud. *Ibid.* 55. 11.

Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illâ horâ. *Matth.* 8. 13. *Vide v.* 26.

Et mirati sunt omnes, ità ut conquirerent inter se, dicentes : Quidnam est hoc ? quænam doctrina hæc nova ? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei : *Marc.* 1. 27.

Et extendens (*Jesus*) manum, tetigit eum (*leprosum*), dicens : Volo : Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. *Luc.* 5. 13. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, (ait paralytico) : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. *v.* 24. *Vide Matth.* 8. 3. *et c.* 9. 6. *Item Marc.* 1. 41. *et c.* 2. 11.

Accedentes autem (*discipuli*) suscitaverunt eum (*Jesum*) dicentes : Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit, et facta est tranquillitas. *Ibid.* 8. 24. *Vide Matth.* 8. 26. *Marc.* 4. 39. *Vide quoque Marc.* 5. 41. *Luc.* 7. 14. *et c.* 8. 54. *Item Joan.* 11. 43.

*Verbum Dei est cibus animæ.*

Afflixit te (*Israël*) penuriâ, et dedit tibi (*Deus*) cibum manna, quod ignorabas tu, et patres tui : ut ostenderet tibi, quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. *Item Matth.* 4. 4. *et Luc.* 4. 4.

Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniàm non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. *Sap.* 16. 26. *Vide v.* 12.

Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium, et

in lætitiam cordis mei : quoniàm invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. *Jerem.* 15. 16.

Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi, etc. *Ezech.* 3. 3. *Vide Apoc.* 10. 9. 10.

*Verba sunt ponderanda, et non leviter effutienda.*

Jucundus homo qui miseretur et commodat : disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. *Psal.* 111. 5. 6.

Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* 13. 3.

Lingua sapientium ornat scientiam : os fatuorum ebullit stultitiam. *Ibid.* 15. 2. Lætatur homo in sententiâ oris sui : et sermo opportunus est optimus. *v.* 23.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est; et pretiosi spiritus vir eruditus. *Ibid.* 17. 27.

Vas pretiosum labia scientiæ. *Ibid.* 20. 15.

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Ibid.* 21. 23. *Vide c.* 25. 11.

Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccles.* 5. 2. *Vide c.* 12. 10.

Homo sapiens tacebit usquè ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. *Eccli.* 20. 7. *Vide v.* 6. 13. *et* 29.

Doctrinam oris audite, filii : et qui custodierit illam, non peribit labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. *Ibid.* 23. 7.

Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos : et attende ne fortè labaris in linguâ, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. *Ibid.* 28. 29. 30. *Vide c.* 32. 18.

Dico autem vobis, quoniàm omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii, etc. *Matth.* 12. 36.

Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus, ut sciatis quomodò oporteat vos unicuique respondere. *Coloss.* 4. 6.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. *Jacob.* 1. 19.

VERITAS.

*Veritatis vis quanta.*

Qui corripit hominem, gratiam posteà inveniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. *Prov.* 28. 23.

Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt

resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc.* 21. 15.

State ergò succincti lumbos vestros in veritate. *Ephes.* 6. 14.

*Veritas odium parit.*

Videntes autem fratres ejus (*Joseph*), quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. *Gen.* 37. 4.

*Balac rex Moab multùm dolebat, quandò Balaam bona dicebat de filiis Israël, licet essent vera; nec cum honoravit, sicut honorasset, si ei placentia verba dixisset :* Decreveram quidem magnificè honorare te, etc. *Num.* 24. 10. 11.

*Joatham filius Gedeonis fugit à facie Abimelech, cùm dixisset verum de eo, et de illis qui malè illum elegerant. Judic.* 9. 21.

*Iratus est Saül contra Jonathan filium suum, quia hic excusabat David, qui verè innocens erat ergà ipsum Saül. Reg.* 20. 33.

*Baasa rex Israël occidit Jehu Prophetam, quia prophetavit mala ipsi et domui ejus, propter mala, quæ fecerunt contra Dominum. 3. Reg.* 16. 7.

*Similiter Achab oderat Michæam Prophetam, quia illi dicebat veritatem. Ibid.* 22. 27. Sed ego odi eum, *inquit*, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. *v.* 8. *Vide* 2. *Paral.* 18. 1.

*Cùm increpasset Hanani Propheta Asa regem Juda, quia confisus est in Benadad rege Syriæ, iratus est Asa, misitque Prophetam in carcerem.* 2. *Paral.* 16. 10.

*Ad imperium regis Joas lapidatus est Zacharias sacerdos, quia regem et principes arguebat, eò quòd Dominum dereliquissent. Ibid.* 24. 21.

*Oziæ regi Azarias sacerdos et reliqui sacerdotes Dei restiterunt ne adoleret incensum Domini; sed iratus rex minabatur sacerdotibus, tenens in manu thuribulum.* Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, etc. *Ibid.* 26. 19.

*Cùm narrasset Achior magnalia, quæ fecerat Deus filiis Israël, et magnum ejus potestatem exaltasset,* irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum. Indignatus *est quoque* Holofernes vehementer. *Judith.* 5. 26. *et c.* 6. 1.

*Sedecias rex Juda clausit prophetam Jeremiam in atrio carceris*, dicens : Quarè vaticinaris, dicens : Hæc dicit Dominus? etc. *Jerem.* 32. 3.

*Cùm legisset Baruch verba, quæ scripserat ex ore Jeremiæ coram Joakim rege Juda, fecit rex in ignem projici volumen; quia dicebatur ibi veritas de civitate Jerusalem capiendâ. Et præcepit rex, Baruch et Jeremiam comprehendi; sed*

*Deo permittente, tunc non fuerunt inventi. Ibid.* 36. 32.

*Postmodum verò, cùm iterum prophetaret Jeremias captionem civitatis Jerusalem, missus est* in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum : descendit itaque Jeremias in cœnum. *Ibid.* 38. 6.

*Pro eo quòd probavit Daniel, Bel et Draconem non esse Deos, Babylonii congregati sunt adversùm regem, qui* necessitate compulsus tradidit eis Danielem : *ipsique* miserunt eum in lacum leonum. *Dan.* 14. 29. 30.

*Ex bonis et veris sermonibus Eleazari, hi qui eum trahebant ad supplicium,* et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt. 2. *Mach.* 6. 29.

*Quia Joannes Baptista dicebat Herodi :* Non licet tibi habere eam (*scil. uxorem fratris tui*), *posuit eum Herodes in carcerem, et posteà decollavit. Matth.* 14. 4. *Vide Marc.* 6. 18. *Luc.* 3. 19.

Et cùm audissent principes Sacerdotum, et Pharisæi parabolas ejus (*Christi*), cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas : quoniàm sicut prophetam eum habebant. *Ibid.* 21. 45. 46. *Vide Marc.* 12. 12. *Luc.* 20. 19.

*Cùm Dominus increpasset hypocritas et Pharisæos,* cœperunt *illi* graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum. *Luc.* 11. 53. 54. *Vide c.* 4. 28.

Non potest mundus odisse vos (*inquit Christus ad discipulos suos*) : me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt. *Joan.* 7. 7. *Vide c.* 15. 18. *et seq. usq. ad fin. et c.* 17. 14.

*Pharisæi cæco nato, à Domino illuminato, maledixerunt, et extra Synagogam ejecerunt, eò quòd veritatem constantissimè fatebatur. Ibid.* 9. 34.

*Principes Sacerdotum, audientes verba Apostolorum,* dissecabantur, et cogitabant interficere illos. *Actor.* 5. 33. Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne omninò loquerentur in nomine Jesu, etc. *v.* 40.

Audientes autem hæc (*Judæi beati Stephani verba*), dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. *Ibid.* 7. 54. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. *v.* 57.

*Multos et magnos habuit adversarios beatus Paulus, pro verbis veritatis et fidei, quibus* confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, etc. *quique propterea* consilium fecerunt in unum — ut eum interficerent. *Ibid.* 9. 22. 23.

Ergò inimicus vobis factus

sum ( *inquit Paulus* ) , verum dicens vobis ? *Galat.* 4. 16.

*Veritas commendatur.*

Tertius scripsit ( *scilicet de tribus custodibus corporis regis Darii, proponentibus problema* ) : Fortiores sunt mulieres : super omnia autem vincit veritas. 3. *Esdr.* 3. 12.

Nonne — veritas magna , et fortior præ omnibus ? Omnis terra veritatem invocat , cœlum etiam ipsam benedicit , et omnia opera moventur , et tremunt eam , et non est cum eâ quidquam iniquum. — Et veritas manet , et invalescit in æternum, et vivit, et obtinet in sæcula sæculorum — Benedictus Deus veritatis. — Magna est veritas , et prævalet. *Ibid.* 4. 35. *et seq. Vide* 4. *Esdr.* 14. 17.

Et facta est veritas in oblivionem : et qui recessit à malo , prædæ patuit ; et vidit Dominus , et malum apparuit in oculis ejus , quia non est judicium. *Isa.* 59. 15.

Hæc sunt ergò verba , quæ facietis : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem, et judicium pacis judicate in portis vestris. *Zach.* 8. 16. *Vid. v.* 19. *Item Matth.* 5. 37.

Propter quod deponentes mendacium , loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniàm sumus invicem membra. *Ephes.* 4. 25. *Vide c.* 6. 14. *Item Jacob.* 5. 12. 1. *Petr.* 2. 1.

*Firmiter conservanda.*

Quoniàm veritatem requiret Dominus. *Psal.* 30. 24.

Eccè enim veritatem dilexisti ( *Deus* ). *Psal.* 50. 8.

Et ne auferas de ore meo ( *Domine* ) verbum veritatis usquequaque. *Psal.* 118. 43.

Aperite portas , et ingrediatur gens justa , custodiens veritatem. *Isa.* 26. 2.

Robur autem datum est ei ( *arieti* ) contra juge sacrificium propter peccata : et prosternetur veritas in terrâ , etc. *Dan.* 8. 12.

Veritatem tantùm , et pacem diligite. *Zach.* 8. 19.

Ille ( *diabolus* ) homicida erat ab initio , et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo. *Joan.* 8. 44.

Veritatem autem facientes in caritate , crescamus in illo per omnia , qui est caput Christus. *Ephes.* 4. 15.

Fructus enim lucis est in omni bonitate , et justitiâ , et veritate. *Ibid.* 5. 9.

Qui veritate privati sunt , *existimant* quæstum esse pietatem. 1. *Tim.* 6. 5.

*Reverenter honoranda.*

Super omnia autem vincit veritas. 3. *Esdr.* 3. 12.

Et omnes populi clamaverunt , et dixerunt : Magna est veritas , et prævalet. *Ib.* 4. 41.

Quarè detraxistis sermonibus veritatis ? *Job* 6. 25.

Scuto circumdabit te veritas ejus (*Dei*). *Psal.* 90. 5. *Vide Psal.* 84. 11. 12.

Et veritas Domini manet in æternum. *Psal.* 116. 2. *Vide Psal.* 14. 3.

Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Prov.* 12. 19.

Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confunderc. *Eccli.* 4. 30.

Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. *Matth.* 22. 16. *Vide Marc.* 12. 14. *Luc.* 20. 21.

Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Joan.* 1. 17.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. *Ibid.* 4. 23. *Vide v.* 24.

Si *vos* manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Ibid.* 8. 31. 32. *Vide v.* 40. 44. 45. 46.

Ego sum via, et veritas, et vita. *Ibid.* 14. 6.

*Pater sancte*, sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. *Ibid.* 17. 17.

Ego in hoc natus sum (*ait Jesus*), et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? *Ibid.* 18. 37. 38.

*Caritas* non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati. 1. *Cor.* 13. 6.

Non enim possumus aliquid adversùs veritatem, sed pro veritate. 2. *Cor.* 13. 8.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? *Galat.* 3. 1. *Vide* 1. *Joan.* 3. 18. 19.

### VESTIS.

*Vestis virilis mulieri illicita, et contrà.*

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste femineâ: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. *Deut.* 22. 5.

*Vestiendi sunt nudi*, Vide et *Eleemosynà.*

*Tobias* esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, etc. *Tob.* 1. 20. *Vide c.* 4. 17.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7.

*Qui* hominem non contristaverit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, etc. *Ezech.* 18. 7. *Idem repetitur v.* 16.

Nudus (*fui*) et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me, etc. *Matth.* 25. 36. *Vide v.* 43.

Qui habet duas tunicas, det non habenti, etc. *Luc.* 3. 11.

Si autem frater et soror nudi

sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? *Jacob.* 2. 15. 16.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodò caritas Dei manet in eo? 1. *Joan.* 3. 17.

*Vestium abusus.* Vide *Abusus vestium.*

*Vestes varias ob causas scinduntur.*

Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum (*Joseph*). Et, scissis vestibus, pergens ad fratres suos, ait : Puer non comparet, et ego quò ibo? *Gen.* 37. 29.

*Jacob* scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum (*Joseph*) multo tempore. *Ibid. v.* 34.

*Cùm scyphus de industriâ occultatus, inventus est in sacco Benjamin, fratres Joseph* scissis vestibus, — reversi sunt in oppidum. *Ibid.* 44. 13.

*Josue et Caleb* sciderunt vestimenta sua *propter murmur populi. Num.* 14. 6.

Josue verò scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usquè ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israël; miseruntque pulverem super capita sua : et dixit Josue : Heu Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? *Josue* 7. 6. 7.

Revertente autem Jephte (*à cæde Ammonitarum*) in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis, et choris : non enim habebat alios liberos. Quâ visâ, scidit (*Jephte*) vestimenta sua, et ait : Heu me, filia mea! decepisti me, et ipsa decepta es : aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero (*scilicet, nisi ut te sacrificem Domino, pro victoriâ obtentâ contra hostes*). *Judic.* 11. 34. 35.

Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illâ (*scilicet quâ capta est arca Dei*), scissâ veste, et conspersus pulvere caput. 1. *Reg.* 4. 12.

*Accepto nuntio de morte Saül*, David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam, super Saül, et super Jonathan filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israël, eò quòd corruissent gladio. 2. *Reg.* 1. 11. 12. *Vide v.* 2.

Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum : Scindite vestimenta vestra, et

accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner. Porrò rex David sequebatur feretrum. *Ibid.* 3. 31.

*Thamar* aspergens cinerem capiti suo, scissâ talari tunicâ, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans. *Ibid.* 13. 19.

Surrexit itaque rex (*David*), et scidit vestimenta sua (*cùm audisset, Absalom omnes regis filios percussisse*), et cecidit super terram, et omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. *Ibid.* v. 31.

Cùmque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, eccè occurrit ei Chusai Arachites, scissâ veste, et terrâ pleno capite. *Ibid.* 15. 32.

Itaque cùm audisset Achab sermones istos (*scilicet Eliæ comminantis sibi mala*), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. 3. *Reg.* 21. 27.

*Scindit rex Israël vestimenta sua, eò quòd jussisset ei rex Syriæ ut Naaman leprosum curaret, quem Eliseus septena in Jordane lotione mundat à leprâ.* 4. *Reg.* 5. 7. 8.

Quod cùm audisset rex (*Syriæ, scilicet quod mulier comedisset filium suum in obsidione Samariæ*), scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. *Ibid.* 6. 30. *Vide c.* 11. 14. *et c.* 18. 37.

Quæ cùm audisset Ezechias rex (*scil. verba Rabsacis*), scidit vestimenta sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum Domini (*ut deprecaretur pro liberatione ab rege Assyriorum*). *Ib.* 19. 1. *Vide c.* 22. 11. 19. *Item* 1. *Esdr.* 9. 3. 5. 3. *Esdr.* 8. 72. 74. *Isa.* 37. 1.

Hæc dicit Dominus Deus Israël: Pro eo quòd audisti verba voluminis (*loquitur Josiæ regi*), et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, et habitatores ejus, quòd videlicet fierent in stuporem, et in maledictum: et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus: idcircò colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, etc. *Ibid.* 22. 18. *et seq. Vide v.* 11. *Item* 2. *Paral.* 34. 19. 27. *et Jerem.* 36. 24.

Quæ cùm Mardochæus (*scilicet quòd Aman impetrasset interitum Judæorum omnium ab Assuero*), scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti: et in plateâ mediæ civitatis voce magnâ clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, et hoc ejulatu usquè ad fores palatii gradiens. *Esther* 4. 1. 2.

Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit, etc. *Job* 1. 20. *Vide c.* 2. 12. *de tribus ejus amicis.*

Et scindite corda vestra — et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitiâ. *Joel.* 2. 13.

Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii ejus (*eò quòd affligebatur civitas, et profanabantur sancta*), et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valdè. 1. *Mach.* 2. 14.

Et jejunaverunt illâ die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et disciderunt vestimenta sua, etc. *eò quòd Antiochus magno belli apparatu miserit Gorgiam contra terram Juda, etc. Ibid.* 3. 47. *Vide et c.* 4. 39.

Et scidit Jonathas vestimenta sua (*quia adversarii prævalebant*), et posuit terram in capite suo, et oravit — et convertit eos (*alienigenas*) in fugam, et pugnaverunt. *Ibid.* 11. 71. 72.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit (*Christus*) : *quid* adhuc egemus testibus ? eccè nunc audistis blasphemiam. *Matth.* 26. 65. *Vide Marc.* 14. 63.

*Sacerdos Jovis volebat Apostolis tauros sacrificare.* Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, concissis tunicis suis, exsilierunt in turbas, clamantes, etc. *Actor.* 14. 12. 13.

Et cucurrit plebs adversùs eos (*Paulum et Silam*) ; et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi, etc. *Ibid.* 16. 22.

*Vestitus mulierum qualis esse debet.*

Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ : sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 1. *Tim.* 2. 9. 10.

Anus similiter in habitu sancto. *Tit.* 2. 3.

Quarum (*mulierum*) non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, etc. 1. *Petr.* 3. 3. *Vide versus sequentes.*

VIA.

*Via, vitæ humanæ rationem, cogitationes, consilia, et hominum actiones denotat.*

Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. *Gen.* 6. 12.

Ego veni, ut adversarer tibi (*inquit Angelus ad Balaam*), quia perversa est via tua, mihique contraria. *Num.* 22. 32.

*Ait Moyses ad populum Israël : Si notueris audire vocem Domini ;* percutiat te Dominus amentiâ, et cæcitate, ac furore mentis, et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. *Deut.* 28. 28. 29.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo (*ait Deus ad Josue*) — tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue* 1. 8.

Non dimiserunt (*filiis Israël*) adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. *Judic.* 2. 19. *Idem dicitur de rege Nadab*, 3. *Reg.* 15. 26. *Item* 4. *Reg.* 8. 18. *et* 2. *Par.* 21. 5. *de rege Joram.*

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in viâ peccatorum non stetit. *Psal.* 1. 1. *Vide Psal.* 118. *v.* 1. 3. 5. 9. 14. 15. 26. 27. 29. 30. 32. 33. 37. 59. 101. 104. 128. 151. 168. *Item Psal.* 90. 11.

Neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, etc. *Isa.* 55. 8. 9. *Vide c.* 65. 2.

Contritio, et infelicitas in viis eorum : et viam pacis non cognoverunt. *Rom.* 3. 16. 17. *Item Psal.* 13. 3.

Misi ad vos Timotheum — qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu. 1. *Cor.* 4. 17.

Æmulamini autem charismata meliora. Et adhùc excellentiorem viam vobis demonstro. *Ibid.* 12. 31.

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob.* 1. 8.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte. *Ib.* 5. 20.

Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor. 2. *Petr.* 2. 15. *Vide Judæ v.* 11.

*Viæ Domini, præcepta ejus et legem denotant.*

Et docebo vos (*inquit Samuël ad filios Israël*) viam bonam et rectam. 1. *Reg.* 12. 23.

Et ostende eis (*filiis Israël, Domine, orat Salomon*) viam bonam, per quam ambulent. 3. *Reg.* 8. 36. *Item* 2. *Paral.* 6. 27. *Vide* 1. *Esth.* 8. 21.

*Impii dicunt ad Deum :* Recede à nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. *Job* 21. 14.

Apprehendite disciplinam, nequandò irascatur Dominus, et pereatis de viâ justâ. *Psal.* 2. 12. *Vide Psal.* 24. *v.* 4. 8. 9. 10. 12.

Viam veritatis elegi : judicia tua (*Domine*) non sum oblitus. *Ibid.* 118. 30. Propè es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas. *v.* 151.

Ut ambules in viâ bonâ : et calles justorum custodias. *Prov.* 2. 20.

Viæ ejus (*sapientiæ*) viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. *Ibid.* 3. 17.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. *Ibid.* 4. 11.

Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. *Ibid.* 6. 23. *Vide et c.* 8. 20. *Matth.* 21. 32. *Actor.* 19. 9.

Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. *Ibid.* 16. 31. *Vide v.* 2. 5. 9. 17.

Hæc dicit Dominus : Eccè ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. *Jerem.* 21. 8. *Vide Rom.* 3. 17. 2. *Petr.* 2. 15.

*Via Christi sumitur pro doctrinâ Evangelicâ.*

Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt (*ait Dominus*), et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam. *Isa.* 42. 16.

Et petiit (*Paulus*) ab eo (*principe sacerdotum*) epistolas in Damascum — ut si quos invenisset hujus viæ (*scil. Christi*) viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. *Actor.* 9. 2. *Vide c.* 22. 4.

*Via, per quam justi ambulant, quæ et qualis sit.*

Utinam dirigantur viæ meæ (*Domine*) ad custodiendas justificationes tuas. *Psal.* 118. 5.

In omnibus viis tuis cogita illum (*Dominum*), et ipse diriget gressus tuos. *Prov.* 3. 6. Viæ ejus (*sapientiæ*) viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ, *v.* 17.

Abominatio Domini est omnis arrogans : etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. Initium viæ bonæ, facere justitiam. *Ibid.* 16. 5. Semita justorum declinat mala : custos animæ suæ servat viam suam. *v.* 17. *Vide v.* 2. 7. 9. *et* 25. *Item c.* 20. 24. *et c.* 21. 2. 8.

Esto firmus in viâ Domini, et in veritate sensus tui et scientiâ, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. *Eccli.* 5. 12.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum, etc. *Isa.* 26. 7. *Vide v.* 8. *et c.* 30. 21. *et c.* 35. 8.

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Ibid.* 40. 3. *Item Matth.* 3. 3. *Marc.* 1. 3. *Luc.* 3. 4. *Joan.* 1. 23.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines : dirige cor tuum in viam rectam, in quâ ambulasti : revertere, virgo Israël, revertere ad civitates tuas istas. *Jerem.* 31. 21.

Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores verò corruent in eis. *Oseæ.* 14. 10.

De cætero ergò, fratres, rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodò oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. 1. *Thess.* 4. 1.

Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12. 12. 13.

*Via justorum à Domino dirigitur.*

Omni tempore (*aiebat Tobias filio suo*) benedic Deum : et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. *Tob.* 4. 20.

Perfice (*Domine*) gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Psal.* 16. 5.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me. *Psal.* 24. 4.

Deduc me (*Domine*) in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui. *Psal.* 118. 35.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. *Prov.* 4. 11. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usquè ad perfectam diem : via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. *v.* 18. 19.

Justitia custodit innocentis viam : impietas autem peccatorem supplantat. *Ibid.* 13. 6.

Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *Ibid.* 16. 9.

A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam? *Ib.* 20. 24.

Ego Dominus Deus tuus, docens te (*Israël*) utilia, gubernans te in viâ, quâ ambulas. *Isa.* 48. 17.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. *Jerem.* 10. 23.

Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. *Mich.* 4. 2.

*Via justorum remunerationem à Deo expectat.*

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in viâ, quam elegit, *Psal.* 24. 12. *Vide v.* 4. 8. 9. *et* 10.

Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion. *Psal.* 83. 8.

In semita justitiæ, vita : iter autem devium ducit ad mortem. *Prov.* 12. 28.

Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in eâ :

et invenietis refrigerium animabus vestris. *Jerem.* 6. 16.

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël : Bonas facite vias vestras, et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. *Ibid.* 7. 3. *Item c.* 26. 13.

*Via impiorum qualis.*

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus (*Dei*) ambulaverunt. *Psal.* 118. 3.

Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant. *Prov.* 4. 19. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram : averte pedem tuum à malo ; vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus : perversæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, etc. *v.* 26. 27. *Vide v.* 11. 14. 18.

Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. *Ibid.* 12. 15. *Vide v.* 28. *Item c.* 21. *v.* 2. 8. 16.

Arma et gladii in viâ perversi : custos autem animæ suæ longè recedit ab eis. Proverbium est : Adolescens juxtà viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ. *Ibid.* 22. 5. 6.

In multitudine viæ tuæ laborasti : non dixisti : Quiescam : vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. *Isa.* 57. 10. *Vide v.* 14. *et* 18. *Item c.* 59. 7. 8.

*Viæ impiorum exitus et finis,*

Involutæ sunt semitæ gressuum eorum (*impiorum*) : ambulabunt in vacuum, et peribunt. *Job* 6. 18.

Est via, quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem. *Prov.* 14, 12. *Vide v.* 2. 8. 14.

Qui ambulat simpliciter, salvus erit : qui perversis graditur viis, concidet semel. *Ibid.* 28. 18. *Vide v.* 10. *Item c.* 30. *v.* 19. 20. *et c.* 31. 27.

Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ. *Ib.* 21. 11.

Quàm vilis facta est nimis (*Jerusalem*), iterans vias tuas ! *Jerem.* 2. 36. *Vide v.* 18. 33.

Viæ tuæ (*Jerusalem*), et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi : ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. *Ibid.* 4. 18. *Vide v.* 11.

VICTORIA *Vide et* BELLUM.

*Victoria omnis solius Dei est, et ab eo solo expectanda.*

*Dixit Melchisedech sacerdos ad Abraham, à bello victorem redeuntem :* Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. *Genes.* 14. 20.

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : state, et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodiè : Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultrà videbitis usquè in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. *Exod.* 14. 13. 14.

Dixitque Moyses ad Josue : Elige viros : et egressus, pugna contra Amalec : cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu meâ. *Ibid.* 17. 9. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii. *v.* 13.

Benedictus Dominus (*ait Jethro ad filios Israël*), qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis : qui eruit populum suum de manu Ægypti. *Ibid.* 18. 10.

Terrorem meum (*inquit Deus*) mittam in præcursum tuum (*Israël*), et occidam omnem populum, ad quem ingredieris : cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. *Ibid.* 23. 27. *Vide c.* 34. 11.

Dixitque Dominus ad Moysen : Ne timeas eum (*Og regem Basan*), quia in manu tuâ tradidi illum, et omnem populum, ac terram ejus. — Percusserunt igitur et hunc (*Israëlitæ*) cum filiis suis, universumque populum ejus usquè ad internecionem, et possederunt terram illius. *Num.* 21. 34. *Vide Josue* 6. 2. *per totum caput.*

Si dixeris in corde tuo : Plures sunt gentes istæ, quam ego, quomodò potero delere eas? Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, etc. *Deut.* 7. 17. 18.

Audi, Israël, vos hodiè contrà inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos : quia Dominus Deus vester in medio vestrî est, et pro vobis contrà adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. *Ibid.* 20. 3. *per tot. caput. Vide Josue* 8. 1. *et c.* 10. 8. *et c.* 14. 12.

Omnem terram Gosen usquè Gabaon, universosque reges, et regiones eorum, uno impetu cepit, atque vastavit (*Josue*) : Dominus enim Deus Israël, pugnavit pro eo. *Josue* 10. 41. 42. 43. *Vide c.* 23. 10. *et c.* 24. 8. 12. *Item Judic.* 1. 2. 4. *et c.* 3. 10. 28. 29. *et c.* 7. 9. 14. *et c.* 11. 21.

Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos (*reges*) : cras enim hâc eâdem horâ, ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël; equos eorum subnervabis, et currus igne combures. *Ibid.* 11. 6. *Vide v.* 8. 11. 17. 23.

Dixitque Debbora ad Barac : Surge, hæc est enim dies, in quâ tradidit Dominus Sisaram in manus tuas : en ipse ductor est tuus : *et felicissimè res evenit. Judic.* 4. 14. *Vide totum caput.*

Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus : ne glorietur contrà me Israël, et dicat : Meis viribus liberatus sum. *Ibid.* 7. 2. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tuâ Madian : omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. *v.* 7. *Vide c.* 12. 3. *et c.* 20. *v.* 28. 35. 46.

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6. *Vide c.* 7. 10. *et seq. et c.* 11. 11. *et c.* 15. 7.

Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gladio, et hastâ, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodiè : et dabit te Dominus in manu meâ, et percutiam te, et auferam caput tuum à te, etc. *Ibid.* 17. 45. 46. *Vide reliquum capitis. Item c.* 30. 23.

Venit ergò David in Baal Pharasim : et percussit eos (*Philisthæos*) ibi, et dixit : Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. 2. *Reg.* 5. 20. *Vide versus* 24. 25. *Item* 1. *Paral.* 14. 10. *et sequentes.*

Clamans autem Achimaas, dixit ad regem (*David*) : Salve Rex — Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. *Ibid.* 18. 28.

In te enim (*Domine*) curram accinctus : in Deo meo transiliam murum. *Ibid.* 22. 30. *Vide v.* 35. 38. 48. 49. *imò totum pulcherrimum hoc Canticum. Item c.* 23. 10. 12.

Et eccè Propheta unus accedens ad Achab regem Israël, ait ei : Hæc dicit Dominus : Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? eccè, ego tradam eam in manu tuâ hodiè; ut scias, quia ego sum Dominus. 3. *Reg.* 20. 13. *Vide* 4. *Reg.* 3. 18. *et seq. et c.* 5. 1. *Item* 1. *Paral.* 22. 18.

Confortare (*ait Joab fratri suo Abisaï*), et agamus viriliter pro populo nostro, etc. Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet, etc. 1. *Paral.* 19. 13. *Vide vers.* 14. 18. *Item* 2. *Reg.* 10. 12. *et sequentes.*

Et invocavit (*Asa*) Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrùm in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contrà hanc multitudinem. 2. *Paral.* 14. 11.

*Vide versus seq. et c.* 13. 16. *et seq.*

Nonnè Æthiopes et Libyes multò plures erant, quadrigis et equitibus, et multitudine nimiâ; quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tuâ? (*Hanani Propheta ad Asa regem Juda*). *Ibid.* 16. 8. *Vide Isa.* 45. 1. *et Jerem.* 18. 17.

Et certè cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Joas quoquè ignominiosa exercuere judicia. *Ibid.* 24. 24.

*Dixit homo Dei ad Amasiam regem Juda:* Quod si putas in robore exercitûs bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippè est et adjuvare, et in fugam convertere. *Ibid.* 25. 8. *Vide v.* 11. 12. *Item c.* 26. 7. *et c.* 28. 5. 9. *Item* 4. *Reg.* 14. 7.

Erit enim hoc memoriale nominis tui (*Domine, ait Judith*), cùm manus fœminæ dejecerit eum (*Holofernem*). *Judith* 9. 15.

In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. *Psal.* 107. 14. *Item Psal.* 59. 14. *Vide tot. Psal.* 17.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. *Psal.* 117. 16. *Vide Psal.* 142. 12. *et* 143. 1. *et seq.*

Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit. *Prov.* 21. 31.

*Victoriâ potiuntur pauci contra multos.*

Quod cùm audisset Abraham, captum videlicet Lot, fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo: et persecutus est usquè Dan. Et divisis sociis, irruit super eos (*quinque reges*) nocte: percussitque eos, et persecutus est eos usquè Hoba, quæ est ad lævam Damasci, etc. *Gen.* 14. 14. 15.

Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contrà me Israël, et dicat: Meis viribus liberatus sum. *Judic.* 7. 2. Reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantùm decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos: et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, revertatur. *v.* 3. *et* 4. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tuâ Madian; omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. *v.* 7. *Vide reliquum capitis.*

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem

incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis : quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6. Et facta est plaga prima, quâ percussit Jonathas, et armiger ejus, quasi viginti virorum, in mediâ parte jugeri : quàm par boum in die arare consuevit, etc. *v.* 14. *Vide v.* 15.

Respiciensque Judas, vidit instare bellum ex adverso post tergum : et clamavit ad Dominum : ac sacerdotes tubis canere cœperunt. Omnesque viri Juda vociferati sunt : et eccè illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israël, qui stabat ex adverso Abia, et Juda, etc. 2. *Paral.* 13. 14. 15. *Vide versus sequentes.*

Et invocavit (*Asa*) Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrùm in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contrà hanc multitudinem, etc. *Ibid.* 14. 11. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda : fugeruntque Æthiopes. *v.* 12. *Vide reliquos versus. Item* 1. *Mach.* 3. 16. *et seq. usque ad v.* 25.

Et certè cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum : in Joas quoque ignominiosa exercuere judicia. *Ibid.* 24. 24.

*Post partam victoriam instituitur triumphus.*

*Cæsis Madianitis jussu Dei, solæ virgines reservantur ; substantia ex æquo dividitur pugnantibus, et plebi ; primitiæ Sacerdoti ac Levitis traduntur ; gratiæ Deo cùm donariis offeruntur, eò quòd nullus Hebræorum occubuerit. Num.* 31. 1.

Revertente autem Jephte (*à cæde Ammonitarum*) in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua, cum tympanis et choris ; non enim habebat alios liberos. *Judic.* 11. 34.

Porrò cùm reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes, in occursum Saül regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris, etc. 1. *Reg.* 18. 6. *Vide v.* 7.

*Victoriæ genus præstantissimum.*

Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Rom.* 12. 21.

VICTUS.

*Victus in sudore vultûs parandus.*

*Dixit que Deus ad Adam :* In sudore vultûs tui vesceris pane, etc. *Gen.* 3. 19.

*Victum largitur Deus hominibus et bestiis.*

Dixitque Deus (*ad Adam et Hevam*) : Eccè dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam : et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terrâ — ut habeant ad vescendum. *Ibid.* 1. 29. *Vide c.* 9. 3.

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 15. 16. *Vide Psal.* 103. *v.* 14. 15. 27.

Qui (*Deus*) dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. *Ibid.* 146. 9.

*De victu non debemus esse soliciti.*

Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. *Matth.* 6. 25. *Vide v.* 26. 31. 34. *Item Luc.* 12. *v.* 22. 24. 29. *Vide* 1. *Tim.* 6. 8. *et* 1. *Petr.* 3. 7.

VIDUA.

*Viduis benefaciendum est.*

Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, etc. *Exod.* 22. 22. 23.

Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. *Deut.* 24. 17. Quandò messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum relqueris, non revertêris ut tollas illum : sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. *v.* 19. *Vide et v.* 20. 21. *Item c.* 16. 11. 14.

Quandò compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo, et viduæ, ut comedant intrà portas tuas, et saturentur. *Ibid.* 26. 12. *Vide v.* 13.

Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ ; et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 19.

Asinum pupillorum abegerunt pro pignore bovem viduæ. *Job* 24. 3.

Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. *Ibid.* 31. 16.

Viduam ejus benedicens benedicam. *Psal.* 131. 15.

In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quàm mater. *Eccli.* 4. 10. 11.

Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant : et causa

viduæ non ingreditur ad illos. *Isa.* 1. 23. *Vide et v.* 17. *Item Jerem.* 5. 28.

Hæc dicit Dominus : Facite judicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris : et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis iniquè : et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto, *Jerem.* 22. 3.

Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari : et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* 7. 10.

Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 5.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc ampliùs accipietis judicium. *Matth.* 23. 14. *Vide Marc.* 12. 40. *Luc.* 20. 47.

Viduas honora, quæ verè viduæ sunt, etc. 1. *Tim.* 5. 3. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia : ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. *v.* 16. *Vide et vers. præced.*

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Jacob.* 1. 27.

*Viduas pias quid deceat.*

Erat autem Judith relicta— vidua jàm annis tribus et mensibus sex, etc. *Judith.* 8. 4. *Vide versus sequentes.*

Et hæc vidua (*Anna*) *erat* usquè ad annos octoginta quatuor ; quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. 1. *Tim.* 5. 3. Quæ autem verè vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. *v.* 5. 6. *Vide v.* 4. 7. 9. *et seq. Item* 1. *Cor.* 7. 8.

VIGILANTIA.

*Vigilandum. Vide Adventus Domini.*

*Vigilare de Deo dicitur, dum in id quod proposuit sedulò incumbit, vel in misericordiâ, vel in judicio.*

Et Factum est verbum Domini ad me (*Jeremiam Prophetam*), dicens : Quid tu vides, Jeremia ? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me : Benè vidisti, quia vigilabo ego super

verbo meo, ut faciam illud. *Jerem.* 1. 11. 12.

Et sicut vigilavi (*inquit Deus*) super eos (*scil. filios Israël*), ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem : sic vigilabo super eos, ut ædificem, et plantem, ait Dominus. *Ibid.* 31. 28.

Eccè ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum : et consumentur omnes viri Juda, etc. *Ibid.* 44. 27.

*Vigilantia piis omnibus, sed Pastoribus in primis necessaria; ad malum declinandum.*

*Quàm vigilans fuerit Jacob in servitio Laban, testatus est ipse his verbis :* Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. *Gen.* 31. 40.

Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Matth.* 26. 41. *Item Marc.* 14. 38.

Hoc autem scitote, quoniàm si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. *Luc.* 12. 39. *Vide v.* 37. *Item Matth.* 24. 42. 43. *Marc.* 13. 33. *et seq.*

Vilgilate itaque, omni tempore orantes, etc. *Ibid.* 21. 36.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. *Cor.* 10. 12.

Evigilate, justi, et nolite peccare. *Ibid.* 15. 34.

Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. *Pet.* 5. 8. *Vide* 1. *Thess.* 5. 6.

Si ergò non vigilaveris, veniam ad te tanquàm fur, et nescies quâ horâ veniam ad te. *Apoc.* 3. 3. *Vide c.* 16. 15.

*Ad bonum conservandum.*

Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. *Prov.* 4. 23.

Ego (*sapientia*) diligentes me diligo : et qui manè vigilant ad me, invenient me. *Ibid.* 8. 17. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, etc. *v.* 34.

Vigilia honestatis tabefaciet carnes. *Eccli.* 31. 1.

Qui vigilaverint ad illum (*Dominum*), invenient benedictionem. *Ibid.* 32. 18.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. 1. *Cor.* 16. 13.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione. *Coloss.* 4. 2.

*Indesinenter.*

Vigilate ergò, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. *Matth.* 24. 42. *Vide v.* 43.

Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. *Ibid.* 25. 13.

Videte, vigilate, et orate :

nescitis enim quandò tempus sit. *Marc.* 13. 33. Vigilate ergò (nescitis enim quandò dominus domûs veniat, sero, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè), ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate. *v.* 35. *et seq. Vide v.* 34.

Beati servi illi, quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes, etc. *Luc.* 12. 37. Et vos estote parati : quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. *v.* 40. *Vide v.* 39.

Igitur non dormiamus, sicut et cæteri; sed vigilemus, et sobrii simus. *Thess.* 5. 6.

Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, etc. 2. *Tim.* 4. 5.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

Beatus qui vigilat, etc. *Apoc.* 16. 15.

VINDICTA.

*Vindicta soli Deo, ejusque ministris ac magistratui commissa : undè et aliis est prohibita.*

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Levit.* 19. 18. *Vide Num.* 31. 2. *Item Jerem.* 51. 36.

Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum : juxtà est dies perditionis, et adesse festinant tempora. *Deut.* 32. 35. *Vide v.* 43.

Expectemus humiles consolationem ejus (*Dei*), et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgunt contrà nos, et faciet illas sinè honore Dominus Deus noster. *Judith* 8. 20. *Vide vers.* 26. *et* 34.

Væ genti insurgenti super genus meum : Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, et in die judicii visitabit illos. *Ibid.* 16. 20.

Exurge, Domine, in irâ tuâ : et exaltare in finibus inimicorum meorum. *Psalmum* 7. 7.

Quoniàm requirens sanguinem eorum recordatus est : non est oblitus clamorem pauperum. *Psal.* 9. 13.

Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit. *Psal.* 93. 1. *Vide Psal.* 117. *v.* 10. 11. 12.

Ne dicas : Reddam malum (*pro malo*) : expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* 20. 22.

Ne dicas : Quomodò fecit mihi, sic faciam ei : reddam unicuique secundùm opus suum. *Ibid.* 24. 29.

Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque

proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccli.* 28. 1. 2. *Vide versus sequentes. Item c.* 12. 4.

Hæc dicit Dominus Deus : Pro eò quòd fecit Idumæ ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, et vindictam expectavit de eis, etc. *Ezech.* 25. 12. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israël : et facient in Edom juxtà iram meam, et furorem meum : et scient vindictam meam, dicit Dominus. *v.* 14. *Vide versus sequentes.*

Deus æmulator, et ulciscens Dominus : ulciscens Dominus, et habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. *Nahum* 1. 2.

Ego autem dico vobis (*ait Jesus discipulis*), non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram, etc. *Matth.* 5. 39. *Vide versus sequentes. Item c.* 6. 14. 15. *et c.* 18. 35. *Marc.* 11. 26.

Cùm vidissent autem discipulis ejus (*Jesu*) Jacobus et Joannes (*Samaritanos Christum malè recipientes*), dixerunt : Domine, vis, dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? Et conversus (*Jesus*) increpavit illos : dicens : Nescitis cujus spiritûs estis, etc. *Luc.* 9. 54. 55.

Ait autem Dominus : Audite, quid judex iniquitatis dixit : Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. *Ibid.* 18. 6. 7. 8.

Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim : Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus. *Rom.* 12. 19. *Item Hebr.* 10. 30.

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat : sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. 1. *Thess.* 5. 15. *Vide Prov.* 17. 13. *Rom.* 12. 17.

Alexander ærarius multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundùm opera ejus : quem et tu devita : valdè enim restitit verbis nostris. 2. *Tim.* 4. 14. 15.

Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1. *Petr.* 3. 9.

Et clamabant (*animæ interfectorum subtus altare*) voce magnâ dicentes : Usquequò, Domine (sanctus et verus), non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ? *Apoc.* 6. 10.

VINEA.

*Vinea vulgaris et mystica.*

Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. *Gen.* 9. 20.

Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantùm tibi placuerit : foràs autem ne efferas tecum. *Deut.* 23. 24. *Vide c.* 32. 32.

Vinea fuit pacifico in eâ, quæ habet populos : tradidit eam custodibus ; vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. *Cant.* 8. 11. 12. *Vide Psal.* 69. 9. *et seq.*

Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filii olei, etc. *Isaiæ* 5. 1. *Vide versus sequentes usquè ad v.* 8. *Item c.* 1. 8. *Jer.* 2. 21. *Joel* 1. 7. 12.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Matth.* 20. 1. *Vide versus sequentes.*

Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in eâ torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectus est. *Ibid.* 21. 33. *Item Marc.* 12. 1. *et sequentes. Luc.* 20. 9. *et sequentes.*

VINUM.

*Vini abusus quàm noxius.*

Luxuriosa res, vinum et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prov.* 20. 1.

Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vitro, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quandò flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo : et dices : Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi; quandò evigilabo, et rursùs vina reperiam? *Ibid.* 23. 29. *et seq. Vide v.* 20.

Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas : et ne fortè bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. *Ibid.* 31. 4. 5. *Vide v.* 6. *Item Eccli.* 9. 15. *et c.* 40. 20.

Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usquè ad vesperam,

ut vino æstuetis. *Isa.* 5. 11. *Vide v.* 12.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes.* 5. 18.

Oportet ergò episcopum — non vinolentum *esse.* 1. *Tim.* 3. 2. 3. *Vide v.* 8. *Item Tit.* 1. 7.

Anus similiter — non multo vino servientes *sint*, etc. *Tit.* 2. 3.

*Pauculo et modico vino utendum.*

Noli adhuc aquam bibere (*ait Paulus Timotheo*); sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. 1. *Tim.* 5. 23.

*Vinum figuratè sumitur pro actibus humanis.*

Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. *Deut.* 32. 33.

Ostendisti (*Deus*) populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis. *Psal.* 59. 4.

Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt. *Prov.* 4. 17.

Argentum tuum versum est in scoriam : vinum tuum mistum est aquâ. *Isa.* 1. 22.

VIR.

*Viri uxores suas diligere debent.*

Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, etc. *Ephes.* 5. 25. *Vide v.* 28. *et* 33.

Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. *Coloss.* 3. 19.

Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquàm et cohæredibus gratiæ vitæ. 1. *Petr.* 3. 7.

*Virginitas commendatur.*

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. *Matth.* 19. 12. *Vide c.* 22. 30. *Marc.* 12. 25. *Luc.* 20. 35. 36.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. 1. *Cor.* 7. 25. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. *v.* 27. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo. *v.* 32. Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodò placeat viro. *v.* 34. *Vide v.* 37.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti

sunt ex hominibus, primitiæ Deo et Agno. *Apoc.* 14. 4.

*Virginitas præfertur conjugio.*

Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit: et qui non jungit, meliùs facit. 1. *Cor.* 7. 38. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium: puto autem quòd et ego Spiritum Dei habeam. *v.* 40.

*Virgines servantur.*

Ergò cunctos interficite (*ait Moyses principibus exercitûs Israël contra Madianitas*) quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: et mulieres, quæ noverunt viros in coïtu, jugulate: puellas autem et omnes feminas virgines, reservate vobis: et manete extrà castra septem diebus. *Num.* 31. 17. 18. 19. *Vide Judic.* 21. 11. 12.

*Virgines olim conclusæ.*

Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed et virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam per fenestras aspiciebant: universæ autem protendentes manus in cælum, deprecabantur. 2. *Mach.* 3. 19. 20.

VISITATIO.

*Visitare et consolari infirmos seu ægrotos, opus est misericordiæ.*

His ità transactis, nuntiatum est Joseph, quòd ægrotaret pater suus (*Jacob*): qui, assumptis duobus filiis, Manasse, et Ephraïm, ire perrexit. *Gen.* 48. 1.

Porrò Ochozias filius Joram, rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezraël, quia ægrotabat ibi. 4. *Reg.* 8. 29. *Vide* 2. *Paral.* 22. 6.

Eliseus autem ægrotabat infirmitate, quâ et mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israël, et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auriga ejus. *Ibid.* 13. 14. *Vide et c.* 20. 1. *Job* 2. 11. *Isa.* 38. 1.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. *Psal.* 40. 4.

Meliùs est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii: in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. *Eccles.* 7. 3. *Vide Rom.* 12. 15.

Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.* 7. 38. 39.

Hospes eram, et collegistis me (*dicet Christus in die ju-*

*dicii*) : nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitâstis me : in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quandò te vidimus — hospitem, et collegimus te? aut nudum, et cooperuimus te? aut quandò te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis : Amen dico vobis, quandiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 35. *et sequentes. Vide v.* 43. 44. *et c.* 8. 7. *Item* 2. *Cor.* 1. 4. *Jacob.* 1. 27.

*Visere sanctos desiderabat Paulus.*

Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, etc. *Rom.* 1. 11. *Vide v.* 10. 12. 13.

Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis jàm præcedentibus annis. *Ibid.* 15. 23. *Vide v.* 24 *et* 32.

Vellem esse apud vos modò, et mutare vocem meam : quoniàm confundor in vobis. *Gal.* 4. 20.

Nos autem, fratres, desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu non corde, abundantiùs festinavimus faciem vestram videre, cum multo desiderio. 1. *Thess.* 2. 17. *Vide vers.* 8. *et* 18.

VITA.

*Vita fidelium ad quam regulam sit instituenda.*

In sudore vultûs tui (*dixit Deus ad Adam*) vesceris pane, donec revertaris in terram, de quâ sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Gen.* 3. 19

Apparuit ei (*Abraham*) Dominus, dixitque ad eum : Ego Deus omnipotens : ambula coràm me, et esto perfectus. *Ibid.* 17. 1. *Vide et Psal.* 14. *per totum.*

Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt : et requievit in die septimo, idcircò benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. *Exod.* 20. 11.

Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. *Lev.* 11. 44. *Vide* 1. *Petr.* 1. 16.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Ibid.* 19. 1. 2.

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei. *Ibid.* 20. 26. *Vide v.* 7.

Sint ergò sancti (*filii Aaron*), quia et ego sanctus sum, Do-

minus, qui sanctificoeos. *Ibid.* 21. 8.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam : nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino — Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. *Psal.* 23. 3. *et seq. Vide Psal.* 33. 14. 15.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem : quoniàm sunt reliquiæ homini pacifico. *Psal.* 36. 37.

Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo : et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit. *Eccle.* 12. 13. 14.

Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6. 8. *Vide Psal.* 33. 14. 15. *et Psal.* 96. 10. *Amos* 5. 14. 15. *Rom.* 12. 9. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

Estote ergò vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* 5. 48.

Omnia ergò quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et Prophetæ. *Ibid.* 7. 12. *Vide Tob.* 4. 16. *et Luc.* 6. 31.

Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Ibid.* 11. 29. *Vide Jerem.* 6. 16.

Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis. *Ibid.* 23. 26. Vos à foris quidem paretis hominibus justi; intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. *v.* 28. *Vide v.* 25. *Item Luc.* 11. 39.

Estote ergò misericordes, sicut et Pater vester misericors est, etc. *Luc.* 6. 36. *Vide versus seq.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan* 12. 26.

Si ergò ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. *Ib.* 13. 14. *Vide et v.* 34.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Ibid.* 15. 12. *Vide Levit.* 19. 18. *Matth.* 22. 39. *Marc.* 12. 31. *Rom.* 13. 8. 9. *Gal.* 5. 14. *Ephes.* 5. 2. *Jacob.* 2. 8. 1. *Joan* 3. 11. *et cap.* 4. 21.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6. 4. *Vide v.* 6. *Item Ephes.* 4. 22. *et seq. Coloss.* 2. 12. *et c.* 3. 12. *et seq. Hebr.* 12. 1. 1. *Petr.* 2. 1.

Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant. *Ibid.* 8. 1.

Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Ibid.* 13. 14. *Vide totum caput. Item Gal.* 5. 16. *et* 25. *Item* 1. *Petr.* 2. 11. *et seq.*

Unusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. *Ib.* 15. 2. *Vide v.* 1.

Unusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat, etc. 1. *Cor.* 7. 20. *Vide* 2. *Petr.* 1. 10.

Sive ergò manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. *Ibid.* 10. 31.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 2. *Cor.* 7. 1. 2.

*Deus* elegit nos in ipso (*Christo*) antè mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, etc. *Ibid.* 4. 1. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis. *v.* 23. 24. *Vide totum caput. Item Rom.* 12. 2.

Estote ergò imitatores Dei, sicut filii carissimi: et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, etc. *Ibid.* 5. 1. 2. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei, etc. *v.* 17. *Vide tot. caput.*

Sicut ergò accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, etc. *Coloss.* 2. 6.

Nolite mentiri invicem; expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc. *Ibid.* 3. 9. 10. Induite vos ergò sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, etc. *v.* 12. 13. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. *v.* 17.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, et honore, etc. 1. *Thess.* 4. 3. *Vide c.* 5. 14. *et seq. Item Rom.* 12. 2.

Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo. *Tit.* 2. 11. *Vide c.* 3. 8. *Item Hebr.*

12. 2. *et seq.* 1. *Petr.* 1. 15 *c.* 2. 21. *c.* 3. *v.* 10. 11. 15. 16. *c.* 4. 8. *et seq.*

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum, etc. *Hebr.* 12. 14. *Vide Rom.* 12. 18.

Qui sapiens, et disciplinatus inter vos? ostendat ex bonâ conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Jac.* 3. 13.

*Hortatur Apostolus Petrus, ut tanquàm peregrini ab omnibus mundanis abstineamus, superioribus obtemperemus, afflictionesque ad Christi imitationem feramus.* 1. *Petr.* 2. 11. *et seq.*

Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini? 2. *Petr.* 3. 11. 12. Satagite immaculati et inviolati ei (*Deo*) inveniri in pace. *v.* 14.

Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse (*Deus*) est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan* 1. 7. *Vide* 2. *Petr.* 1. 5. *et seq.*

Qui dicit se in ipso (*Christo*) manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. *Ib.* 2. 6.

*Vivendum Deo, non sibi.*

Nemo enim nostrûm sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergò vivimus, sive morimur, Domini sumus. *Rom.* 14. 7. 8.

Et pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt, jàm non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor.* 5. 15.

Vivo autem, jàm non ego: vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Flii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. *Galat.* 2. 20. *Vide et* 1. *Petr.* 4. 2.

Qui (*Christus*) mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. 1. *Thess.* 5. 10.

*Vitæ emendatio.*

Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à Deo: decies tantùm iterùm convertentes requiretis eum. *Baruch.* 4. 28.

Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ità nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, etc. *Rom.* 6. 19. *Vide totum caput.*

*Vita longa mandatorum Dei observatoribus promissa.*

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, etc. *Exod.* 20. 12. *Item Deut.* 5. 16. *Eccli* 3. 6.

*et seq. Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10. *Ephes.* 6. 2.

Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. *Lev.* 18. 5. *Vide c.* 25. 18. *Item Deut.* 6. 17. *Ezech.* 20. 11. *Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 12.

Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi : ut multo vivas tempore super terram. etc. *Deut.* 25. 15.

Si autem ambulaveris in viis meis (*dixit Deus Salomoni*), et custodieris præcepta mea ; et mandata mea — longos faciam dies tuos. 3. *Reg.* 3. 14. *Item Prov.* 3. 2.

Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum. *Psal.* 90. 16. *Vide et Prov. c.* 3. *per totum. Item c.* 9. 11.

Timor Domini apponet dies : et anni impiorum breviabuntur. *Prov.* 10. 27. *Vide Psal.* 33. *v.* 13. 14. 15. *Item* 1. *Petr.* 3. 10. 11.

Fructus justi, lignum vitæ. *Ib.* 11. 30. *Vide Luc.* 10. 28. Qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Ibid.* 28. 16.

Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth.* 19. 17.

*Qui mundana propter Deum relinquit, recipiet* in sæculo venturo vitam æternam. *Luc.* 18. 30. *Vide Joan.* 10. 28.

Ut omnis, qui credit in ipsum (*Christum*), non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 15. *Vide v.* 36. *et c.* 4. 14. *et c.* 5. 24. *et c.* 6. 40. 55. *et c.* 11. 25. 26. *et c.* 17. 2. 3. *et c.* 20. 31. 1. *Joan.* 5. 13. 20.

Panis (*qui est Christus*) — dat vitam mundo. *Ibid.* 6. 33.

Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Ibid.* 12. 25.

Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Rom.* 6. 22.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? *Jac.* 2. 5. *Vide* 1. *Petr.* 5. 4. 1. *Joan.* 2. 25. *Judæ. v* 21.

*Vita æterna gignitur ex gratiâ tanquàm patre, et ex merito tanquàm matre.*

Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum. *Eccli.* 16. 15.

Merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5. 12. *Vide Luc.* 6. 25.

Et omnis qui reliquerit domum, etc. vitam æternam possidebit. *Ibid.* 19. 29. *Vide Marc.* 10. 29. 30.

Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, etc. *Ibid* 20. 2. *Vide c.* 25. 14. *de quinque talentis parabolam.*

Euge serve bone, et fidelis,

quia super pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituam, intra in gaudium domini tui. *Ib. c.* 25. *v.* 21. 23.

Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, etc. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. *Ibid. v.* 34. 35. *Vide c.* 10. 42. *et c.* 16. 27. *Item Marc.* 9. 40.

Dignus est enim operarius mercede suâ. *Luc.* 10. 7. *Vide Psal.* 61. 13. *Item* 1. *Tim.* 5. 18.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. *Rom.* 4. 4. *Vide caput* 2. 6.

Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 6. 23.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, etc. *Coloss.* 1. 10.

Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. 2. *Thess.* 1. 5.

Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniàm cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 1. 12.

*Vitæ anteactæ memoria haud inutilis.*

Memento (*ait Moyses ad populum Israël*), quòd et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te indè Dominus Deus tuus in manu forti, etc. *Deut.* 5. 15.

Et recordaberis, quoniàm servus fueris in Ægypto : custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. *Ibid.* 16. 12.

Et recordabimini (*ait Dominus filiis Israël*) viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum : et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra. *Ezech.* 36. 31. *Vide et Joan.* 4. 29. *Item Act.* 22. 4. *et c.* 26. 10. *Rom.* 6. 17. *et seq.* 1. *Cor.* 15. 9. *Gal.* 1. 13. *et seq.*

Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cùm cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, *non ad pristina revertimini, sed gratias agite Deo. Galat.* 4. 8. 9. *Vide Ephes.* 2. *v.* 1. 2. 3. 11. *et* 12.

Eratis enim aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate — in omni bonitate, et justitiâ, et veritate, etc. *Ephes.* 5. 8. 9. *Vide Coloss.* 1. 21. *Tit.* 3. 3. 1. *Petr.* 2. 10.

Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. 1. *Petr.* 2. 25. *Vide et c.* 4. 3.

*Vitæ humanæ brevitas et vanitas.*

In sudore vultûs tui (*dixit Dominus ad Adam*) vescêris

pane, donec revertaris in terram, de quâ sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem revertêris. *Gen.* 3. 19.

Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur : nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitùs pereat qui abjectus est. 2. *Reg.* 14. 14.

Peregrin enim sumus coram te (*Domine*) et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Par.* 29. 15.

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus benè. *Tob.* 4. 23.

Quarè misero data est lux, et vita his, qui in amaritudine animæ sunt? *Job* 3. 20.

Militia est vita hominis super terram : et sicut dies mercenarii, dies ejus. *Ibid.* 7. 1. Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ullâ spe. Memento (*Domine*), quia ventus est vita mea. *v.* 6. 7. *Vide tot. caput.*

Hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniàm sicut umbra dies nostri sunt super terram. *Ibid.* 8. 9.

Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ. *Ibid.* 9. 21. *Vide v.* 25. 26.

Et si impius fuero, væ mihi est : et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseriâ. *Ibid.* 10. 15. *Vide v.* 1. *et* 20.

Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur à tineâ. *Ibid.* 13. 28. *Vide v.* 12.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. *Ibid.* 14. 1. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *v.* 5. *Vide v.* 2. *Item c.* 16. 23. *et c.* 17. 1. 11.

Eccè mensurabiles posuisti (*Domine*) dies meos : et substantia mea tanquàm nihilum antè te. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. Verumtamen in imagine pertransit homo. *Ps.* 38. 6. 7.

Quoniàm omnes dies nostri defecerunt : et in irâ tuâ (*Domine*) defecimus. *Psal.* 89. 9. *Vide tot. Psal.*

Defecerunt sicut fumus dies mei : et ossa mea sicut cremium aruerunt. *Psal.* 101. 4. Dies mei sicut umbra declinaverunt : et ego sicut fœnum arui. *v.* 12. *Vide v.* 24.

Homo, sicut fœnum, dies ejus : tanquàm flos agri sic efflorebit. *Psal.* 102. 15. *Vide v.* 14. 16.

Sicut umbra cùm declinat, ablatus sum : et excussus sum sicut locustæ. *Psal.* 108. 23.

Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt. *Psal.* 143. 4.

Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. *Prov.* 27. 1.

Cuncti dies ejus (*hominis*), doloribus et ærumnis pleni sunt: nec per noctem mente requiescit : et hoc nonne vanitas est ? *Eccles.* 2. 23.

Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in eâ. *Ibid.* 3. 10.

Quid necesse est homini majora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vitâ suâ, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore, quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit ? *Ibid.* 7. 1.

Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. *Ibid.* 9. 4. *Vide v.* 12.

Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniàm consignata est, et nemo revertitur. *Sap.* 2. 5. *Vide versus præcedentes. Item c.* 15. 9. 10.

Transierunt omnia illa tanquàm umbra, et tanquàm nuntius percurrens. *Ibid.* 5. 9. *Vide versus sequentes.*

Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi ? *Eccli.* 14. 18. *Vide c.* 17. 31.

Numerus dierum hominum, ut multum centum anni : quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. *Ibid* 18. 8. *Vide c.* 40. 6. *Item Psal.* 89. 10.

O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis ! etc. *Ibid.* 41. 1. *Vide versus sequentes.*

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo ? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. *Isa.* 40. 6. *Vide Canticum Ezechiæ. c.* 38. 10. *Item* 1. *Petr.* 1. 24.

*Homo quidam dives* dixit : Hoc faciam : Destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te : quæ autem parasti, cujus erunt? *Luc.* 12. 18. *et seq. Vide Eccli.* 11. 19. 20.

Id enim, quod in præsenti est momentaneum. 2. *Cor.* 4. 17.

Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr.* 13. 14.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione suâ : dives autem in humilitate suâ, quoniam sicut flos fœni transibit. *Jac.* 1. 9. 10.

Quæ est enim vita vestra ? Vapor est ad modicum parens,

et deinceps exterminabitur. *Ib.* 4. 15. *Vide v.* 14.

*Vitam pro fratribus ponere.*

*Factâ ad Deum oratione, Judith præcidit caput ebrii Holofernis, quod ad concives Bethuliæ deferens, eos ad gratiarum actionem hortatur; ipsa verò ab omnibus benedicitur. Judith c.* 13. *per totum.*

*Luctus Mardochæi ac reliquorum Judæorum, ob paratum ipsis interitum. Esther autem ut jussu Mardochæi neci Judæorum occurat, non vocata ad regem cum vitæ periculo ingreditur, et jubet cum jejunio pro se triduo orari, idem ipsâ faciente. Esther c.* 4. *per totum.*

Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15. 13. *Vide c.* 10. 11. 15.

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniàm ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. *Joan.* 3. 16.

VOCATIO.

*Vocatio Gentium.* Vide *Gentium vocatio.*

*Vocationi propriæ sedulo inserviendum.*

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27. 8.

*Ambulante Jesu* in viâ, dixit quidam ad illum : Sequar te, quocumque ieris. Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Ait autem ad alterum : Sequere me : ille autem dixit : Domine, permitte mihi primùm ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus : Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei. Et ait alter : Sequar te, Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi sunt. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei. *Luc.* 9. 57. *et seq. usq. ad fin. Vide Matth.* 8. 19. *et seq. et c.* 4. 19. 21. *et c.* 9. 9. *Item Marc.* 1. 17. 20. *et c.* 2. 14. *Luc.* 5. 27. *Joan.* 21. 19. 22.

*Unusquisque* sicut vocavit *eum* Deus, ità ambulet. 1. *Cor.* 7. 17. Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. *v.* 24.

Quapropter, fratres, magis satagite : ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis, etc. 2. *Petr.* 1. 10.

VOLUNTAS.

*Voluntas nostra accomodanda est voluntati divinæ. Vide et Abnegatio, et Cor, et Resignatio in divinam voluntatem.*

Indicavit itaque ei Samuel

(*Heli*) universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est : quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. *Reg.* 3. 18.

Esto vir fortis (*dixit Joab fratri suo Abisai*), et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri : Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 2. *Reg.* 10. 12. *Vide c.* 15. 26.

Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat (*ait Judas Machabæus*). 1. *Mach.* 3. 60.

Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terrâ. *Matth.* 6. 10.

Et progressus pusillum (*Jesus*), procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu *vis*. *Ibid.* 26. 39. *Item Marc.* 14. 36. *Luc.* 22. 42.

Et cùm ei (*Paulo*) suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. *Act.* 21. 14.

Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. *Hebr.* 6. 3. *Vide* 1. *Cor.* 4. 19.

Si Dominus voluerit ; et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. *Jacob.* 4. 15.

### *Voluntas Dei.*

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7. 21. *Vide Luc.* 6. 46.

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est. *Ibid.* 12. 50. *Item habetur verbatim Marc.* 3. 35.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Joan.* 6. 39. *Vide v.* 38. *et* 40. *Item Ephes.* 5. 17. *Coloss.* 1. 9.

Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri ; ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. *Rom.* 12. 2.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos à fornicatione ; ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, et honore, etc. 1. *Thess.* 4. 3. 4. *Vide* 1. *Tim.* 2. 4.

Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. 1. *Joan.* 2. 17.

### *Voluntas Dei non est, ut aliquis pereat.*

Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur à viis suis, et vivat? *Ezech.* 18. 23. *Vide c.* 33. 11.

Hæc est enim voluntas ejus,

qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Joan.* 6. 39.

Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 1. *Tim.* 2. 3. 4.

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9.

*Voluntatem pro opere acceptat Deus.*

Dixitque ad eum (*Abimelech, qui tulerat Saram*) Deus : Et ego scio quod simplici corde feceris : et ideò custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam. (*Saram*). *Gen.* 20. *V*6. *ide v.* 3.

Dixitque ei (*scilicet Angelus Domini ad Abraham*) : Non extendas manum tuam super puerum, neque facies illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Ibid.* 22. 12.

*Dixit Dominus ad David per prophetam Natan* : Quarè ergò contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. 2. *Reg.* 12. 9.

*Voluptas carnis. Vide concupiscentia.*

VOTUM.

*Votorum exemplum.*

*Jacob, vadens ad domum Laban avunculi sui, post ostensam sibi, à Domino visionem*, vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in viâ, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero dprosperè a domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Gen.* 28. 20. *et seq.*

Rex Arad — pugnavit contrà illum (*Israël*), et victor existens, duxit ex eo prædam. At Israël, voto se Domino obligans, ait : Si tradideris populum istum in manu meâ, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israël, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus : et vocavit nomen loci illius Horma, id est, Anathema. *Num.* 21. 1. *et sequentes.*

*Pugnaturus Jephte contra filios Ammon*, votum vovit Domino, dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domûs meæ, mihique occurrerit revertenti cum

pace à filiis Ammon, cum holocaustum offeram Domino. *Judic.* 11. 30. 31.

Cùm esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens — dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. 1. *Reg.* 1. 10. 11.

Dixit Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. 2. *Reg.* 15. 7. *et seq.*

*Rex Asa perfectus erat coram Domino :* et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus, et voverat, in domum Domini, argentum, et aurum, et vasa. 3. *Reg.* 15. 15. *Vide* 2. *Paral.* 15. 18. *Idem extat de Salomone*, 2. *Par.* 5. 1.

Lætatusque est populus, cùm vota spontè promitterent : quia corde toto offerebant ea Domino : sed et David rex lætatus est gaudio magno. 1. *Par.* 29. 9.

Sed et filii Israël et Juda — obtulerunt decimas boum, etc. quæ voverunt Domino Deo suo. 2. *Paral.* 31. 6. *Vide v.* 12.

*Rex Artaxerxes præcepit Esdræ et populo, ut* ferant munera Domino Deo Israël, quæ *vovcrat ipse.* 3. *Esdr.* 8. 14.

Omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum : et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et promissiones suas. *Judith* 16. 22.

Et timuerunt viri (*qui erant in navi cum Jona*) timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. *Jonæ* 1. 16.

Heliodorus autem (*virtute divinâ graviter punitus, et sanatus per orationem Oniæ*), hostia Deo oblata, et votis magnis promissis — repedabat ad regem. 2. *Mach.* 3. 35. *Vide simile de Antiocho, c.* 9. 15. *et seq.*

*Beata virgo Maria virginitatem vovisse videtur ex eo, quod ait ad Angelum :* Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco ? *Luc* 1. 34.

Qui (*Paulus*) sibi totonderat in Cenchris caput : habebat enim votum. *Act.* 18. 18. *Vide c.* 21. 23.

*Crudele votum et impium fecerunt illi Judæi,* qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores, et dixerunt : Devotione devovimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. *Ibid.* 23. 14. *Vide v.* 12.

*Vota servanda ac reddenda.*

Locutusque est Dominus ad

Moysen, dicens : Loquere filiis Israël, et dices ad eos : Homo, qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium, etc. *Lev.* 27. 1. 2. *Vide tot. caput.*

Loquere ad filios Israël (*ait Dominus ad Moysen*), et dices ad eos : Vir, sive mulier, cùm fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare : à vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt, etc. *Num.* 6. 1. *per totum caput.*

*Agitur de voto ac juramento virorum, et quandò puellarum et uxorum vota seu juramenta rata sint vel irrita. Ibid. c.* 30. *per totum.*

Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* 23. 21.

Vota mea reddam (*Deo*) in conspectu timentium eum. *Ps.* 21. 26.

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua. *Psal.* 49. 14.

Reddam vota mea de die in diem. *Psal.* 60. 9. *Vide Psal.* 65. 13.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. *Psal.* 75. 12. *Vide Psal.* 131. 2.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio : sed quodcumque voveris, redde : multòque meliùs est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. *Eccles.* 5. 3. 4.

Si quis illis (*diis Babyloniorum*) votum voverit, et non reddiderit : neque hoc requirunt. *Baruch.* 6. 34.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi (*Deo*) : quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. *Jonæ* 2. 10.

Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se, etc. *Actor.* 21. 23.

*Votum castitatis servandæ, seu non cognoscendi virum. Vide et Castitas.*

Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodò fiet istud, quoniàm virum non cognosco ? *Luc.* 1. 34.

*Non sine damnatione violatur.*

Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo (*adolescentiores viduæ*) nubere volunt : habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1. *Tim.* 5. 11. 12.

*Votum impium non implendum. Vide Juramentum.*

ZELUS ET ZELOTIPIA. *Vide et* IRA.

*Zelus significat studium, quo accendimur ad alicujus virtutes imitandas, aut superandas, sine ullo tamen ipsius odio.*

Æmulamini autem carismata meliora. 1. *Cor.* 12. 31.

Sectamini caritatem, æmulamini spiritalia, etc. *Ibid.* 14. 1. *Vide v.* 12. *et* 39.

Vestra æmulatio provocavit plurimos. 2. *Cor* 9. 2. *Vide c.* 11. 2.

Bonum autem æmulamini in bono semper. *Gal.* 4. 18. *Vide v.* 17.

*Christus* dedit semetipsum pro nobis, ut — mandaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

*Zelus Dei, id est affectus ille summus, quo populum suum gratiosè amplectitur, cum justâ severitate adversus peccata, et irâ formidabili in Ecclesiæ hostes.*

Phinees (*inquit Deus*) — avertit iram meam à filiis Israël: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo. *Num.* 25. 11.

Sed tunc quam maximè furor ejus (*Dei*) fumet, et zelus contrà hominem illum *peccatorem*, etc. *Deut.* 29. 20.

De Jerusalem quoque egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 4. *Reg.* 19. 31. *Vide Isa.* 37. 32.

Usquequò, Domine, irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus? *Psal.* 78. 5.

Zelus Domini exercituum *confirmabit regnum David. Isa.* 9. 7.

Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prœliator suscitabit zelum: vociferabitur et clamabit: super inimicos suos confortabitur. *Ibid.* 42. 13.

Et vidit Dominus (*impietatem*), et malum apparuit in oculis ejus — et indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. *Ibid.* 59. 15. 17. *Vide Sap.* 5. 18.

Et scient (*inquit Dominus, inimici mei*), quia ego Dominus locutus sum in zelo meo cùm implevero indignationem meam in eis. *Ezech.* 5. 13. *Vide c.* 15. 38. *Item c.* 23. 25. *et c.* 36. 5. 6. *et c.* 38. 19.

Et requiescet indignatio mea in te (*Jerusalem, ait Dominus*): et auferetur zelus meus à te. et quiescam, nec irascar ampliùs. *Ibid.* 16. 42. *Vide cap.* 39. 25.

In igne zeli ejus (*Dei*) devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram, *Sophon* 1. 18. *Vide c.* 3. 8.

Zelatus sum Sion (*inquit Deus*) zelo magno, et indignatione magnâ zelatus sum eam, etc. *Zach.* 8. 2.

*Zeli et Zelotypiæ bonæ exempla.*

*Sæviebant filii Jacob ob stuprum sororis suæ Dianæ, per Sichem oppressæ. Gen.* 34. 13. *Vide totum caput.*

*Audiens Moyses voces cantantium, et videns vitulum et choros*, iratusque valdè, pro-

jecit de manu tabulas, et confregit eas, etc. *et gravissimè punivit populum, pro quo paulo antè tàm fideliter et constanter oraverat ad Deum. Exod.* 32. *v.* 19. 27. 28. *Vide v.* 11. 12. 13.

Unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse. — Quod cùm vidisset Phinees — surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, in locis genitalibus. *Num.* 25. 6. *et seq. Quod etiam valdè placuit Deo, ut patet ex v.* 11. 12. 13.

*Præcepit Josue Achan lapidari, et totam ejus supellectilem comburi, quia tulerat de anathemate Jericho. Josue* 7. 24. *et seq.*

Quod cùm audîssent filii Israël (*scil. filios Ruben et Gad ædificare sibi altare*) — convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, et dimicarent contra eos, *Ibid.* 22. 11. 12. *Vide versus sequentes.*

*Ob scelus Gabaonitarum, ex tribu Benjamin, qui prodigiosa libidine extinxerant uxorem cujusdam Levitæ reducentis eam à domo parentum, pugnantesque reliquæ tribùs adversùs Benjamin semel atque iterum bello inferiores, tertioque committentes jussu Domini prælium, tribum illam, præter sexcentos qui in solitudinem fugerant, penitùs deleverunt. Judic. c.* 19. *et* 20. *per tot.*

Dixitque Samuël : Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus et tremens. Et dixit Agag: Siccine separas, amara mors? Et ait Samuël : Sicut fecit absque liberis mulieris gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuël coram Domino in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 32. 33.

Dixitque Elias ad eos (*filios Israël:* Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. 3. *Reg.* 18. 40.

Eccè sermo Domini ad eum (*Eliam*), dixitque illi : Quid hic agis Elia? At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël : altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. *Ibid.* 19. 9. 10. *Vide* 1. *Reg.* 11. 6.

*Reprehensus est Achab à prophetâ Dei, eo quòd Benadad regem Syriæ, virum morte dignum, indiscretè vivum permisit abire. Ibid.* 20. 42.

*Quamvis rex Israël Jehu specialiter fuerit malus, tamen*

*multùm commendatur, eo quòd semen domus Achab delevit, et Prophetas Baal occidit, et statuam, et ædem ipsius Baal destruxit.* 4. *Reg.* 10. *à v.* 11. *usquè ad v.* 32.

*Sic etiam Ezechias, pietate eximius, dissipavit omnia idolorum delubra, etc. Ibid.* 18. 4. *Vide simile c.* 23. 6. *de Josiâ, usquè ad v.* 26.

Spiritus itaque Dei induit Zacharium filium Joïadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi (*sculptibilibus servientis*), et dixit eis—Quarè transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit: et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? 2. *Paral.* 24. 20.

*Audiens Esdras, Judæos cum gentibus matrimonia contraxisse, miro modo doluit, et gemens ac ejulans, signa doloris ostendit.* 1. *Esdr.* 9. 3. *et seq. Vide* 3. *Esdr.* 8. 72. *et sequentes.*

*Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos, et maledixit, et verberavit aliquos, et decalvavit.* 2. *Esdr.* 13. 25.

Zelus domûs tuæ comedit me, *inquit David. Psal.* 68. 10.

Et ut cessavit loqui verba hæc (*Mathathias*), accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundùm jussum regis: et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundùm judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram: sed et virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit, et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. Et exclamavit Mathathias voce magnâ in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. 1. *Mach.* 2. 23. *et seq. Vide v.* 54. *et* 58.

*Onias summus Pontifex restitit viriliter Simoni, qui volebat* iniquum aliquid in civitate moliri. 2. *Mach.* 3. 4.

*Miro fervebat zelo Joannes Baptista, quando dicebat Pharisæis:* Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ? *Matth.* 3. 7. *Vide c.* 23. 33. *Item Luc.* 3. 7. *Similiter et quandò Herodem increpabat. Matth.* 14. 4. *Marc.* 6. 18. *Luc.* 3. 19.

Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo; et mensas numulariorum, et cathedras vendentum columbas evertit. *Ibid.* 21. 12. *Vide Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45. *Joan.* 2. 15.

*Durè increpabat Dominus Scribas et Pharisæos, dùm*

*dicebat illis :* Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ, etc. *et octies istud* væ *repetit iratissimè et indignanter. Ibid.* 23. 13. *et seq. usq. ad v.* 30. *Vide Luc.* 11. 42. *et seq. usq. ad v.* 53.

Recordati sunt verò discipuli ejus (*Jesu*), quia scriptum est : Zelus domûs tuæ comedit me. *Joan.* 2. 17.

*Sciens Jesus, Judæos ipsum nequiter observare, circumspiciens eos cum irâ, contristatus est super cæcitate cordis eorum, dixitque eis :* Vos ex patre diabolo estis, etc. *Ibid.* 8. 44.

*Magno zelo succensus est Petrus in Ananiam et Saphiram, quandò vidit, quod fraudaverant* de pretio agri. *Actor* 5. 3. *Vide v.* 4 *et* 9.

*Stephanus ardenti zelo correptus, dixit Judæis :* Durâ cervice, et incircumcisis, cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. *Ibid.* 7. 51.

*Resistenti sibi et Barnabæ Barjesu pseudo-propheta, respondit Paulus :* O plene omni dolo, et omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. *Ibid.* 13. 10. *Vide v.* 11.

*Dùm Paulus prædicaret Athenis,* incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. *Ibidem* 17. 16.

Æmulor enim vos (*ait Paulus*) Dei æmulatione, etc. 2. *Cor.* 11. 2.

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Philipp.* 3. 2. *Specialiter etiam apparet fervens zelus Pauli in Epist. ad Galat. cap.* 4. *ubi arguebat, increpabat, obsecrabat : et similiter* 2. *Cor. caput.* 11.

*Zeli indiscreti exempla.*

*Videns Josuë, minister Moysi, duos homines in castris prophetantes, dixit :* Domine mi, Moyses, prohibe eos. At ille : Quid, inquit, æmularis pro me? etc. *Num.* 11. 28. 29.

*Abisai voluit amputare caput Semei maledicentis David, à persecutione Absalom fugienti : sed non permisit David, ut aliquid mali inferretur illi.* 2. *Reg.* 16. 9. *et seq.*

*Filii prophetarum coegerunt Eliseum, ut mitteret viros ad quærendum Eliam, ne fortè Spiritus Domini projecisset* eum in unum montium, aut in unam vallium. 4. *Reg.* 2. 15. *et seq.*

*Jonas fugere voluit à facie Domini, quandò præcepit ei prædicare Ninivitis. Jonæ* 1. 3. *Sed postmodum doluit, cùm vidit civitatem non ruere, uti prædixerat. c.* 4. 1. *et seq.*

*Cùm ostendisset Dominus discipulis, oportere se multa pati à principibus Judæorum,*

*et occidi;* Petrus cæpit increpare illum, dicens : Absit à te, Domine : non erit tibi hoc. *Matth.* 16. 21. 22. *Sed vide responsionem Christi, v.* 23. *Item Marc.* 8. 32. 33.

*Plus Pharisæi zelabant pro auro templi, quàm pro ipso templo; et plus pro donis altaris, quàm pro ipso altari. Ibid.* 23. 16. *et seq.*

*Sic et Pharisæi zelabant, videntes discipulos Christi spicas vellentes die sabbati, et manibus confricantes. Marc.* 2. 23. *et seq. Item Matth.* 12. 2. *et seq. Luc.* 6. 1. *et seq.*

*Rursùs plus zelabant pro traditionibus suis, quàm pro divinis mandatis. Ibid. c.* 7. *per totum. Vide de hoc et totum cap.* 15. *Matth. Item Luc.* 11. 38.

*Oblati sunt Domini parvuli, ut manus eis imponeret et oraret :* discipuli autem comminabantur offerentibus. *Jesus autem ait* : Sinite parvulos venire ad me, etc. *Ibid.* 10. 13. 14. *Vide Matth.* 19. 13. 14. *Luc.* 18. 15. 16.

*Cùm effudisset Maria pretiosum unguentum super caput Domini, quidam discipuli indignè ferebant, et fremebant in eam, de perditione unguenti. Ibid.* 14. 3. *et seq. Item Matth.* 26. 7. *et seq. Luc.* 7. 37. *et seq. usq. ad fin. capitis. Joan.* 12. 3. *et seq.*

*Joannes Apostolus prohibuit quemdam ejicientem dæmonia in nomine Domini Jesu, eò quòd non sequebatur eos cum aliis discipulis.* Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere : qui enim non est adversùm vos, pro vobis est. *Luc.* 9. 49. 50.

*Audientes Jacobus et Joannes Samaritanos non recepisse nuntios Domini, dixerunt :* Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat illôs? Et conversus *(Dominus)* increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritûs estis, etc. *Ibid. v.* 54.

*Multùm zelabant Pharisæi pro observatione Sabbati, dùm videbant Dominum die illo curantem infirmos. Ibid.* 13. 14.

*Arguit Dominus Petrum, qui amputaverat aurem servo principis sacerdotum, eo quòd tunc non erat tempus potentiæ Christi ostendendæ, sed patientiæ exhibendæ. Ibid.* 22. 50. *Vide præcipuè Matth.* 26. 51. *et seq. Item Joan.* 18. 10. 11.

*Discipuli Joannis Baptistæ indiscretè zelaverunt contra Christum*, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem — eccè hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. *Joan.* 3. 26. *Joannes autem optimè respondit, et reprehendit eos. v.* 27. *et seq.*

*Cùm offerrentur de civitatibus vicinis multi infirmi, et à Petro curarentur;* exurgens — princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, —

repleti sunt zelo, etc. *Actor.* 5. 17. *Vide versus* 7. 54. *et sequentes.*

*Videntes Judæi, quod penè universa civitas convenerat audire verbum Dei, quod Paulus et Barnabas prædicabant*, repleti sunt zelo, et contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. *Ibid.* 13. 45.

*Paulo Apostolo dixerunt fratres :* Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis : *sed putant te contrà Moysen docere ; et ideò adhærere tibi nolunt, et persequuntur te, etc. Ibid.* 21. 20. *et seq. De his verò inquit Paulus in Epistolâ suâ ad Rom. cap.* 10. 2. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam, etc. *Et quidem talis æmulator fuit ipse Paulus antè conversionem. Vide Actor.* 22. 3. *et seq. Item c.* 8. 3. *et c.* 9. 1. 2. *et c.* 26. *v.* 5. 9. 10. 11. *De se quoque confitetur Paulus :* Audistis enim conversationem meam aliquandò in Judaismo : quoniàm supra modum persequebar Ecclesiam Dei, etc. *Galat.* 1. 13. *Vide reliquos versus hujus capitis. Item* 1. *Cor.* 15. 9. 1. *Tim.* 1. 13.

Æmulantur vos non benè; sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini, etc. *Ibid.* 4. 17. *Vide v.* 18.

FINIS ULTIMI VOLUMINIS.

# INDEX

# THESAURI BIBLICI.

M.


Magia. 1
Magisterium non ambiendum. 2
Magnanimitas. »
Maledicentia. »
Maledictio, quâ Deus maledicit homini. »
Maledictio, quâ homo homini maledicit. 3
Maleficia. 4
Malum dicens punietur. »
Malum declinandum. »
Malorum multitudo. »
Mali opprimentes bonos. 5
Malorum consortium vitandum. »
Malum non reddendum pro malo. 6
Malum pœnæ est à Deo. 7
Malum culpæ aversatur Deus. »
Malos Præpositos permittit Deus ob peccata populi. 8
Jubet eis obedire. »
Malorum ministrorum operâ interdum utitur Deus. »
Manendum nobis in Christo. »
Manna. 9
Mansuetudo. »
Mare creatur et includitur suis terminis. 10
Mare cedit filiis Israël. 10
Sedatur verbis Christi. »
Maria Virgo prænuntiata. »
In veteri testamento variè præfigurata. 13
Variè intitulata et vocata. 14
Maria vocatur et est Mater JESU. 15
Multis rebus comparatur. 16
Mariæ virginitas. 17
Ejusdem virtutes. »
Ejusdem actiones. 19
Mariti officium, 20
Matrimonium instituitur. 21
Ob varios fines. 23
Est indissolubile. 24
Requiritur consensus mutuus. 25
Debemus castè et debito modo ingredi. »
Est Sacramentum. »
Confert gratiam. »
Matrimonium spirituale. »
Mediator Redemptionis Christus. 26
Etiam Spiritus Sanctus. »
Mediator est Angelus et homo. 27
Medicus spiritualis et corporalis. »
Meditatio. 28
Mendacium. »
Mendicus. 30

Mensura. 30
Mensura et pondera debent esse justa. 31
Mercenarius remunerandus. 32
Merces debetur operibus bonis. »
Messias, id est Christus, etc. 34
Ministris malis interim utitur Deus. »
Jubet eis obedire. 35
Ministerium Dei. »
Miracula. »
Miracula Christi. 38
Apostolorum. 41
Miracula per Sanctos et eorum reliquias. 42
Sunt in Ecclesiâ necessaria. »
Misericordia Dei varia. 43
Misericordiæ opera. 46
Missæ Sacrificium. 47
In veteri testamento præfiguratum. 49
Est à Christo institutum. 50
Ab ejus discipulis usitatum. 51
Mobilitas populi. 52
Monachus. »
Morbus. »
Mors in genere. »
Mors est pœna peccati. 53
Certa dies mortis. 54
Hora ejusdem incerta. 55
Mors justorum. »
Est dormitio et quasi somnus. 56
Mortem nostram vicit Christus. 57
Mors gratiæ. 58
Mors malorum. »
Qui sibi mortem intulerint. 61
Mortuos lugere quatenus licitum, necne. 62
Mortui ad vitam revocati. 64
Mors solatium miseris. 65
Honorabilis bonis. »
Horribilis malis. »
Lamentabilis cunctis. 66
Mortuorum sepultura et suffragia. »
Mortificatio. »
Mulier bona. 67
Hujus actiones. »
Mulierum fides. 69
Mulierum pietas, compassio. 70
Sapientia, fortitudo, fallacia, astutia. 72
Aviditas, concupiscentia. 74
Stultiloquium. 75
Ornatus superfluus. 76
Mulier est viri adjutrix. »
Mulier mystica est Ecclesia. »
Mulierum officia. 77
Mulieres steriles, fecundæ redditæ. »
Mulier mala. »
Hujus actiones. 78
Est cavenda. 80
Multiloquium. »
Multitudo Deo non antepononda. »
Mundus contemnendus. »
Mundi prosperitas. 81
Mundities cordis. »
A Deo imperatur, remuneratur, et datur. 82
Munditia ficta reprobatur. 83
Munerum acceptio. 85
Munerum oblationis exempla. 86
Recusationis exempla. »
Murmurationis pœnæ, et exempla. 87
Musica in celebrandis divinis laudibus adhibenda. 88

Mutuatio fructuosa. 89
Periculosa. »

N.

Negligentia. 89
Negotiationis periculositas. »
Negotiantium exempla. »
Nequitia. 90
Nominis Dei invocatio. »
In vanum assumptio. »
Nominum impositio. 91
Novissimorum memoria. 91
Novum Testamentum. 92
Novum cœlum, et nova terra. »
Nubes. »
Nuditas spiritualis. »
Nudi vestiendi. 93
Nuntius bonus, et ejus exempla. »
Nuntius malus, et ejus exempla. »
Nuptiæ celebrantur, iisque interest Christus. 94

O.

Obediendum Deo. 94
Exempla. 99
Obedientia inferiorum. 100
Objurgationes in Ecclesiâ. »
Exempla. 101
Oblatio non debet esse vitiosa. »
Oblationes sunt Deo gratæ. 102
Oblationes pro defunctis. »
Oblationes impiorum. 104
Oblivio beneficiorum. 105
Obliviscendum non est Dei. »
Obscuritas, pro cæcitate spirituali. »
Obsecratio. »
Obsequium. 106
Observatio legis. »
Obstetricum usus et pietas. »
Obstinatio cordis cavenda. »
Hujus pœna. 107
Hujus exempla. »
Obtrectatio damnatur. 108
Hujus exempla. 109
Occasio non prætermittenda. »
Occisio hominis juridica et fortuita. 111
Occultum crimen non revelandum. »
Oculus simplex et rectus. 112
Oculus nequam. »
Oculi Dei, Filii Dei, et Angelorum. 113
Oculorum custodia. »
Oculus mentis. 115
Oculus fidei. »
Odium proximi prohibetur. »
Odio habenda malitia. 116
Odii exempla. »
Odium Dei. »
Odium Messiæ. »
Odium sine causâ. 117
Odium salutare propter Deum. »
Officium parentum, filiorum, et subditorum. »
Oleum in tabernaculo. »
Olei usus præceptus. 118
Onus. »
Opera sive opus, pro mercede. »
Opera perfectè bona. »
Opera bona commendantur. 119
Sunt necessaria ad salutem. »
Operum retributio, seu merces. 120
Opera mala. 121
Operari propter mercedem, licet. 124

Etiam propter metum gehennæ. 124
Opera supererogationis, seu consilia Evangelica. 125
Opera mortificationis. »
Opera domestica. 126
Opera proximo facta, sibi Deus reputat. 127
Opes à Deo sunt, sed nimiæ non appetendæ. »
Opes malè partæ. 128
Opes interdum dominis suis ruinam afferunt. »
Opifex. »
Opiniones hominum erroneæ. »
Oppressio bonorum perpetua. 129
Exempla de hoc. »
Oppressores pauperum à Deo punientur. 131
Orare in nomine JESU. »
In Spiritu Sancto. 132
Orare quomodo oporteat. »
Sine intermissione. 133
Ubique, et cum fiduciâ. »
Orandum pro aliis. 134
Exempla. 135
Orationes aliorum pro se expetendæ. »
Orandum etiam pro inimicis, et impiis. »
Orare pro defunctis. 136
Adhortatio ad studium orandi. »
Oratio quomodò, quandò, cui, et ubi fieri debeat, et quid petendum. »
Effectus orationis. 137
Orationes, quæ rectè fiunt, exaudit Deus. 141
Quarè non semper exaudiat Deus. 144
Orationis exempla. 146
Vis et efficacia. 155
Requisita ad orationem. 156
Ordo pro disciplinâ Ecclesiasticâ. 159
Ordo politicus. 160
Ordinis Sacramentum. »
Oriens denominatur Christus. »
Ornatus superfluus. »
Os, pro sermone etc. »
Osculum caritatis symbolum. 161
Osculi sancti exempla. »
Osculum fictum et proditorium. 163
Otium vitandum. »

## P.

Pactum. 165
Initium cum infidelibus punitur. »
Pacta sunt servanda. 166
Palmes spiritualis. »
Panis, pro quolibet cibo. »
Panis labore comparandus. 167
Papa est judex controversiarum. 168
Parabolarum catalogus. »
Parentes honorandi et timendi. 169
Parentum amor, Dei amori cedere debet. 171
Parentum officia. Filios pietatem docere debent. »
Filios debent diligere, et corrigere. 175
Illis tradere facultates, et prospicere de matrimonio. 177

Quomodò, et quarè parentes honorandi sint. 178
Pascha. 179
Pastor summus, Christus Deus est. »
Pastores quâ sollicitudine sint, oporteat. 180
Pastorum dignitas. 183
Pastor bonus. 184
Pastor malus. 185
Patiens est Deus. 187
Patientiæ fidelium exempla. 189
Patientia Deum placat, præmium parat, hominem commendat. 194
Impatientiæ punitio. »
Paupertas à Deo est, et laudatur. 195
Paupertatis exempla. »
Pauperes boni. 197
A Deo præmiantur, etc. 199
Pauperes mali. 202
Pax æterna et temporalis. »
Pax interna. 203
Pax, pro felicitate. 204
Pax spiritualis. 205
Pax promissa piis. 207
Impiis nulla pax. »
Mendaciter promittitur pax. »
Peccatorum conditio misera. 208
Peccati origo. »
Peccatum originale. 209
Hujus effectus. »
Tollitur per Baptismum. 210
Peccatum actuale variè committitur. »
Peccatum punitur. 213
Peccati gravitas, et pœnæ exempla. 214
Castigatur in sanctis. 217
Peccata non sunt æqualia. 217
Peccati mortalis et venialis discrimen. 218
Peccatum in Spiritum Sanctum. 219
Vindictam clamans. »
Peccatum contra naturam. »
Peccatum ex ignorantiâ, et malitiâ. 220
Peccata aliena. 221
Propter peccatum unius aut paucorum puniuntur multi. 222
Peccatum tollitur per Christum. 224
Sacerdos divinâ auctoritate peccatum remittit. 225
Remittitur per Christum. »
An remissa sint peccata, ignoramus. 228
Relapsus in peccatum cavendus. 229
Peccatorum confessio. »
Peculium Dei, est ejus populus. »
Pedum lotio. 230
Peregrinis benefaciendum. »
Peregrini sumus in hoc mundo. 231
Peregrinationes Religionis causâ sunt utiles. 232
Perfectio caritatis. »
Ad hanc aspirandum. »
Perjurium prohibetur. 233
Permissio contra voluntatem. 234
Persecutionis piorum exempla. 235
Persecutorum Ecclesiæ pœnæ. 237
Perseverantiæ dicta et exempla 238

Perseverantia in precibus 241
Perseverantia, est donum Dei. 242
Personarum acceptio illicita. »
Persuasio mala. 244
Pes quid significet. »
Petitiones fidelium »
Petitionis justæ et injustæ exempla. 247
Pietas. 248
Pietas mulierum. »
Pignus salutis nostræ est Spiritus Sanctus. »
Pigritia damnatur. »
Pigritiæ mala. 249
Plaga Dei, seu vindicta. »
Planctus. 250
Pœna peccati non tota dimittitur. »
Pœnæ divinæ exempla. 251
Pœnitentia et satisfactio pro peccatis. 253
Pœnitentiæ Sacramentum. »
Pœnitentiæ veræ promissa est venia. 255
Agenda est pœnitentia dum sani sumus. 258
Pœnitentiæ veræ exempla. 259
Pœnitentium felicitas temporalis. 261
Dilatæ et fictæ et contemptæ pœnitentiæ dicta et exempla. 263
Pondus. 265
Præcepta divina facilia et utilia. »
Horum impletionis effectus. 266
Transgressores puniuntur. 270
Præcepta Ecclesiæ obligant in conscientiâ. 272
Præcepta humana observanda. »
Indigna magnanimiter contemnenda. »
Prædestinatio divina. 273
Prædicatio verbi Dei. 274
Præsentia Dei. »
Precationum variæ formulæ. 275
Primitiæ fructuum debentur Deo, et Sacerdotibus. 276
Primogenitum omne Deo consecratum. 277
Principes et Superiores boni. 278
Prælati boni requisita. 279
Principum malorum exempla. 282
Proditionis pœnæ. 285
Promissiones Dei. 288
Prophetæ boni. 289
A malis contemnuntur. »
Prosperitas à Deo est. 290
Prosperitas impiorum. 291
Timentibus Deum promissa prosperitas. »
Plerumque ad malum incitat 292
Providentia Dei. 294
Universalis et specialis. 295
Præsertim erga Ecclesiam. 296
Omnia secundum providentiæ Dei consilium ac decretum fiunt. 297
Reverenter expetenda. 298
Ad res minimas extenditur. 300
Ejusdem æquitas, etc. »

Hujus exempla. 302
Providentia humana. 303
Proximi dilectio, nec ipsi damnum inferendum. 304
Prudentia omnibus necessaria. »
Ejusdem exempla. »
Pseudoprophetæ non audiendi. 307
Non sunt à Deo missi. 309
Seducunt, factis se produnt et puniuntur. 310
Puer. 312
Pulchritudo. »
Punitio divina fit per Angelos et per homines. »
Punitio malorum necessaria, etc. 313
Pupilli commendantur. 314
Purgatorium esse confirmatur. 315
Pusillanimitas. 316

## Q.

Quadragesimalis jejunii exempla. 316
Quæstiones vanæ vitandæ. »
Quiescendum, à peccatis. 317
Quies contingit populo Dei. 318
Quietem acquirent justi et eorum animæ. »

## R.

Rapina damnatur. Exempla. 318
Rationem quisque reddere debet. 319
Rebellionis exempla. 320
Recidivi graviter puniuntur. »
Reconciliatio cum Deo. 321
Cum fratre præcipitur. »
Recta intentio. 322
Redemptio per Christum facta. »
Redemptionis nostræ finis. »
Redimere novit Deus ex angustiâ. 323
Redemptionis ortus, modus et fructus. 324
Regeneratio, Dei opus est. »
Est varia. 325
Rex justus à Deo est. 326
Reges quid facere debeant, vel fugere. »
Reges ac Principes, Religionis curam suscipere debent. 327
Regum vitia non dissimulanda. 328
Regnum Christi quid? »
Regnum Dei potentiæ, gratiæ, et gloriæ. 329
Regnum cælorum est Ecclesia Dei. 330
Regnum Dei spirituale. »
Regnum Dei percipitur, et negligitur. 332
Regnum terrenum firmatur, et dissipatur. 333
Regna in manu Dei sunt. 334
Relapsus in peccatum. 335
Religio. »
Relinquentes omnia propter Christum. »
Reliquiæ Sanctorum. »
Quam vim habeant. 336
Fimbria Christi, umbra Petri, sudaria Pauli. »
Remittendum proximo peccanti. 337
De remissione peccatorum non certi sumus. »

Repudii libellus. 338
Resignatio in divinam voluntatem. »
Respectus humanus. 339
Resurrectio generalis. 340
Resurrectionis specialis varia exempla. 342
Resurrectio Christi. »
Mortuorum. »
Divina potentia consummatur. 344
Pro meritorum conditione variatur. »
Revelationes. 345
Reverentia. »
Rex. »
Rixæ. »
Robustorum exempla. »

S.

Sabbatum. 346
Sacerdotum officia. »
Eorum debita sustentatio. 348
Nullum dant vectigal et tributum. 349
Sacerdotum Legis indumenta, etc. »
His dabantur decimæ. 350
Horum auctoritas et benedictio. »
Sacerdotis boni actiones. 351
Sacerdos malus ambitiosè se ingerit. 354
Et mali facinora et pœnæ. 357
Sacerdotium spirituale. 358
Sacerdos cum Scripturâ est judex. 359
Sacramenta novæ legis. »
Sacramentum Confirmationis. »
Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, Matrimonii. 360
Sacramentalia, scilicet aqua lustralis, agnus Dei, etc. 361
Sacrificium Novi Testamenti. »
Saltatrix. »
Salus spiritualis quomodò acquiratur. »
A solo Deo est. »
Hæc per Christum confertur. 362
Salutationis exempla. »
Sanctus est Deus. 363
Sancti et mundi esse debemus. »
Sanctitas à Deo est, et benè ordinatur. 365
Sancti in cœlo cum Deo regnant. 366
Invocatio Sanctorum. 367
Præces nostras cognoscunt. 368
Offerunt Deo præces nostras. 369
Hujus invocationis exempla. 370
Sancti faciunt miracula. 371
Sanguinis conspersio. 374
Sanguinis usus prohibitus. 375
Sanguinis innocentis effusio. 376
Sanguine Christi empti sumus. 377
Sapientia vera quæ? 378
Sapientiæ divinæ attributa. »
Vera à Deo acquiritur. 380
Hujus effectus. 382
Sapientia mundi vana. 385
Hujus effectus. 386
Satisfactio. 387

Scandalum non dandum. 387
Scandalum vitandum. 389
Scandali accepti exempla. »
Scortationis damnatio et pœna. 390
Scriptura sacra undè sit, et quis ejus usus. 391
Ad bonum adhortatur. 393
Virtuosis manifestatur. 394
Vitiosis obvelatur. 395
Difficilis est intellectu. »
Apostoli non omnia scriptis mandaverunt. 396
Scriptura nec lex est judex, sed sacerdos. »
Seditionis exempla et punitio. 397
Semen divini verbi, et promissi »
Semen boni operis fructiferum. 398
Mali operis lethiferum. »
Senectus virtuosa honoratur. 399
Vitiosa reprobatur. »
Sentire idem. 400
Sepelire mortuos. »
Sepultura carere, afflictio est. 402
Sermo Christianorum. 403
Serpens æneus erigitur. »
Servorum bonorum officium et exempla. »
Malorum exempla. »
Servitus divina. 404
Servitus peccati vitiosa. 406
Servitus humana onerosa. »
Servus bonus à Deo remuneratur. 407
Servus malus punitur. 408
Severitatis Dei exempla. »
Signa futurorum. 409
Signa et Miracula propter Deum. 410
Silere est utile. 411
Simonia non licita est. 412
Graviter punitur. »
Simplicitas commendatur. 413
Simplicibus revelat se Deus 414
Simplex et rectus. »
Simulatio fugienda. 415
Sobrietas commendatur. 416
Societas bonorum quærenda. »
Malorum fugienda. 418
Sodomia. 420
Sol et Luna. »
Sollicitudo nimia improbanda. 421
Somnia et visiones. 422
Somnia aliquando contemnenda 425
Soror. »
Sortium missionis praxis. »
Sors spiritualis. 427
Spes justorum in Deo fundatur. »
Spes non facit securos. 432
Seps impiorum evanescet »
Spes ex beneficiis concipienda. 433
Sperantium in Deum exempla. 434
Spinæ et tribuli. 435
Spinæ sunt divitiæ et voluptates. »
Spiritus Sanctus est verus Deus. »
Promittitur et mittitur. 437
Edocet mentes. 438
Spiritus probandi sunt. 439
Sponsus Ecclesiæ est Christus. »
Sponsa Christi Ecclesia. 440
Strages. »

Stultiloquium mulierum. 442
Stultorum, et stultè factorum exempla. »
Stuporis exempla. 444
Subditi Principem imitantur. 445
Subditorum officium. »
Subditorum obligationes specificæ 446
Superiorum officium. 450
Superiores boni et mali. 454
Superbia punitur. »
Memoriam superborum perdidit Deus. 461
Humilitas vera Deo grata etc. 462
Suspicio. 463
Susurrones damnantur. 464

T.

Temperantia commendatur. 464
Templum spirituale 466
Templum idolorum. »
Christus in templo, et fideles. 468
In templo exaudit Deus. 469
In templo quomodò Deus inhabitet. »
Templi profanatores puniuntur. 470
Tempus fructuosè expendendum. 471
Non superstitiosè observandum. »
Temporis opportunitas observanda. »
Tenebræ naturales et spirituales. »
Tentare Deum non licet. 472
Tentat Deus suos. 473
Tentat diabolus. 474
Tentant homines et caro, et creaturæ. 475
Supra modum nemo tentatur. »
Testamentum ordinandum et ritè servandum. »
Testimonium verum. 476
Testimonium falsum »
Hujus exempla. 477
Thesaurus verus quis. 478
Minis diligendus, magis diligitur. »
Timendus Deus est. »
Timoris Dei fructus et laus. 482
Prodest homini variè. »
Timor humanus vitiosus. 484
Contemptus ejus virtuosus. 485
Timore punit Deus. »
Timoris Dei exempla. 487
Timor non repugnat fidei, nec spei. 489
Bonos timent mali. »
Traditiones Ecclesiasticæ servandæ. 490
Transubstantiatio. 491
Tribulationis utilitas. »
Tributum. 500
Trinitas figurata et declarata. »
Tripudiare. 501
Tristari immoderatè propter temporalia, non laudandum. 502
Tristitiæ exempla. »
Tubâ clangent Angeli in consummatione sæculi. 503
Tyrannorum nequitia et crudelitas. »

U.

Unanimitas commendatur. 505
Unctio Extrema. »

Usura est prohibita 505
Uxor non temerè relinquenda est. 506
Uxoris officium. »

V.

Væ, quibus interminetur Scriptura. 507
Valedictionis ritus. 511
Vendere. 512
Venter. »
Ventus. »
Verbum Dei semper ob oculos ponendum. 513
Ab ipso non recedendum. 514
Non est universum scriptis traditum. »
Non audiendum solum, sed et factis præstandum. »
Ejusdem contemptus et punitio. 518
Verbum Dei manet in æternum. 520
Verbi Dei virtus et efficacia. 521
Verbum Dei est cibus animæ. »
Verba sunt ponderanda, et non leviter effutienda. 522
Veritatis vis. »
Veritas odium parit. 523
Ejusdem commendatio. 525
Vestis sexus non mutanda. 526
Vestiendi sunt nudi. »
Vestis scinditur ob varias causas. 527
Vestitus mulierum. 529
Via humanas actiones denotat. »
Item Domini præcepta et leges. 530
Via Christi est doctrina Evangelica. 531
Via, per quam justi ambulant. »
Ista à Deo dirigitur et remuneratur. 532
Viæ impiorum qualitas, exitus, et finis. 533
Victoria a solo Deo exspectanda. »
Potiuntur pauci contra multos. 536
Post victoriam triumphus. 537
Victoriæ genus præstantissimum. »
Victus in sudore parandus. »
Datur à Deo hominibus, et bestiis. 538
Ergo non solliciti nimis simus de ipso. »
Viduis benefaciendum est. 536
Viduas pias quid deceat. 539
Vigilantia Dei in misericordia et judicio. »
Vigilantia omnibus, sed præcipuè pastoribus est necessaria, quarè ? »
Vindicta soli Deo et magistratui commissa. 541
Vinea vulgaris et mystica. 543
Vini abusus noxius. »
Pauculo vino utendum. 544
Vinum figurate denotat actus humanos. »
Viri uxores suas diligere debent. »
Virginitas commendatur. »
Præfertur conjugio. 545
Virgines olim conclusæ. »
Visitatio infirmorum. »
Vita fidelium quomodò instituenda. 546

Vivendum Deo, non sibi. 549
Vitæ emendatio. »
Vita longa observatorum legis divinæ. »
Vita æterna gignitur ex gratiâ tanquàm patre, et ex meritò tanquàm matre. 550
Vitæ anteactæ memoria non inutilis 551
Vitæ humanæ vanitas et brevitas. »
Vita pro fratribus ponenda. 554
Vocatio gentium »
Vocationi propriæ sedulò inserviendum. »
Voluntas nostra accommodanda Deo. »
Voluntas Dei. 555
Voluntas Dei non est, ut aliquis pereat. »
Voluntatem Deus pro opere acceptat. 556
Voluptas carnis. »
Votorum exempla. »
Vota servanda. 557
Votum castitatis non sine damnatione violatur. 558
Votum impium non est implendum. »

Z.

Zelus et zelotypia quid significent. 558
Zelus Dei erga populum suum. 559
Zeli et zelotypiæ bonæ exempla. »
Zeli indiscreti exempla. 552

FINIS TABULÆ SECUNDI ET ULTIMI VOLUMINIS.

*Vide Thesaurum Patrum, probatissimorumque Scriptorum Flores, ex eâdem Typographiâ.*

220.2
M559
3267
Merz,
[redacted], P.P.
AUTHOR
Thesaurus Biblicus Tomus 2
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
DEC 14
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709
3267